SYNOPSIS.

Prima Comitia Piſonium *indicit* Sigismundus: *poſt eum*, Iohannes Coruinus: *eius rei occaſio Viennenſis Conuentus*, & Ladislaus *poſthumus reddendus Hungaris: venit ad comitia* Piſonium: *eius decretum: & iusiurandum.* §. I.

Comitia, poſt cladem Mohácsienſem, Piſonium *indicta*, *qui procerum interfuerint:* Ferdinandus *abſens*, *Rex declaratur.* §. II.

Frequentia inde comitia Piſonii *agebantur: quando prima indixerit* Ferdinandus? *ſanctiones tunc perlatæ: nouum, anno* 1537. *comitium*, & *huius deliberationes.* §. III.

Sequutis temporibus creberrimi apud Piſonienſes *conuentus: anno* 1542. *Sanctiones Neoſolienſes iſthic recognoſcuntur: feruntur item leges aduerſus ſeditioſos:* Palatini *electio ſufflaminatur: creatur Propalatinus*, Franciſcus de Réua: *ſanctiones reliquæ.* §. IV.

Eadem hæc capita, biennio poſt, iteratis comitiis, adfirmantur: comitiorum anni 1550. *ratio: actus conuentus anni* 1552. *euocatur ad eum* Georgius Monachus: *ſed euentu irrito, ob ſequutam eius cædem: comitiis anni* 1554. Thomas Nádasdy, *in Palatinum ſublegitur: quid comitiis anni* 1555. *geſtum ſit.* §. V.

Abeunt in conſuetudinem comitia, celebranturque iterum Piſonii, *anno* 1550. *anno* 1557. *mittuntur ad Imperii comitia, legati: exiguo operæ pretio: querula anni* 1559. *comitia.* §. VI.

Vltima Ferdinandi, *apud* Piſonienſes, *comitia, inaugurando* Maximiliano, *coacta: Ordinum diſputationes, quæ præceſſere inaugurationem: quæ eam ſunt ſequutæ.* §. VII.

Prima Maximiliani *comitia, anno* 1566. *moderante* Carolo *fratre: turbulenta & difficilia: eorum ſtatuta: redintegrantur anno* 1567. *quid tunc decretum fuerit:* Verántii, *ad Selymum legatio: pax cum Turca octennalis.* §. VIII.

Comitia anni 1568. *dilata, quas ob cauſſas: nouarum rerum auctores*, Dobó, & Balaſſa, *publico anni* 1569. *comitio, capiuntur: conſultationes reliquæ.* §. IX.

Gemina, anno 1570. *comitia:* Rudolphus, *in regem depoſcitur: actus & conſulta reliqua: iteratur eodem anno conuentus, inaugurando* Rudolpho *coactus: equeſtris ordinis expoſtulationes: quomodo a* Cæſare *conſopitæ: quid poſtea, anni* 1574. & 1575. *diæta geſtum ſit.* §. X.

Mortuo Maximiliano: Rudolphus *prima comitia cogit, anno* 1578. *magiſtratus diſtribuit: res bellicas*, Carolo *patrueli*, & Erneſto *fratri, commendat: altera* Rudolphi *comitia, anni* 1580. *euentus irriti: neque anno* 1583. *res geſta felicius:* Hungarorum *querelæ: tumultui ſimiles, a* Radéczio, & Draskouitzio *ſedantur: offenſa Cæſaris.* §. XI.

Integro poſt luſtro, diætam conuocat: plenam querelarum: quæ fuerint Hungarorum poſtulationes: quis euentus: faſti Gregoriani, *hoc comitio lege publica recepti:* Georgius Debreczeni, *proſcriptus: mitiora, anni* 1593. *moderante* Matthia *Archiduce, comitia: Debreczeni, criminis abſolutus.* §. XII.

Comitia Rudolphi *Cæſaris reliqua: anni in primis* 1595. *conſeruandæ patriæ, deſtinata: militis victoris, inſolita licentia: noua, anno* 1596. *comitia & querelas prouocat: actus comitiorum anni* 1597. *item, anni* 1598. *ac denique* 1599. §. XIII.

Seculi decimi ſeptimi, conuentus, Piſonii *celebrati: anno* 1600. Ordinum *preces: lata in* Michaelem Telekeſsy, *capitalis ſententia: ob quod facinus: capite diminuitur: annorum reliquorum comitia: anno* 1603. *quid geſtum? amoliuntur Cæſaris accuſationes Hungari:*

anni 1604. *actus: conuentus anni* 1605. *irritus, ob tumultuationem* Botskaii: *idem & anni* 1606. *comitiis euenit.* §. XIV.

Comitia, a Matthia II. *Piſonium coacta: anno* 1608. *excuſſa e manibus* Rudolphi, *Corona, inauguratur: eius anni decreta & actus: Hungaris grati:* Stephanus Illyésházy, *fit Palatinus: eo, breui poſt mortuo, noua, anno* 1609. *comitia cogi oportuit: eligitur tunc in Palatinum:* Georgius Thurzo: *anni* 1613. *diæta*, Annæ, *coniugis* Matthiæ, *inauguratione nobilitata: quid ea in primis ſit decretum: vltima comitia* Matthiæ II. *anno* 1618. *celebrantur: quid iis poſtularit Cæſar:* Sigismundus Forgách, *fit Palatinus:* Ferdinandus II. *in regem inauguratur.* §. XV.

Temporum malignitas, quæ Ferdinandum *excepit, comitia ſufflaminat:* Bethlenii *inquies:* Ferdinandi *ſollicitudo: indicit anno* 1630. Piſonium *conuentum: eius placidi actus: rei cauſſæ.* §. XVI.

Vltima ea fuere comitia Ferdinandi, *apud Piſonienſes: lex de comitiis* Piſonii *celebrandis: quæ iterum anno* 1637. Ferdinandus III. *huc indicit: eorum decreta: anno item* 1646. *quam ob rem? ſit tunc* Iohannes Draskovith, *Palatinus:* Ferdinandus IV.

in regem inauguratur: mors Palatini *locum nouis comitiis, anno* 1549. *facit: cui* Paullus Pálffy *substituitur: constitutiones reliquæ: vltima* Ferdinandi III. *comitia anno* 1655. *eorum celebrandorum causſæ: creatur Palatinus: coronatur* Leopoldus. §. XVII.

Mortuo patre: Leopoldus, *anno* 1659. *comitia edicit* Pisonium: *quid hic actum sit.* §. XVIII.

Inquies, ea comitia consequitur: noua Leopoldus, *anno* 1662. *indicit: eorum actus turbulenti:* Wagneri *verbis recitantur.* §. XIX.

Temporum inde sequutorum, calamitosus habitus: vicennalis fere comitiorum cessatio: coeunt postliminio an. 1687. *quid ea voluerit Cæsar:* Ordinum *adsensio: & propensio in* Domum Austriacam: *Decretum* Andreæ II. *parte quadam, antiquatum.* §. XX.

Fuere ea vltima Leopoldi *comitia: eo mortuo, tumultuabatur adhuc Hungaria: sedandæ ei comitia,* Pisonium, *anno* 1708. *indicit,* Iosephus: *regiæ litteræ.* §. XXI.

Ratio reddendarum Statibus litterarum, impedita: Paulli Eszterházii, *Palatini, ad Rákóczium, in eam rem epistola: ferox* Rákóczii *responsum: atque eius epilogus, extra modum insolens.* §. XXII.

Palatinus, comitia exorditur: Commissariorum, ad vrbem aduentus: Cæsaris, per eos factæ postulationes: conceptis ipsorum verbis recitantur. §. XXIII.

Comitiorum Pisonienſium *occupatio: a* Rákóczio *redditur irrita: eius clades:* Iosephi *vigilantia:* Hungarorum *ad comitia nuncii, & horum inanes postulationes:* Cæsaris, *in perduelles, seueritas: quid ea profectum sit: seditionis reliquiæ, pace sopiuntur,* Iohannis Pálffii *opera: moritur* Iosephus: *succedit* Carolvs. §. XXIV.

Eius, in refouenda Hungaria, *sollicitudo: indicit, anno* 1712. *comitia: iisque interest, & sumit diadema: ingruente pestilentia, conuentus is dissipatur, biennio post redintegratur: regiæ litteræ: quid longis adeo comitiis sancitum:* Elisabetha, *Caroli coniux, in reginam inauguratur:* Nicolaus Pálffy, *in Palatinum sublegitur.* §. XXV.

Belli Turcici, *&* Siculi, *tempestas: comitia prorogat: hostibus vndique triumphatis, indicuntur anno* 1722.: *affirmatur feminea* Domus Austriacæ, *successio: communi omnium plausu, accipitur: designantur legati, qui hanc Ordinum voluntatem, Cæsari nunciarent: eorum nomina.* §. XXVI.

Viennam hi accedunt: & ad Cæsarem admissi: quid afferrent nuncii, Csákio *interprete, expromunt: eius, ad Cæsarem oratio:* Cæsaris *responsum, longe benignissimum: itur ad* Augustam *quoque, &* Archiduces *filias.* §. XXVII.

Reduces legati, rem gestam, ad Ordines *referunt: & Cæsaris aduentum, nunciant: mittuntur ei obuiam, e Statibus: duce,* Gabriele Erdődy: *eius ad Cæsarem oratio: breue, sed benignum, Cæsaris, responsum: subit vrbem, & arcem: pompa, & concursatione, extra modum insigni.* §. XXVIII.

Quid Status *vellent, Cæsar, interprete* Nicolao Illyésházio, Cancellario, *exponit: fit comitii initium, lege, de successione feminea perlata: eius verba: Cæsar, quibus sanctionibus, gratum, erga Ordines, animum, testatus sit: decreta reliqua:* Septemuiralis, *&* Tabula Regia *Iudiciaria: Tabulæ* districtuales: *quæ se, in his decernendis, difficultates ingesserint.* §. XXIX.

Anni 1728. *& sequentis, comitia: eorum moderatores: quid postularit Cæsar? consultationum remoræ: decreta.* §. XXX.

Comitiorum hæ celebritates, an sint vtiles Pisonienſibus? *hospitiorum metatio: tranquilla, comitiorum tempore, sunt omnia.* §. XXXI.

Iura ciuitatis Hungaricæ *collata in comitiis: instituti eius vetustas:* S. Stephani, *in eam rem, decretum:* Matthias, Venetos, *&* Polonos, *excludit a iure ciuitatis Hungaricæ: postea* Alberto Laszky, *ægre excepto.* §. XXXII.

Ius ciuitatis impertiri, Statuum *est &* Ordinum: *suum id facere voluit* Ferdinandus I. *quæ res, nouæ sanctioni locum fecit: numero ciuium istiusmodi inualescente, ius consimile sibi paciscuntur* Status: *constituunt eidem beneficio, pretium* mille aureorum: *sed multis etiam impertiuntur gratuito.* §. XXXIII.

Catalogus eorum, qui ius ciuitatis Hungaricæ, duobus retro seculis, obtinuerunt. §. XXXIV.

§. I.

Prima Comitia, *Pisonium indicit* Sigismundus:



PRimus, qui COMITIORVM, apud *Pisonienses*, solemnitati initia dedit, SIGISMVNDVS fuit. Geminum is conuentum, in vrbe nostra celebrauit: alterum quidem, anno MCCCCXI. die *B. Francisco* festo; alterum, anno MCCCCXXXV. octauo *Idus Martii*. Vtriusque sanctiones, in regum decretis leguntur. ex quibus, de comitiorum caussis, atque habitu, possis colligere. Post eius tem-

post eum, Iohannes Coruinus:

pora, IOHANNES *Coruinus*, regni gubernator, vt LADISLAVM posthumum, ad capessenda sceptra, post longam FRIDERICI III. cunctationem, *Viennæ*, in vrbem nostram deduceret, comitia, ingenti procerum & nobilitatis celebritate, *Pisonium* indixit. Habuimus eius rei supra *(h.)* mentionem. quam heic iuuat recoluisse. Diu Hungari *Ladislaum*, sed irritis precibus, ex *Friderici* tutela, repetebant, vt

eius rei occasio:

regnum, quod *Coruinus* octauum annum, feliciter non minus, quam fortiter gubernauerat, tandem adiret. Euictus, ad vltimum, *Cæsar*, regem puerum, Austriacis primo omnium, reddit. Aduenere illico *Hungari*, in primisque *Coruinus* gubernator. quem honestissimus procerum nobiliumque ordo, sequebatur, vt Regi suo, tutela egresso, debitos honores, & legitima obsequia, persoluerent. Frequentissimus ergo, *Viennæ*, Hungarorum, Bohemorum, & Austriacorum, conuentus agitur. Primus, post LADISLAVM, in concilio locus, *Coruino*, regiis exculto insignibus, adtribuitur. Multa illic,

Viennensis Conuentus, & Ladislaus posthumus, *reddendus Hungaris:*

arbitratu *Vlrici Comitis Ciliæ*, agitata sunt. At, vbi de regnorum salute, & vniuersæ reipublicæ, quæ LADISLAO fide obstricta erat, administratione deliberari cœptum est; *Coruinus*, salutato, facunda oratione rege, gubernatione Hungariæ se abdicat. *Nunc*, inquit, *(i.) quando sat fausta Tua indoles, præcoxque sapientia, Te regno maturum pollicetur, & Turcarum bella, maioribus sunt viribus & adparatibus ineunda; me quoque, graues perpetuique labores, iam effœtum reddidere: in primis, quia tempus est, & ius id postulat, vltro me gubernatoris munere abdico; vero domino, legitimoque Regi, delegatam mihi potestatem resigno; in priuatam me vitam redigo; ius omne meum, fortunarumque mearum, Tibi hodie, LADISLAE! dedico; & ita, dedicationis meæ testem, sanctissimum hunc conuentum esse iubeo, vt Tua maiestas, perpetuo Coruini iure potiatur.* Coruini hæc oratio, eo apud Regem valuit, vt collaudata eius fide, atque in defensando regno, fortitudine, Comitem eum *Bisztriczіensem*, (prouincia est Transiluaniæ) crearit; perpetuum regni gubernatorem esse iusserit; atque,

h.) In Historia vrbis, Cap. III. Periodo Hungarica, §. XXXVI. p. 161. & sequentib.

i.) Lege omnino, integram, *Ioannis Coruini*, orationem. apud BONFINIVM, Dec. III. p. 480, 45. & p. 481, 43.

que, in basilica *S. Stephani*, sublimiore de solio, traditæ dignitatis insignibus *(k.)* decorarit. Tunc, *Hungari*, & *Bohemi*, Regis aduentum, conceptissimis precibus flagitare, certatim fidem voluntatesque, obstringere. Datum id rogationi *Hungarorum* est, vt ad eos primum, ad Bohemos postea, proficisceretur. Præstituto, regalis aduentus, die, *Pisonium*, conuentus a *Coruino* indicitur. Coiuere frequentes, Regemque suum ingenti plausu, & faustissimis proclamationibus, accepere. Festi, ob regis, aduentum, plures hic dies exacti, in publicæ lætitiæ documentum. Ista Comitiorum *Pisoniensium*, quæ tunc indicta erant, occasio fuit. Decreti sententiam supra *(l.)* in compendio recitauimus. Hic clausulam adiecisse, non ab re fuerit. Ita vero habet: Nos *igitur*, *acceptis Articulis prænotatis, maturaque super iis deliberatione præhabita, eosdem admisimus, atque super primo eorundem, solito more, regale corporaliter præstitimus iuramentum. Quoad secundum vero, Nos ab eisdem omnibus simile iuramentum suscepimus, super fidelitate & obseruantia, nobis obseruari debentibus. Ceteros autem omnes supra descriptos Articulos, & singulum eorum inuiolabiiliter obseruari, complere & exsequi, promittimus & volumus cum effectu. In quorum omnium testimonium, præsentes litteras nostras, eidem Vniuersitati duximus concedendas. Datum* POSONII, *in festo Beatæ Dorotheæ Virginis & Martyris: Anno Domini, Millesimo, Quadringentesimo, Quinquagesimo Tertio: Regni autem nostri, anno Tredecimo.* Aduertat hic lector, annum regni, eundem, cum ætate regis, hoc est, *decimum tertium*, designari, quod argumento est, tenellum adhuc, & ipso natalis sui anno, hoc est MCCCXL. diademate regio fuisse redimitum: id quod, nescio quis, dubium reddere nitebatur; contra fidem publicam, & optimorum auctorum. Proinde, non inaugurandum, sed adstringendum sacramento, censuere Hungari: *Quod regnum suum Hungariæ, cum suis regnicolis, in omnibus & singulis iuribus, libertatibus, ac legibus, & adprobatis consuetudinibus, inuiolabiliter conseruabit: in quibus prædecessores sui, puta Dominus* SIGISMVNDVS, *Imperator auus, & Dominus* ALBERTVS *pater, idem regnum, & eius regnicolas, tenuerunt & conseruarunt. Et, quod metas regni Hungariæ non alienabit; sed pro posse defendet, & alienata recuperabit.* verba sunt decreti. *(m.)* Itaque, tantundem breui isthoc comitio actum est, ac si diademate regio, iterum fuisset redimitus LADISLAVS: alioquin, iurata fide, neque Regi opus fuisset, neque Ordinibus. Nusquam enim legas, reges, iureiurando adfirmasse comitiorum decreta: quippe quod, tunc dicere moris est, cum in reges inaugurantur.

venit ad comitia Pisonium:

eius decretum:

& iuiurandum.

§. II.

k.) BONFINIVS. l. c. p. 482, 17. *Gentilia Corui, confirmauit insignia; & cum ruentem Hungariæ Coronam, fortitudine sua sustinuerit*, ardui leonis, diadema regium subeuntis, *insignibus donauit.* Aequum visum est, hæc adnotauisse, vt obuia passim in ruderibus, *Coruinorum* insignia, dignosci possint.

l.) Periodo vrbis Hungaricæ, siue, Cap. III. §. XXXVI. pag. 162.

m.) Articulo I.

§. II.

Comitia, post cladem Mohácsiensem, Pisonium inaita:

ABiere hinc, anni propemodum septuaginta tres, dum Comitiis denuo honestaretur *Pisonium*. Funesta ea fuere, quia post Lvdovici II. cædem Mohácsiensem, a Maria vidua, cohortante Palatino *Stephano Báthory*, pertinacissimo Johannis *de Zápolya*, æmulo, eodem, quo is inauguratus fuerat, anno MDXXVI. in mensem Decembrem, isthuc indicta. Conuenere, tanta frequentia, proceres, quantam in ea calamitate, & diuersissimis hominum studiis, vix futuram credidisses. Nempe, fauebant, Ferdinando, præter Palatinum, *Franciscus Battyány*, Dalmatiæ, Croatiæ & Slauoniæ prorex; *Valentinus Eningius*, cognomento *Török*, *Vrbanus Battyány*; *Balthasar Bánffy*; *Ludouicus Pekry*; *Stephanus Gyulanus*; *Caspar Zobor*; *Emericus Vargyasi*, propalatinus; *Thomas Nádasdy*; *Nicolaus Oláh*, Albæ Regiæ, & *Albertus Peregus*, Quinqueeccleſienſis, præpositi; *Caspar* item *Seredy*, & *Franciscus Nyáry*: qui postea omnes, a munificentissimo principe, vti promiserat, honores & opes amplissimas consequuti sunt. Accessit his, *Alexii Thurzonis* opera, sed profecto, fide emtitia, *Petrus Perény*, *(n.)* posteaquam, diadema, inaugurando Johanni, suo in custodia coronæ collegæ, commodauerat. Enim vero, quemadmodum

qui procerum interfuerint:

Pretio parata, vincitur pretio fides.

inquiente Seneca *(o.)*; ita, turpissimi huius vitii, vix in quoquam alio, quam in *Perénio*, historia Hungarica, consummatius promserit exemplum. Ceterum, aderant iisdem comitiis, vrbium quoque liberarum aliquot legati, nobiles item e vicinia, viri, non plane nulli. Horum ergo, cum singulorum, tum omnium suffragiis, ex pactorum anni MDXV. præscripto, absens Ferdinandvs, *Annæ*, regis *Wladislai* filiæ, maritus, Rex declaratus est, magna publicæ lætitiæ significatione, atque mirifico omnium, qui aderant, plausu. quem tormentorum festiuus fragor comitabatur: antiquata, iam ante, Johannis inauguratione: quod ea, sine *Palatini* suffragio, & contra legum institutum, illegitimis comitiis, decreta esset a sui sequacibus. His comitiis, inquit Istvánfivs *(p.)*, Ferdinandvs *Rex Pannoniæ, declaratus est, cum ea antiqui iuris regula, eiusque interpretatione, vt quum comitia a Palatino, cuius officii prærogatiua id ante omnes alios incumbat, indicenda fuissent, isque prima & potiora suffragia, creando regi habuisset, quæ de veteri regni more, atque legibus, exquirenda fuissent;*

Ferdinandus *absens, Rex declaratur:*

n.) Istvanffyvs Lib. ix. p. 137. Petrvm, inquit, Perenivm, *prillina inconstantis animi ambitione, atque auaritia laborantem, promisso ei*, Alexii Turzonis *opera, oppido & arce* Sáros-Patako, *(quod ille vehementer expetebat, vt ab vtroque rege consequeretur, eaque de causa, talem quæstum fœde exercebat) ac simul Transiluaniæ præfectura, Regina, & Palatinus, ad* Ferdinandi *partes, traduxerunt.*

o.) Agamemnone, versu 285.

p.) Loco cit. p. 137. 23. Adde, Iohannis Zermegh, Historiam Rerum Gestarum, inter Ferdinandvm, & Iohannem. p. 13. & 17.

sent; id tamen totum, in eligendo Iohanne, *neglectum esset; ideo, eum vitio creatum, eiusque acta omnia, irrita esse, omnesque & singulos, qui intra quadragesimum diem, desertis eius partibus, ad officium redirent, ab illius obsequiis absoluendos. Qua in lege constituenda promulgandaque, mirificum exstitit studium,* Francisci Révaii, *qui erat Palatino a secretis, viri acerrimi, ac, quod caput erat, partium studiosissimi, & municipalium legum peritissimi.* Neque aliud eius comitii decretum, in litteras relatum est; forte, quod sufficiebat, his factionibus, sanguine inundauisse Hungariam. Ferdinando interim, non adfirmata modo fuit ea electio, sed, datæ etiam, a Regina, & Palatino, litteræ, ne cessaret occasione, & *Hungarorum*, in capessendo regno, fauore vti, atque iura, quæ in regnum haberet, sua facere. Nec cunctatus Ferdinandvs, sceptra, quæ sibi delata videbat, forti animo capessiuit: quod suo loco expromsimus.

§. III.

Frequentia inde comitia Pisonii *agebantur:*

PRofligato, ad Tokaium, Iohanne, ac prorsus eiecto ex Hungaria, regnum Ferdinando, haud sine reipublicæ Christianæ clade, adsertum est. Quæ res, frequentibus comitiis, *Pisonii*, more inualescente, celebratis, occasionem præbuit. Siue enim deliberaretur de bello; siue, pacis agitarentur consilia, isthuc, iubente rege, plerumque, *Ordines* conueniebant. Primum Ferdinandvs concilium, anno MDXXXVI. ad idem *S. Elisabethæ* sacrum, indixit. Huc, vbi frequentes ex omni ordine, conuenerunt *Hungari*, eas in primis leges ferendas rebantur, quæ ex illius tempestatis ingenio, reipublicæ velificarentur. Summa huc redibat; ne regnum, pace, inter Ferdinandvm, & Iohannem reges, inita, sine procerum consensu, diuideretur; miles, stipendia merens, disciplina militari, contineretur in ordine; occupata, ciuili bello, bona, possessoribus, quorum essent, procul omni mora, redderentur; violentiæ omnes, sine cessatione, iudicarentur; Archiepiscopi Strigonienſis, & quem vocant, *Locumtenentis*, auctoritas, consiliariorum item electio, redintegrarentur; iurisiurandi vinculo obstringerentur *Comites*, remque, ex iusti & æqui præscripto, administrarent; *Status* & *Ordines*, pro rege & patria, cum quarta colonorum parte, militarent; miles classiarius, *Naszadistas* vocant, perpetuo aleretur; coniurationes omnes, dissuerentur, abrogarenturque; extra *Hungariæ* fines, iuri se sistere, teneretur nemo; publica regni munia, ciuibus, haud vero alienigenis, conferrentur; Vrbes Montanæ, Tricesima Pisonienſis, & Episcopatus Jaurienſis decimæ, a Regina Maria vindicarentur; nihil nouorum vectigalium institueretur; recolerentur fines regni; Pisonivm, *procurandæ reipublicæ sedes statueretur;* Rex in Hungaria degeret; & quæ minoris momenti fuere, *cetera.* Iisdem comitiis, *(q.)* tributum

quando prima indixerit Ferdinandus:

sanctiones tunc perlatæ:

q.) Articulus xx.

tum ea lege deſtinatum regi fuit, ſi is bello aduerſus *Turcas*, diſtineretur; ſimul quoque diætam ei fini, anno ſequente, ad *S. Iacobi* diem conuocandam ſtatuerunt *Ordines*. Et comitiorum quidem celebrationem haud improbauit *(r.)* FERDINANDVS; diem tamen, ancipiti eo rerum ſtatu, præſtituere, haud voluit: tametſi poſtea, maturius multo, quam id optarant Hungari, eadem indixerit. *Piſonium* ſcilicet, anno MDXXXVII. euocati denuo, ad diem reſipiſcentis *B. Pauli*, frequentes confluxere. Duo præcipua, vti conſultationum, ita ſanctionum etiam, capita fuere: alterum, quemadmodum tributa, quæ Regi deſtinauerant *Ordines*, commode queant cogi; alterum, vt ea, fide adminiſtrarentur optima. Atque, a tributis quidem nemo immunis *(s.)* pronunciatus eſt; ſed nec *prælatis (t.)* atque *plebanis* parſum: cenſui vero percipiendo, ex ordine procerum, *Capitaneus Piſonienſis*, ex nobilibus autem, *Franciſcus Forgách*, deſignati ſunt. Eodem hoc comitio, iura regni denuo confirmata fuiſſe, epilogus ſanctionum loquitur: vt minutiora quæque taceamus.

nouum, anno 1537. comitium; & huius deliberationes.

§. IV.

Sequutis temporibus, creberrimi apud Piſonienſes conuentus:

POſtea, tota FERDINANDI ætate, quam is vsque in annum MDLXIV. produxit, nihil *Piſonii*, præter frequentia comitia, dignum memoratu geſtum fuiſſe, reperio. Quia enim, IOHANNE, rebus humanis exemto, quod anno MDXL. euenit, moles belli, in *Budam* hinc, illinc in ſuperiorem Hungariam incubuit; *Piſonio* quædam quaſi halcyonia obtigerunt, vt & tuto hic concurri potuerit, & ſuſcipi obirique, reipublicæ procuratio. Anno MDXLII. die, qui *Sanctis Omnibus* ſacer eſt, cum iam ante, *Neoſolii*, ad diem *B. Valentini*, conuentus actus fuiſſet, quod illic ſancitum fuerat, nouo *Piſonii* comitio, recognoſcebatur roborabaturque. Aberat vtrinque FERDINANDVS, vt res per legatos adminiſtrari debuerit. Multæ tunc, aduerſus ſeditioſos, duræque leges latæ; caput rogationum iſtud fuit; vt, quæ erant bello neceſſaria, decernerentur, atque dignitas *Palatini*, quæ iam pridem vacare cœperat, iuſtis ſuffragiis, inſtauraretur. Prius illud, nullo negotio confectum eſt, quod conſilia, imminentis periculi magnitudo, admaturauit. Sed, *Palatini* electio, & multum temporis abſtulit, & contentionis dedit plurimum. Alii enim, neceſſariam eſſe dictitabant; neque id negabant alii; ſed, quod Rex, corrogandis auxiliis in Germania verſaretur, eſſentque complures, qui tanti muneris ambitu, clancularíis molitionibus, diſtinerentur; præualuit eorum ſententia, qui rem diuerſiſſimis impeditam ſtudiis, in aliud tempus reiicerent. Interim, ne quid auitæ libertati derogatum credi poſſet, *Pro-Palatinum*, qui iuri dicendo cum poteſtate præeſſet, vnanimi

anno 1542. ſanctiones Neoſolienſes, iſthic recognoſcuntur:

feruntur item leges aduerſus ſeditioſos:

Palatini electio ſuffla-minatur:

r.) Ibidem Articulo XXI.

s.) Vide Articulos, V. & VI. vbi & *ruſticos*, qui domos nobilium, ſiue *curias* habitabant, cenſos fuiſſe, legas.

t.) Legitur id in Articulis, XV. XVI. & XVII.

nimi omnium voto, creant. Fuit is *Franciſcus de Révva*, vir, iuris ſcientia, & in regem fide, vix vlli ſecundus. Additi duumuiri, quorum alter *Vice-Palatinus*, alter *Protonotarius* dicitur. Huius eſt, forenſes actiones, audire, excutere, diſputare, & latas ſententias, referre in litteras; illius contra, vicaria, in iudiciis munia, obire. Vtrumque ipſe *Révaius* legerat; puta: *Georgium Rakowſzkyum*, Thúróczienſem, & *Damianum Aranyiadium*, ſigillo huic, de more, tradito. Sanctiones reliquæ huc pertinuere; vt non domi modo, iuri dicundo aſſidue vacaretur; ſed militiæ quoque, omnia ex legum præſcripto, adminiſtrarentur; cogerentur tributa; fierent, vetuſto ritu, delectus. Tunc primum lex *(u.)* perlata fuit, ne liberis regiisque vrbibus integrum ſit, vicos ruſticanos, quoquo modo, ditioni ſuæ adiicere; *(v.) reliqua*. Poſt ea comitia, *Neoſolii* iterum, mox & *Tyrnauiæ*, conuentus acti, dum anno MDXLVI. *Piſonii* coiretur. Palam tunc *Ordines* profeſſi ſunt, haud omnino regis, quem anno ſuperiore, morbus ab expeditione in hoſtem, reuocarat; ſed ſuorum peccatorum culpa, e ſeruitute *Turcica*, nequiſſe adhuc eliberari *Hungariam*. Quocirca, dandam eſſe operam, vt placato numine, omnibus viribus in bellum incumbatur, neruus ei gerendo, ex tributis comparetur; nobiles, regem in hoſtem moturum, viritim ſequantur; neque omittatur quidquam, quod tantis conatibus fuerit neceſſarium. Quin & id rogauere *Status*, ne, ſi pacem conciliare voluerit FERDINANDVS, id ſine conſiliariis *Hungaris* occipiat. Elaborandum præterea, vt cum rex, & gens vniuerſa, bello occupabitur; domi quieta ſint omnia. Ergo, violentiæ, rapinis, & publicis maleficiis, proponendas eſſe pœnas; celebranda iudicia, *Piſonii* & *Leutſchouiæ*. Conſultum præterea, cum reditibus regiis, qui ex *Triceſimis* fiebant; tum *Polonorum* etiam, *Sileſiorum* & *Hungarorum*, mutuis commerciis.

Creatur Pro-Palatinus, Franciſcus de Révva:

Sanctiones reliquæ.

§. V.

EAdem hæc capita, biennio poſt, *Piſonii* recognoſcebantur iterum, cum anno ſuperiore, *Tyrnauiæ*, nouis ſanctionibus fuiſſent locupletata. Additæ fuerunt leges, quibus inſtaurandæ religioni conſulebatur: quorſum, *Concilii generalis* celebrationem pertinere, exiſtimabant *Ordines*. Sed, *Palatini* electio, alii tempori adſeruata eſt. Reliquum, quod in commune, iisdem comitiis, conſulebatur, eo ſpectabat; vt legibus vigor, ſuum cuique, atque iſtis præſidiis, pax vniuerſæ patriæ, mutuaque animorum, hoſte adhuc furente, conſociatio procuraretur.

Eadem hæc capita, biennio poſt, iteratis comitiis, adfirmantur:

Neque alia, comitiorum anni MDL. ratio fuit. Quia enim, iisdem adhuc morbis reſpublica laborabat, eandem admoueri medicinam, oportuit. Iſtud peculiare fuit, quod non regis modo, quod

comitiorum anni 1550. ratio:

u.) Articulo XXXIII. Eo, quod id, cum fiſci regii detrimento, coniunctum putabatur: neque enim emoriuntur communitates, ſicuti fit in familiis.

v.) Comitiorum hiſtoriam, lege, apud ISTVANFFYVM. Lib. XV. p. 254.

factum alias sæpissime fuit; sed *Archiducum* quoque præsentiam in Hungaria, obsequentissimis precibus, a FERDINANDO, Ordines exorauerint: *Maximiliani* in primis, qui tunc in *Hispania* agebat. Decreta, & legum patriæ reformatio fuit; prouisum auctoritati & reditibus episcoporum; redintegrata libera colonorum migratio; atque, vt reliqua sileamus, iuri dicundo, dies locusque definitus est.

actus conuentus anni 1552.

Vix biennium abierat, cum anno MDLII. die festo *Cathedræ B. Petri Apostoli*, iussu FERDINANDI, ad noua comitia *Status* coiuere. Euocabatur ad ea *Frater* quoque *Georgius*, quocunque id demum consilio. Litteræ, quas in eam rem, ad *Georgium* exarauerat FERDINANDVS, sic habuere:

euocatur ad eum, Georgius Monachus:

„ FERDINANDVS &c. Reuerendissimo „ in Christo Patri, Georgio, S. R. E. Cardinali, „ Episcopo Varadiensi, Locumtenenti Vaiuodæ, & „ Thesaurario nostro, in Partibus Regni nostri Tran„ siluaniæ, Siculorum nostrorum Comiti, Amico no„ stro dilecto, salutem, & sincerum beneuolentiæ „ nostræ affectum. *Reuerendissime in Christo Pater! Quum nos fidelibus nostris Ordinibus ac Statibus istius Regni nostri Hungariæ, generalem Conuentum, pro festo Cathedræ S. Petri Apostoli, proxime futuro, Posonium indixerimus; ad quem locum & diem, Deo volente, personaliter* Nos *quoque, Conuentui ipsi præfuturi sumus; velimus autem, prius quam regnicolis ipsis, quidcunque in eo Conuentu proponeremus, cum Paternitate Vestra, & aliis fidelibus consiliariis nostris, aliquot ante diebus, ibidem Posonii, nonnulla tractare & conferre. Hortamur itaque eandem, vt ad festum Valentii, proxime futurum, Posonium ad Nos veniat, & tractatibus huiusmodi, per Nos, vobiscum, & cum aliis consiliariis nostris, faciendis, tandemque prædicto Conuentui interfit. Datum Viennæ, XII. Mensis Decembris, Anno D. MDLI.*

sed euentu irrito, ob sequutam eius cædem:

Sed litteras *Georgius* haud accepit, quod decimo septimo *(x.)* eiusdem mensis die, *Castaldi* insidiis, sublatus e viuis est. In Comitiis interim, multæ prolixæque gratiæ Regi sunt habitæ, quod *Transiluaniam*, in pristinam Hungariæ ditionem vendicauerit. Decretum aduersus irrupturos Turcas bellum, eique administrando, subsidia: abrogatæ *Isabellæ* donationes: ecclesiastica non minus, quam ciuilia iudicia, constituta: & quod sanctiones, sine *Palatino*, plerumque hactenus in irritum

x.) ISTVANFFYVS, Idus Decembris fuisse memorat, Lib. XVII. pag. 310, 8.

y.) Articulo XXIV. Quid præterea, iisdem comitiis actum sit, legesis apud ISTVANFFYVM, Lib. eodem p. 320, 14.

ritum ceciderint, tandem, consensione vnanimi, creandum *(y.)* eum magistratum, placuit.

comitiis anni 1554. Thomas Nádasdy, in Palatinum sublegitur:

Quæ hinc anno MDLIV. ad Calendas Martii, diæta sequuta est, tota ea bellicis curis, absoluebatur. Iam comitiis finis erat impositus, cum *Ordines*, quod & *Franciscus Ujlaky* Episcopus Iaurienſis, & cognominis ei, *Réuaius*; quorum ille *Locumtenens* regius, hic *Pro-Palatinus* fuerat, e viuis excesserant; vti *Palatinus*, nuperis etiam comitiis efflagitatus, tandem crearetur, impensius adurgere. Atque, dedit omnino æquissimis precibus locum FERDINANDVS, sublectusque fuit, ad eam dignitatem, communibus omnium suffragiis, THOMAS NÁDASDY, vir consummatæ virtutis. *Interrogauit* Michael Mereius, *regni prætor*, scribit ISTVÁNFFIVS, *ecquem vellent, nominarent Palatinum, qui demum a rege confirmaretur. Tres nominauere, ex proceribus, viros graues, industrios, pace belloque præstantes:* Franciscum Battyánium, Andream Báthorium, & Thomam Nádasdium. *Sed duo illi;* Battyánius *quidem ingrauescente senecta, ac deficientibus viribus;* Báthorius *vero, continua inclementique podagra, quæ omnes eius artus, & membra distorserat, verissimis allatis caussis, sese excusauere. Nec Nádasdio defuere subterfugia: fessum se laboribus, corpore debilem, & si quid hostile ingruat, equitandi inualidum, & quietem præoptare: ei magistratui, multos labores, maximas curas, incredibilem negotiorum molem, domi forisque adnexam; quibus ipse ferendis impar sit. Victus tamen postea, singulari prece nobilitatis, ac vniuersi populi, inter venerantes gratantesque contribules, & prouinciarum legatos, pulcherrimo ordine, visuque & auditu, magnifico comitatu, ad* FERDINANDVM, *ex vrbe, in arcem Posonienſem, perductus est. a quo benigne habitus, ac amplissimo eo in honore confirmatus, iuri æqualiter dicundo administrandoque, sacramentum dixit.* Hæc ideo *(z.)* adscribere libuit, quod ritum eligendi *Palatini* exhibent.

quid comitiis anni 1555. gestum sit:

Palatino, vti diximus, inaugurato, dies iterum comitiis, a FERDINANDO, ad *B. Iohannis Baptistæ*, festum, anni MDLV. præstitutus est. Cum frequentes conuenissent *Ordines*, precibus cum FERDINANDO egere, ne sua absentia, regni reliquias, *(a)* pessundari sinat; sed, aut ipse, intra fines *Hungariæ*, habitet; aut, id si nequeat fieri, MAXIMILIANVM, iam tum Bohemiæ regem, secum relinquat; rapinas inhibeat; atque *Palatino*, vti pro muneris ratione, in nefarios quosque, seuere aduertere queat, benigne indulgeat. Definiti hinc, publicis iudiciis, dies; quorum alterum, die *S. Michaelis, Pisonii; Cassouiæ*, octauo post *Epiphanias Domini*, alterum, instituendum sit: quin illud quoque decretum, vt exercitus perpetuus, idoneis locis, aleretur; neque tamen, si res posceret, publica, quam vocant, *insurrectio*, ea propter antiquaretur; retunderentur violentiæ; damnaque, a stipendiario milite, passim illata, sarcirentur. *Reliqua.*

z.) Exstant apud ISTVANFFYVM, Lib. XIX. p. 355, 25.

a.) Ita legas Articulo I.

§. VI.

Abeunt in consuetudinem, comitia, celebranturque iterum Pisonii, *anno* 1556.

IAm in consuetudinem, ob temporum calamitatem, abierat, singulis annis comitia agitari. Proinde, conuentum denuo est *Pisonii*, anno MDLVI. ipsis Calendis Ianuariis. Curarum præcipua fuit, vt limitaneæ passim arces, publicis sumtibus communirentur; æqua operarum ratio iniretur; expeditionum *generalium*, & *particularium*; alendi item cogendique militis, modus, ex nuperarum legum præscripto, teneretur. Hic, & migrationis colonorum libertas, iam ante indulta, prorsus constituta fuit. *Cetera.*

anno 1557.

Successere in annum MDLVII. ad Calendas Iunias, noua iterum comitia. Intererat iis Ferdinandvs, magna pietatis, cuius Istvánffyvs *(b.)* meminit, significatione. *Eo*, inquit, *die, quo Corporis* Christi *Dei, festum celebratur, Eucharistiam, a Nicolao Oláho, Archiepiscopo Strigoniense, summo cum honore circumductam,* Ferdinandus, *cum* Carolo *filio, & Palatino, totiusque aulæ proceribus, comitatus est; sparsente, ad eum, recentes rosas, Francisco Battyánio. Velum autem, seu vmbellam, gestauere: Iohannes Balassius, Christophorus Országius, Iohannes Choronius, & Christophorus Nádasdius.* Præter familiares superioribus diætis, sanctiones, legati, ad comi-

mittuntur, ad imperii comitia, legati:

tia Imperii Romani, auxiliorum in Turcas impetrandorum gratia, dimissi sunt. Fuere hi: *Franciscus Forgách*, nuper, ad Varadien, sem episcopen admotus; *Petrus Macedonius*, cubiculo regio præpositus; ac *Georgius Hoszszúthóty*, ærarii consiliarius. Ergo, Ferdinandvm præeuntem sequuti, *Ratisbonam* abeunt. Huc, vbi ventum est, admissi in splendidissimum principum consessum, *Francisco*, de regionis calamitate, de annorum superiorum cladibus, deque periculis, quæ ab hoste sanguinolentissimo, reipublicæ Christianæ, pararentur denuo, verba faciente, audientium quidem animos, facile ad miserationem, quin & amplissima promissa, permouerunt; sed, sicuti euentus docuit, exiguo operæ pretio: quemadmodum memorat

exiguo operæ pretio:

Istvánffyvs. Dignum admiratione est, in splendidæ huius legationis sumtus, *sexcentos* admodum *florenos*, a Statibus *(c.)* fuisse decretos; quod, vti frugalitatem legatorum, ita eorum temporum difficultatem, arguit.

querula anni 1559. *comitia.*

Querula hinc comitia, anno MDLIX. ad VI. Ianuarii, quæ est *Epiphania I. C.* insignis, concelebrata sunt. De iis historicus *(d.)*: Ferdinandvs, *Ordinibus Imperii, Augustam Vindelicorum, prima, suis auspiciis, comitia indixit, ad quæ, quum eundum ei esset, comitiis Hungaricis, quibus eundem fere terminum constituerat,* Maximilianvm *filium, regem Bohemiæ, præesse voluit. quæ magnis querelis, & clamoribus, fuere satis turbulenta, ob militum regiorum insolentias, quas in miseræ plebis fortunis, & facultatibus diripiendis, enormes & supra quam dici queat, crudeles, facere erant soliti. Ad extremum tamen, promissa subsidia,*

b.) Lib, xx. p. 381, 18.
c.) Eiusdem anni Decreto, Articulo v.
d.) Loco citato, pag. 383, 3.

sidia, & donum Mariae *reginæ, eius coniugi, honorarium, decretum est.* Ita se rem habuisse, sanctiones eiusdem comitii, non sinunt nos dubitare: quippe, in epilogo, ab ipso Rege, recognitæ.

§. VII.

Vltima Ferdinandi, *apud Pisonienses, comitia, inaugurando* Maximiliano *coacta:*

VLtima Ferdinandi, quorum ille XX. coëgerat, comitia, anno MDLXIII. *Pisonium* indicta fuere. Finis eorum hic fuit, vt inaugurato Maximiliano; quod *Thomas Nádasdius*, Palatinus, dum viueret, constanter renuerat; Ferdinandvs, securam filio, regiæ dignitatis accessionem, præstaret. Ac *Status* quidem, ad diem *S. Stephano* sacrum, regis mandato, confluxere. Tardius, & Maximilianvs, & pater Ferdinandvs, adfuerunt, quam quidem dies inaugurationi præstitutus fuerat. Vterque, quum adfuisset, per *Seldium*, voluntatis interpretem, quid Hungaros facere vellet, Caesar, exposuit. Dimissa ea concione, aliquot dies, variis disputationibus & contentione, vti habet Istvánffyvs *(e.)*, extracti fuere. Maior siquidem pars nobilitatis, *Palatinum* eligi postulabat; sine quo, coronationem, neque peragi posse, neque satis firmam futuram, putabat: submoueri etiam *Germanos* præfecturis, contendebat. Pars vero, qui principum postulata *(f.)* siue honesta sint, siue inhonesta, æque amplectuntur, id contra non esse nimis necessarium, dicebant; cum ex annalibus constare ferrent, sæpe numero, absente *Palatino*, coronationem peractam: nec illum, ad alia requiri, quam si regia sobole deficiente, alius rex esset deligendus: quo tempore, comitiis promulgandis, eum præesse, & prima, eligendo principi, suffragia habere, certum esset. De *Germanis* amouendis, posse, etiam post coronationem, statui. Extracta longius disceptatione, consensere tandem *Status*, vt inauguratio, solitis ritibus, perageretur. Et nos quidem coronationis, quæ prima *Pisonii* fuere solemnia, supra *(g.)* exhibuimus. Sed *Hungari*, post spectacula, quæ non sine omine exhibita fuere, ad publica negotia, ex more tractanda, cum accessissent, multis se difficultatibus implicuerunt: *frendente quippe nobilitate, & de iis, vti postulauerat, primum, & ante omnia fuisse accuratius consultandum, dicente: iam præpostera esse, quæcunque consilia, & sibi verba, vt hactenus semper, dari. Maxime tumultuatum est, de Germanis præfectis, quorum insolentia, per se grauis, adeo in dies toleratu difficilior reddebatur, vt plerique Hungari, si eas ferre amplius non possent, in Scythiam, vnde orti essent, redeundum sibi esse, superbe & arroganter, dictitarent. Sed* Caesar, *vti antea sæpe, vt meliori animo essent, hortari: illorum compescendorum, aut tollendorum curam polliceri; nec tamen remoti: quin auxere contumelias.* Verba sunt

quæ eam sunt sequuta:

István-

e.) Lib. xxi. p. 424, 32.
f.) Verba sunt eodem loco, Istvanffii.
g.) Eodem isto Cap. v. Articulo i. §. ii. seqq. Icona autem, æri scite incisam, vide retro, ad frontem pag. 75.

ISTVÁNFFII. *(h.)* Ac fuere ſane comitia, multa contentione turbida, & diuturna adeo, vt a *Sextili* menſe, vix ad dimidium *Nouembrem*, finem acciperent. Senatus conſulta, quæ in ea perturbatione animorum, edita fuerunt, in decretis leguntur. Hucusque FERDINANDEA comitia, quibus *Piſonium* inſigniter nobilitatum eſt, vidimus. iam poſtea, quæ iſthic celebrauit MAXIMILIANVS, recenſebimus.

§. VIII.

Prima Maximiliani *Comitia : anno* 1566. *moderante* Carolo *fratre :*

ATque prima quidem MAXIMILANI comitia, quæ anno MDLXVI. ad quartum Nonas Februarias, *Piſonium*, Rege, ob Auguſtanum conuentum, abſente, coiuerant, CAROLVS, Cæſaris frater, moderabatur. Satis in iis tumultuum & altercationum fuit; adeo, vt raro antea fuerint turbulentiora. Tametſi enim, omni reuerentia proſequuti fuerunt CAROLVM Hungari; tamen, cohiberi haud poterant, quin edito fremitu, acerbius quererentur; *cum Cæſaris abſentiam, tum nondum amotos præfecturis, vti ſæpius promiſſum fuerat, exteros homines; nec coërcitam militum inſolentiam; quin potius, multis partibus auctam:* ſicuti meminit ISTVÁNFFYVS *(i.)*. Poſuere tamen modum dolori, cum cernerent, ita res, & regis eſſe, & patriæ, vt ſine maleficio deſeri ab exteris, haud poſſint. Itaque, pollicentur ad vltimum, operam ſe regi, & regno, nauaturos; tributa promulgant; neque non *lucrum*, quod vocant *Cameræ*, exigendum ſtatuunt; aurum & argentum, regno euehi vetant; inſtaurant leges *inſurrectionis*, & quæ ad bellum pertinent, reliqua. Ne vero Marte furente, leges prorſus ſileant, publicis iudiciis *Piſonii* hinc, illinc *Eperieſini*, celebrandis, dies præſtituunt; colonos benignius haberi volunt, migrandi facultate, qua toties donabantur, libera iterum relicta. Supererant non pauca, quæ, ſeu ob MAXIMILIANI abſentiam, ſeu *Ordinum*, vti fatentur *(k.)* ipſi, paucitatem, diſputari, & in leges referri, haud poterant. Qua propter, noua iterum Comitia, ita volentibus *Statibus*, in annum MDLXVII. Calendis Iunii, MAXIMILIANVS, Piſonium conuocat. Multa heic, bimeſtri ſpatio, in commune conſulta ſancitaque fuere. Præcipuum fere negotium induciarum fuit, cum *Selymo*, Turcarum Imperatore, paciſcendarum. Nimirum, *Cæſar*, diuturni belli & detrimentorum, quibus regnum adflictari videbat, pertæſus; nec non *Schwendii* monitis, qui in ſuperiore Hungaria militabat, perſuaſus, honeſtam pacem, ancipiti bello præferendam, eamque a *Selymo* impetrandam, ſtatuit. Itaque, re in comitio, publicis ſuffragiis comprobata, *Antonium Verántium*, Epiſcopum Agrienſem, antea quoque eo munere functum; atque ex Germanis, *Chriſtophorum Tieffenbachium*, legatos *Byzantium*, cum muneribus & pecunia mittit. Eo intellecto, *Selymus*, exercitum, quem in Pannoniam deſtinauerat, quique iam in

turbulenta & difficilia :

eorum ſtatuta :

redintegrantur anno 1567.

quid tunc decretum fuerit :

Verantii ad Selymum legatio :

h.) Ibidem, p. 426, 17.
i.) Libro XXII. p. 462, 49.
k.) Articulo XXVIII.

in itinere eſſe dicebatur, reuocauit, *Iohannique Sigismundo*, vt poſitis armis, quiete ageret, in mandatis dedit. Legatis, *Byzantium* accedentibus, pax, non multo poſt, in annos octo conficitur, Tranſiluano ſimul, eiusdem legibus illigato. quæ eædem prorſus erant, quibus antea, cum *Solymanno*, conuentum fuerat. Conditionum præcipua fuit, *vt ſibi id quisque retineret, quod eo bello cepiſſet.* Quæ res, partibus *Cæſaris*, quas amplis & latis terrarum ſpatiis, auctas fuiſſe conſtabat, haud modicum commodum, *(l.)* adtulere. Sanctiones ceteræ, ſuperiorum annorum fuerunt quam ſimillimæ. quas eius anni decreta exhibent.

pax cum Turca octennalis.

§. IX.

Comitia anni 1568. *dilata quæ ob cauſſas :*

INduciis confectis, & ex more promulgatis, noua iterum comitia, anno MDLXIIX. Cæſar *Piſonium* indixit; in quibus *Verántium*, legatorum Conſtantinopolitanorum alterum, *Nicolao Oláho*, Archiepiſcopo Strigonienſi, vti laboris daret præmium, ſuffecit. De his accipiendus eſt ISTVÁNFFYVS *(m.)*: *Paullo*, inquit, *poſt, dies comitiorum, quæ Pannoniis Poſonium indicta erant, datis a Cæſare Ratisbona, litteris, in annum ſequentem, certas ob cauſſas, dilata eſt: quarum ea erat præcipua, quod nonnullos nouarum rerum cupidos, clancularius cum Tranſiluano collatis conſiliis, partim ſuopte ingenio, partim irrequietorum procerum impulſu, ſecreto aduerſus ſe, conſpiraſſe didiciſſet.* Ergo, anno demum MDLXIX. comitium illud, ad Calendas Auguſti, *Piſonium*, inſigni quidem Ordinum frequentia coiuit; ſed, quorum ſtudia, eædem hæ, quas diximus, molitiones, ſuſpectas *Cæſari* fecerant. Proinde, ne virus communicaretur latius, iisdem illis comitiis, *(n.)* in reos aduertitur. Fuere hi, *Stephanus Dobó*, ſeruatæ Agriæ laude clarus, & *Iohannes Balaſſa*, vir militaris, at, naturæ vitio, nouarum rerum percupidus. Longus eſt, in ediſſerenda conſpirationis ſerie, ISTVÁNFFYVS. Res omnis huc redit. *Iohannes Sigismundus*, miſſo, ſub ipſum octennalium induciarum initium, *Georgio Botskaio*, Dobonem primum, & Balaſſam, promiſſis ineſcatos, tum & alios, in partes ſuas pertraxerat. Serpebat clandeſtinum malum; ſed nequiuit tamen ad eum modum occultari, quin *Cæſari*, pluribus indiciis, detegeretur. Ergo, in eam curam incumbendum fuit, vti, ſine armis, aut ſeditione, in caſſes pellicerentur nouarum rerum auctores. Succeſſit conſilium, expoſitaque in publico comitio, coniurationis ſerie, *Dobó*, & *Balaſſa*, capiuntur; nil quidquam diſſentiente Senatu Hungarico. Hinc illa *Statuum* excuſatio manauit: quæ eius anni decreto *(o.)* legitur: *Supplicant Status & Ordines regni, Sacræ Suæ Maieſtati, quam poſſunt, humillime, nolit ex prauo & peruerſo nonnullorum animo, ceteros ſuos fideles æſtimare; qui tantum abeſt, vt illorum*

nouarum rerum auctores, Dobó & Balaſſa:

publico anni 1569. *comitio, capiuntur :*

l.) Vide ISTVANFFIVM Lib. XXIV. p. 506, 45.
m.) Ibidem p. 507, 37.
n.) Idem loco cit. p. 507, 38.
o.) Articulo III.

rum ſimiles ſeſe arbitrentur, aut haberi velint; vt potius, ſinceram fidem firmamque conſtantiam Maieſtati Suæ Sacræ, in proſperis pariter, & aduerſis, nullo non tempore declarare ſtuduerint, nullisque aduerſariorum practicis & ſollicitationibus, locum vnquam dederint. Reliqua conſultationum capita, eo potiſſimum referebantur, vt, per induciarum, quod iam inierat, tempus, lacerum regni corpus redintegraretur. Ei fini, deſignata fuit tributorum ratio, & annui magiſtratus, officii admoniti; impoſita aduocatis iurisiurandi neceſſitas, ne calumniæ & cauillis, locus relinqueretur; &, quæ pro temporis habitu, fuere plura. In primis, rogauere *Ordines* Cæſarem, vti RVDOLPHVM, & ERNESTVM filios Archiduces, ex Hiſpaniis, euocaret: *eo quod, cum illorum, tum vero ſubditorum Maieſtatis Suæ plurimum interſit, vt potius ad latus Suæ Maieſtatis continuo agentes, & in conſiliis præſentes, audiant & videant in dies modum, & formam regiminis. Mores, præterea, & leges, conſuetudinesque ſubditorum ſuorum, quibus aliquando præfuturi ſint, addiſcant adhuc iuuenilibus annis; exemplo ipſius Maieſtatis Suæ, & Sereniſſimorum fratrum ſuorum, quos* D. FERDINANDVS *Imperator, dominus noſter clementiſſimus, beatæ memoriæ, ab ipſa quaſi pueritia, rebus & conſiliis agendis exercebat, nonnunquam vero, in abſentia, vices ſuas illis committebat*: quemadmodum habent decreti *(p.)* verba. Tanto iam tum amore, in Auſtriacos Principes, *Hungari* ferebantur: vt in monſtris, ſuo ipſorum merito, cenſendi ſint, qui hanc gentis propenſionem, mota toties ſeditione, peruerſum ibant.

conſultationes reliquæ.

§. X.

Gemina anno 1570, comitia:

INiit annus, poſt milleſimum quingenteſimum, ſeptuageſimus, & cum eo, gemina apud *Piſonienſes*, comitia. Ac priora quidem, ad IV. Nonas Februarias, *Cæſar* promulgauerat. Aberat, aduerſa impeditus valetudine MAXIMILIANVS; quocirca, *Rudolphum* & *Erneſtum* filios, non multo ante ex *Hiſpania* reduces, comitiis præfecit. Placuit Cæſaris inſtitutum Hungaris: quippe qui, ſuperiore comitio, reuocari *Archiduces* volebant. Itaque, non modo gratias, pro hac benignitate, agunt indulgentiſſimo parenti; ſed vltro lubentesque, regnum RVDOLPHO deferunt, eiusque inaugurationem, omni cura & ſtudio, admaturandam ſtatuunt. Nihil quidquam præterea memoratu dignum, eo conuentu geſtum eſt; quam quod, deprecante RVDOLPHO, *Dobóni* libertatem, profugo autem *Balaſſæ*, delicti veniam, *Status* apud Cæſarem, implorauerint; biennii tributum definierint; atque magiſtratus ſummos, inſtaurarint. Enimuero, PAVLVS ABSTEMIVS, *Epiſcopus Nitrienſis, qui per quatuor retroactos annos, ab obitu Nicolai Oláhi, Archiepiſcopi Strigonienſis, proregium, in iure dicundo, munus ac officium geſſerat, quod eſſet ſenecta ætate, annisque grauatus; nam octogeſimum ſeptimum ætatis annum agebat; vehiculo in curiam*

Rudolphus *in regem deposcitur:*

actus, & conſulta reliqua:

p.) Articulo XXXIII.

curiam vectus, ſe magiſtratu abdicauit, eumque Cæſar, Antonio Verántio, qui Oláho ſucceſſerat, contulit. Michaeli etiam Mercio, antiquæ probitatis viro, ſub idem tempus, vita ſimul & propalatinali dignitate functo, Emericum Czoborium, publicis ſuffragiis commendatum, & Damiano Aranyiano, proprætori decedenti, Andream Alſaſium (q.), ſubſtituit: ne quæ in exercendis legibus fieret ceſſatio. Ceterum, MAXIMILIANVS, Hungarorum illa in *Rudolphum* propenſione vtendum ratus, noua, eodem anno, comitia, ad ſeptimum Idus Septembris, *Piſonium*, inaugurando *Rudolpho*, edixit. Conuenere ad præſtitutum diem, *Hungari*, eodem, quo ſuperioribus annis factum eſt, feruore; *Germanos* præfectos auerruncandos; creandum *Palatinum*, vrgentes. Neque equeſtris ordo, niſi compos voti, contentioni pertinaciæque finem facturus videbatur. Ergo, ſenatorii ordinis optimates, iisdem, quibus antea, rationibus atque artibus, ea omnia, ad commodiora, & aptiora tempora, differre, & nobilitatem, quamquam initio propoſiti tenacem, in ſuam ſententiam pertrahere. Nec tamen, pari omnium conſenſu, diſſimulandum exiſtimabant, quin tam *Cæſari*, quam nouo Regi, pro tuenda libertate, & maiorum inſtitutis defendendis, miſtas querimoniis preces deferrent, ſcriptoque declararent, quibus modis, per quos, quam enormiter, vetuſtæ immunitates lædi ſoleant, & quam grauis odioſaque ſit eis exterorum dominatio. Poſt has verborum pugnas, cum & *Cæſar*, & *Rudolphus*, malis ſe obuiam ituros ſerio, & publicatis tabulis, ſpopondiſſent; inauguratio, ritu patrio peracta, demumque hæc in litteras, ſanctio relata *(r.)* eſt: *Cum Sereniſſimus Princeps* RVDOLPHVS, *ſecundum vetuſtas Hungariæ leges & inſtituta, Sacram regni Coronam vigeſima quinta die, nunc præteriti menſis Septembris, (quod felix fauſtumque ſit) ſuſceperit, omnisque ea celebritas, iuuante* DEO, *congruis modis, ex animi ſententia, peracta ſit: Status & Ordines regni, operæ pretium ſe facturos exiſtimant, ſi in hoc ſuſcepti regiminis felici initio, tam Maieſtatis Suæ Cæſareæ, quam nouo ipſorum regi, pro obſeruandis & defendendis antiquis regni libertatibus & legibus, ac maiorum ſuorum inſtitutis, ad quæ obſeruanda, vtraque ipſorum Maieſtas, ſolemniter ſe obſtrinxit, humiliter ſupplicauerint. Quæ quidem vetuſtiſſimæ libertates, per quos præcipue lædi ſoleant, & quibus rationibus id auerti poſſit, Maieſtates ſuæ, tam ex præſcripto prius per ipſos humiliter porrecto, quam ex ſermone ipſorum, coram Maieſtate ſua regia facto, benigne intelligere potuerunt.* Quæ fuerunt reliqua, præter munus ſolitum, quo Rex inauguratus excoli ſolet, paucis quibusdam, de iure dicundo, legibus abſoluebantur. Succeſſit annus MDLXXIV. & cum eo, nouus iterum conuentus; ſed quo, abſente MAXIMILIANO, moderantibus autem *Rudolpho*, & *Erneſto*, nihil, præter tributorum rationes, & pauca quædam alia, quæ erant ex temporis habitu neceſſaria, conſtitutum legas. Nempe, imminebat ſubinde ho-

iteratur eodem anno conuentus, inaugurando Rudolpho *coactus:*

equeſtris ordinis expoſtulationes:

quomodo a Cæſare conſopitæ?

quid poſtea anni 1574:

(*q.* ISTVANFFYVS, Lib. XXIV. p. 523, 8. | *r.*) Articulo I. & II.

stis, & qua poterat, vi astutiaque, passim fines prorogabat. Cui instituto, *Hungariæ* nocentissimo, vti obuiam iretur, arces communiri, & iterari, de *Insurrectione*, leges, placuit. Ad eundem modum, & anni MDLXXV. comitia se habuere. Præcipua tributorum ratio fuit, recognitumque, quod anno superiore, *Ordines* decreuerant. Eadem scilicet, temporis calamitas, iisdem indigebat remediis.

& 1575. diæta gestum sit?

§. XI.

Mortuo Maximiliano:

MAXIMILIANO, rebus humanis, anno MDLXXII. exemto, RVDOLPHVS, in regnorum & imperii administratione, successit. Atque, in agendis quidem comitiis, nihilo segnior, prima omnium, suis auspiciis, ad Calendas Februarias, anni MDLXXVIII. *Pisonium* indixit, in quibus, post decreta pecuniæ subsidia, magistratus quosdam distribuit; & in locum *Iohannis Listhii*, Episcopi Iauriensis & Cancellarii, nuper, *Pragæ* exstincti, *Draskouitzium*, ab Episcopatu Zagrabiensi, in Hungariam transtulit, atque *in* præfectura Illyrici, ab eo gesta, quam *Banatum* vocant, *Christophorum Vngnadium* ei succedere iussit. Decretum etiam, *iisdem (s.)* comitiis fuit, vt *Carolus* patruus, in Illyrico; atque *Ernestus*, frater Cæsaris, in Pannonia, tam absente, quam præsente ipso, res bellicas, & quæ ad loca finitima spectant, gubernarent. Quod, quamuis *Ordinibus* regni, minus gratum acceptumque esset, vt pote, qui a Cæsare, velut rege suo, gubernari res bellicas, atque alia omnia, mallent; adnitente tamen RVDOLPHO, nec aliud volente, ægre tandem ac difficulter *(t.)* adsensere: *Supplicantes, (u.) vt in rebus Hungaricis, etiamsi illæ bellicæ sint, adhibeant, pro qualitate negotiorum, in consilium, Hungaros quoque; Serenissimus vero Archidux*, CAROLVS, *eam, cum Domino Bano, Croatiæ & Slauoniæ, intelligentiam habeat, ne quid sequatur inconueniens, & libertati regni contrarium.* Tunc, & *Capitulum Castriferrei* translatum *Sabariam*, minutioraque negotia alia, definita sunt. Biennium transierat, cum noua iterum comitia, *Pisonium*, a RVDOLPHO conuocabantur. His ERNESTVS, quem memi-nimus, *Archidux*, præfuit; sed euentu, præter morem, irrito. Audiamus ISTVÁNFFYVM *(v.)*: *Is*, inquit, *qui secutus est annus, Comitiis Pisonium indictis, quibus* Ernestus, *Cæsaris nomine præfuit, atque illis, re infecta dissolutis, quod numquam antea contigerat, memorabilis fuit. Quum enim sæpe numero, de restituendis vetustis libertatibus, & abrogandis exteris, qui non solum in militares præfecturas; sed etiam ærarii administrationem, ac Cancellarii officium, atque alia, quæ opulentiora putabantur, munia, indignis modis irrepsissent; non nouo tantum Cæsari, sed patri, auoque, omnibus fere conuentibus, publico nomine supplicatum, neque tamen profectum esset; tam exacerbatos*

Rudolphus prima comitia cogit, an. 1578.

magistratus distribuit:

res bellicas Carolo patrueli, & Ernesto fratri, commendat:

altera Rudolphi *comitia anni* 1580.

euentus irritis

s.) Vide Articulum XV.

t.) ISTVANFFYVS Lib. XXV. p. 551, 12.

u.) Articulo citato, fine.

v.) Libro eodem, p. 553, 40.

tos animos, nobilitas habebat, vt nec subsidia solita, nec quidpiam, ad proposita de communi defensione, capita, decerneret, nisi illi protinus amouerentur. Ad quæ, quum ERNESTVS, *tempus ac spatium postularet, quo, tam exteri, incolumi honore dimitti, quam Cæsar consuli posset; & procerum nonnulli, æqua postulanti, adsentirentur: maior tamen pars, inconditis clamoribus, & promtis ad seditionem animis, interceßit, neque se a sententia, dimoueri passa est. Quamquam autem, breui adfutura remedia sponderet, quæ tardiora semper, quam mala esse consueuissent; nullo tamen operæ pretio facto, ille Viennam, Hungari vero ad sua quisque loca, reuerterunt.* Atque horum quidem, anni MDLXXX. comitiorum, iste euentus fuit. Pressit, conceptam animo indignationem, *Cæsar*, & partim alia negotiorum mole, distentus, quid in re violenta, statuendum esset, prudenti consilio, in aliud tempus, reiecit. Reparata demum bello fortuna, anno MDLXXXIII. Calendas Martias, nouo comitio, præfiniuit. Sed ne tunc quidem res gesta mitius fuit, tametsi ipse *Cæsar* conuentui moderaretur. Consultatio, a querelis, quas ne RVDOLPHVS quidem negabat, cœpta, tanta subinde acerbitate continuabatur, *vt dimicatio potius*, quam comitium, tota ea celebritas, *dici* meruerit. Nondum libertates suas redintegratas, neque semotos publicis muneribus exteros; bello se ab hoste diripi, pace vastari a sociis, vna omnes voce conclamabant. Regerebat *Cæsar* haud quidem iniqua postulare *Status*; sanandis tamen malis, quæ per tot retroactos annos, ab auorum inde memoria, succreuissent, tempus & facultatem exspectari oportere: quum illa, pro diri & calamitosi temporis ratione, repente auerti tollique, nec factu facile, nec incumbente hoste, tutum fore, præuideret. Sed *Ordines*, reiectis, quæ *Cæsar* in medium consulebat, adeo nihil mouebantur, vt ad tumultum res spectare visa fuerit, nisi *Radéczius* Agriensis, & *Draskouitzius* Iaurinensis, episcopi, motos fluctus, maturo prudentique consilio, sedauissent. Aequa ii omnia, & honesta, neque indigna toleratu, Cæsaris nomine promiserant, induxerantque *Ordines*, ad soluenda, biennii subsidia, & munitiones confiniorum procurandas; ea tamen lege: *vt, nisi intra istud tempus, votis ipsorum satisfieret, se in posterum, neque subsidia collaturos, neque ad comitia venturos, aperte denunciarent. Qua dissolutæ vocis libertate*, CAESAR *offensus, ita omnem eam iniuriam dissimulauit, vt postea toto quinquennio, ab indicendis conuentibus abstinuerit; & continue in Bohemia manendo, nec Viennæ, nec in Hungaria, conspici voluerit:* verba sunt ISTVÁNFFII *(x.)*

neque anno 1583. res gesta felicius:

Hungarorum querelæ:

tumultui similes, a Radéczio & Draskovitzio sedantur:

offensa Cæsaris.

§. XII.

EXacto fere lustro, mitigataque RVDOLPHI, quam superioribus comitiis, haud ab re, conceperat, indignatione, *Ordines*, ad Calendas Nouembres, anni MDLXXXVII. *Pisonium* conuenire iussi sunt.

Integro post lustro, diætam conuocat:

x.) Lib. XXV. p. 559, 43.

sunt. Sed tunc quoque, abesse a comitiorum strepitu, RVDOLPHVS maluit, quam solitas quiritantium voces, iterum iterumque audire. Proinde, ERNESTVS Archidux, moderatissimi princeps ingenii, comitiis præficitur. Tametsi vero, & *Cæsaris* exspectationem explere, & *Status*, vt sine offensa, consulerent in medium, permouere, omni is quidem ope adnisus est; tamen, cauere haud potuit, quin nouæ cierentur querelæ, vti nihilo mitiores prioribus, ita euentus tristis futuræ, nisi principis æquanimitas, feruorem multitudinis restinxisset.

plenam querelarum:

Fuere hæc quoque comitia, inquit ISTVÁNFFYVS *(y.) instar priorum, tumultibus, querelis & inconditis clamoribus, plena turbidaque, sicuti ex publicis, quæ exstant, actis, constare potest. Neque enim adhuc præfecturis & magistratibus, exteri homines amoti erant; sicuti crebrius erat promissum: & nobilitas, res Hungaricas ab exteris, earum imperitis & ignaris, tractari ac intolerabili mora, nec satis digno fine, expediri, vehementer dolebat.* Postulationum capita, huc redibant: curaret *Ernestus*, vti rerum Hungaricarum procuratio, *Hungaris* crederetur, qui singulis trimestribus coirent, consulerentque rebus *patriæ*; crearetur, more *maiorum*, *Palatinus*; nominarentur legati, qui fines regionis, & limitaneas munitiones, recognoscerent, & vectigalium reditus, qui passim interuertebantur, subductis rite rationibus, constituerent. Ac *Palatini* quidem electio successu caruit; qui autem finibus cognoscendis, ordinandisque ærarii prouentibus, delegati fuerant, tametsi officio perfuncti sunt, tamen nil quidquam profecere: cum essent, qui inueteratis malis, non a principe, sed Cæsare ipso, parari admouerique remedia, magna contentione vrgerent.

quæ fuerint Hungarorum postulationes:

quis euentus:

Quod quidem incommodum, vti loquitur ISTVÁNFFYVS, *postea multis, & magnis reipublicæ perturbationibus, & detrimentis, non paruam, nouarum rerum studiosis, opportunitatem suppeditauit.* Illud, totis comitiis, laudatissime factum, quod fastos *Gregorianos*: quippe, a multis fastiditos hucusque, volente RVDOLPHO, publicis suffragiis, acceptandos statuerint Ordines. Legis *(z.)* verba sic habent: *De Calendario, etsi Status & Ordines Regni mallent, vt vetus Calendarium, a tot iam annis obseruatum, & cui se tam pauperes, quam diuites, longo vsu accommodarant in pristino suo statu permaneret; volentes tamen, se, piæ & clementi suæ Maiestatis admonitioni, accommodare, non refragantur quidem, vt deinceps noui & reformati Calendarii vsus sit; hoc tamen per expressum declaratum volunt, se illud nullius alterius, quam sola & vnica Regiæ suæ Maiestatis auctoritate, in productum admittere; & maneant expeditiones & iudicia, hactenus, siue sub nouo, siue sub veteri Calendario factæ, in suo vigore.* Iisdem comitiis, *Gregorius Debreczeni*, Magistri, quem vocant, Tauernicorum vicarius, quod *Senatui Hungarico*, conuitia dicere, quin & famosis libellis insultare, haud dubitarit, neque in ius vocatus, comparuerit, criminis læsæ maiestatis damnatus, & proscriptus est. Mitius, sequenti comitio, quod anno MDXCIII. iterum

fasti Gregoriani, hoc comitio lege publica recepti:

Georgius Debreczeni *proscriptus:*

mitiora anni 1593. *moderante Matthia Archiduce, comitia:*

y.) Lib. XXVI. p. 580, 29.

z.) Articulo XXVIII. Anni MDLXXXVII.

rum *Pisonii* coiuerat, res gesta; at, fructu tamen nihilo meliore. Quia enim, induci, nullis precibus poterat CAESAR, vti ipse conuentui moderaretur; MATTHIAS vero Archidux, nuper, ERNESTO fratri, qui ad regendum *Belgium* abierat, surrogatus; lenius habendos censebat *Ordines*, pauca decerni potuere; si subsidia excipias, & horum cogendorum rationes. Tunc & *Debreczenius*, deprecante eius caussa, *Georgio Zrinio*, Tauernicorum magistro, criminis, cuius erat damnatus, absoluebatur.

Debreczeni criminis absolutus.

§. XIII.

DEna postea comitia, annis continuo se excipientibus, RVDOLPHI auspiciis, plerumque autem moderante MATTHIA, Archiduce, *Pisonii* agitata sunt. Nempe, grassante magis magisque Turcarum sæuitie, enitendum summa ope fuit, & Regi, & *Ordinibus*, ne, quæ superabant regionis reliquiæ, pessum irent, nostra ipsorum *incuria.* Itaque, compromissus est in annum MDXCV. miles, destinata subsidia, constitutusque horum exigendorum modus, neque quidquam, *quod bello videbatur necessarium*, neglectum. Sub idem tempus, SIGISMVNDVS BÁTHORI, Transiluaniæ princeps, in belli adscitus societatem, fœdus cum *Cæsare* pepigerat. Eius ergo leges in tabulas relatæ, & communi omnium adsensione, confirmatæ sunt. Ac, fuit sane felix eius anni expeditio; cum & *Báthorius*, Sinanum profligarit; & nostri, *Mansfeldii* partim, partim MATTHIAE Archiducis ductu, *Strigonium*, & arces alias, e Turcarum manibus eliserint. At enim, ea fuit militis licentia, vt vel ipsas victorias, damnarit, infelix circumquaque regio, nostrorum maleficio, vltra quam hostes decuisset, pessundata. Questus eam iniuriam est ISTVÁNFFYVS *(a.)*: *Sine luctu & lacrymis memorari haud potest, quantopere, simul ac* Mansfeldius *fato concessit, omnis disciplinæ militaris, atque religionis, pietatisque cura, in castris collapsa fuit; quantum non miseræ solum plebis, sed aliorum quorumque fortunæ & facultates, impune diripi vastarique cœptæ sunt, & qui supra alios dignitate imperioque eminebant, nedum ad insolentiam subiectorum militum, licentiamque compescendam, quidquam pensi habebant; sed potius, maligno prauoque ingenio, bellum, auare, crudeliter & impie administrando, suosque rapto viuere permittendo, rempublicam, post priuatum decus, facile habebant.* Ergo, res adeo luctuosa, noua iterum prolicuit comitia, quæ anno MDXCVI. decimo octauo Calendas Februarias, *Pisonii* haberentur. Hic, vbi coiuere *Ordines*, dici nequit, quanto dolore, acceptas, superioris anni expeditione, iniurias *(b.)* questi sint. Proinde, totis comitiis, vix quidquam maiore animorum contentione, disputabatur, quam, vti effrena militum licentia, coerceri, atque plebs, quin & flos nobilitatis, iniquissima militis licentia, fœde contemeratus, securus præstari posset,

Comitia Rudolphi *Cæsaris reliqua:*

anni inprimis 1595. *conseruandæ patriæ, destinata:*

militis victoris insolita licentia:

noua anno 1596. *comitia, & querelas prouocat:*

a.) Lib. XXIX. p. 662, 38.

b.) Legesis huius anni *Artic.* III. & IV.

set, & ad ferenda porro belli onera, idoneus. Reliqua eo pertinuere, vt bellum, maiore, quam hucusque factitatum est, sollicitudine, in *Turcas* posset continuari. Itaque, latæ sunt instauratæque leges, quibus id confici posse putabatur; tametsi eius anni fortunam, cum alia plura, tum infelix *Maximiliani* Archiducis, qui exercitui præerat, cum Turcis conflictus, fœdauerit. Itaque, vti eam repararet CAESAR, ad quartum *Idus Februarii*, anno MDXCVII. comitia iterum iterumque, in vrbem nostram indixit. Hic vero primum actæ sunt *Cæsari* gratiæ, quod spem *Ordinibus* fecerit, auerruncandæ militaris licentiæ; tunc decretus belli neruus; destinatæ militum suppetiæ; nihilque factum residui est, quod, non ad propulsandum modo, sed inferendum etiam *Turcis* bellum, necessarium esse, putabant *Ordines*. Easdem has curas, & anno MDXCVIII. *Pisonii*, moderante comitium MAXIMILIANO Archiduce, (nam MATTHIAS Ratisbonensibus præerat,) recognoscendas *Cæsar* voluit. Iterabantur denuo querelæ *(c.)*; non modo non cessare militum licentiam, sed crescere etiam in immensum. Reliqua, ad belli adparatus adtinuere, quos, & sumtu, & viris adiuturos se, *Ordines* spondebant, modo cessarent iniuriæ, quas inferebat miles. *Alioquin enim*, (verba legis recitamus) *etsi hosti obuiare, eiusque proteruiam reprimere, quam maxime enitamur omnes, intestinis tamen peccatis & malitiis laborantes, Deique in nos iram, prouocantes; fieri non potest, vt bene & recte, ac optate nostri conatus procedant.* Prorsus eiusdem argumenti fuere, comitiorum illæ sanctiones, quas *Pisonii* MDXCIX. quinto *Calendas Februarii*, iussu Cæsaris, cum Statibus, MATTHIAS Archidux, condidit. Querula & tunc fuere omnia; destinati tamen in bellum, & sumtus, & milites. Hoc inusitatum fuit, quod Status & Ordines, NICOLAVM PÁLFFYVM, insignem heroem, Cæsari, nouo exemplo, commendarint *(d.)*, vt virtutem eius bellicam, & præclara, quæ ediderat, facinora, *Capitaneatu*, vt vocant, & bonis arcis *Pisonienſis*, remuneraretur. Quod & ita euenisse, alibi docuimus.

actus comitiorum anni 1597.

item anni 1598.:

ac denique anni 1599.

§. XIV.

Seculi decimi septimi, conuentus, Pisonii *celebrati: anno* 1600:

FVere hucusque ea comitia, quæ seculo decimo sexto, illustrem fecerant vrbem nostram. Nunc in posterum, illa recensebimus, quæ seculum decimum septimum vidit. Eo exeunte, hoc est, anno MDC. ad quartum *Idus Februarii*, Ordines isthuc Cæsar exciuit, vti cum MATTHIA germano suo, in commune consulerent. Adhuc bellum *Turcicum*, datis acceptisque cladibus, trahebatur, magno quidem, opum & virium Hungaricarum dispendio; sed ita tamen, vt spes adfulgeret, excutiendi prorsus iugi Turcici. Quocirca, impense *(e.)* rogauere *Status* Cæsarem, vt, si forte cum tyranno

Ordinum preces:

c.) Vide *Artic.* eiusdem anni III. Meminit Comitiorum ISTVANFFYVS Lib. XXXI. initio.

d.) Articulo XLVIII.

e.) Exstant eæ preces Articulo I.

ranno paciſci *(f.)* commode non posset, nullis, seu expensis, seu viribus, parceret; vt eo regnante, *Turca* depelli, totique orbi Christiano, pax & securitas adfirmari queat. Ei fini, constitutæ iterum fuere subsidiorum rationes, quodque annis superioribus, salubriter decretum voluere *Status*, nouis id denuo sanctionibus, partim comprobatum, partim instauratum est. Ferebatur *(g.)* præterea, in *Michaelem Telekesſy, de Debretse, & in Lednitze*, sententia, seueritatis, vti facinus meruerat, æquissimæ. Eius atrocitatem ISTVÁNFFYVS *(h.)* descripsit, multo, quam comitialis sanctio, fusius. *In iis*, inquit, *comitiis, magnæ seueritatis exemplum, in* Michaelem Telekessium, *clarissimi bello ducis, Emerici Telekessii, ex filio Stephano, nepotem, iussu Cæsaris, editum est. Is arcem Ledeniczam, supra Trentschinium, ad Vagum fluuium sitam, virtute auita partam habebat: ex qua, adscitis in consortium vagis prædonibus, infesta circum itinera reddebat; acciderat-que anno superiori, vt conuentus publici tempore, in Adamum Pelerdyum incideret, qui Michaelis Transalpini nomine, munera ad Cæsarem deferebat. Inter quæ, supra prægrandes tapetes, & tentoria Phrygii ac Persici operis, elegantissima, erat horologium auro & gemmis exornatum, quod antea Cæsar, Sigismundo Bathoreo donauerat, illudque, cæso Cardinale Bathoreo, belli iure, Michael obtinuerat; ac tabella aurea imaginem D. Virginis Mariæ continens; quæ fama, per manus, ab auis atauisque tradita, Flauii Constantini Magni Imperatoris fuisse ferebatur. Ea vecta quadrigis, Telekessius, dissimulato habitu, structisque in silua insidiis, deprædatus, in Poloniam concessit, ibique aliquandiu delituit: nec Cæsaris nomine, a procuratoribus fisci citatus, comparuit, absensque damnatus & proscriptus est.* Hæc eius seueritatis caussa fuit. *Telekessius* certe, ab insectatoribus interceptus, *Pisonii*, publico in comitio, capite diminutus est; subiitque destinatum sibi supplicium, ea præsentis animi constantia, vt summorum imorumque admirationem conciuerit. Quæ hinc annis sequentibus; puta, supra milleſimum sexcenteſimum *primo, secundo*, & *tertio*, celebrabantur comitia, multum quidem ad vrbis nostræ celebritatem adtinuere; neque tamen quidquam decretum in iis est, quam, quod ad belli procurationem spectauit; eo in primis conuentu, cui anno MDCIII. MAXIMILIANVS ERNESTVS, Cæsaris patruus, præfuit. Arguebat negligentiæ, Status & Ordines, RVDOLPHVS: quippe, quorum incuriæ, & in soluendis tributis tarditati, superiorum annorum clades, saltem, res minus prospere gestas, imputabat. Proinde, non verbis *(i.)* modo, amoliendam accusationem eam voluerunt *Hungari*; sed ipso etiam actu. Nempe, designati sunt iterum iterumque, qui neruum belli cogerent; subducerent tributorum rationes; lustrarent milites, *reliqua*. Neque alia comitiorum anni MDCIV. occu-

lata in Michaelem Telekesſy *capitalis sententia:*

ob quod facinus:

capite diminuitur:

annorum reliquorum comitia:

anno 1603. *quid gestum?*

amoliuntur Cæsaris accusationes, Hungari:

f.) ISTVANFFYVS, Lib. XXXII. p. 771, 43. *Hieme*, inquit, *vacatum est comitiis, in quibus, si pax, quam Turcæ magnopere expetere videbantur, coalescere non posset, de rationibus inferendi, aut sustinendi in futurum belli, consultatum est.*

g.) Articulo XXII.

h.) Loco citato, lin 45.

i.) Vide *Articulum* II. eiusdem anni.

anni 1604. *actus:*

occupatio fuit, quam vt belli ſucceſſibus conſuleretur. Dedere tamen turbarum nonnihil *Caſſouienſes*, qui ademta ſibi templa queſti, magnam, principi MATTHIAE, ſollicitudinem incuſſerant: ea potiſſimum tempeſtate, qua, & *Tranſiluania*, ſuis adhuc fluctibus, iactabatur, neque *Hungaria*, immunis fuit a Turcarum impreſſionibus. Proinde, prudenti vſus conſilio, rem omnem in alia comitia reiecit, Cæſar vero, lata lege, *(k.)*, audaciam repreſſit ſeuerius. Iisdem in Comitiis *Georgius Turzo*, præfectura regni vltra Danubiana, qua in locum *Pálffii* ſuffectus, non ſine laude functus fuerat, ſeſe abdicauit, inque eius locum *Sigefridus Colonitſchius*, iam pridem in Hungariæ ciuem receptus, ipſo commendante *Turzone*, ſucceſſit: quamquam non deeſſent, qui ex *indigenis* creandum aliquem cenſerent; vt eſt apud ISTVÁNFFYVM *(l.)*. Indicta poſtea, & in annum MDCV. *Piſonium* comitia fuere, ſed quæ *Botskaiani* tumultus fecerunt irrita. Interim, ſenatores, qui aderant, collatis ſententiis, *Viennam* profecti, impenſius rogauere MATTHIAM, vti *Botskaium*, miſſis litteris, pertentaret, ac, ſi poſſet, a ciendis porro turbis, reprehenderet. Negauit, *id ſe facturum* MATTHIAS; *ſenatus tamen arbitrio permiſit*, ſi forte, delegatis ex ſuo numero, viris ad eam rem *idoneis*, hominem a propoſito deducere poſſent. Nec mora: abiere ad *Botskaium*, *Demetrius Náprády*, Epiſcopus Veſzprimienſis, & *Sigismundus Forgách*. At enim *Botskaius*, ſecunda, qua vtebatur, fortuna, iuſto elatior, ægre admiſſis legatis, quod ſenatus, minime vero Cæſaris nomine venirent, pacis conſilia adſpernatus, haud ſe poſiturum arma profeſſus eſt ante, quam deſtinata exſequeretur. Eadem, & anni MDCVI. Comitiorum *(m.)* fortuna fuit: Promulgarat ea Cæſar, ad diem *S. Iohanni Baptiſtæ* feſtum, *Piſonii* concelebranda, vti conſtituta *Viennæ*, cum *Botskaio*, pace, ſeditionis, quæ pullulabant adhuc, ſemina, funditus reuellerentur. Verum, interceſſere aliæ *negotiorum moles*, quæ diem illum prorogandum iubebant. Ergo, comitio ad ſexturn Calendas Quintilis fruſtra reiecto, quod MATTHIAS nondum ſibi tradita a Cæſare, quæ tractari oporteret, negotia cauſſatus, adeſſe cunctaretur; *Hungari*, qui magno iam numero confluxerant, morarum pertæſi, ad ſuos rediere.

commentus anni 1605. *irritus: ob tumultuationem* Botskaii:

idem & anni 1606. *comitiis euenit.*

§. XV.

Comitia, a Matthia II. *Piſonium coacta:*

HActenus, hiſtoriam comitiorum RVDOLPHI Cæſaris, regis Hungariæ, dedimus; iam, quæ MATTHIAS ſecundus, Piſonium indixit, memorare neceſſe eſt. Primum ergo, quod heic cebrauit, comitium, anni MDCVIII. fuit. Nimirum, corona a fratre RVDOLPHO, & cum hac, ſuccedendi in regiæ dignitatis faſtigium, accepta

k.) Exſtat ea, *Articulo* XXII. qui vltimus eſt.

l.) Libro XXXIII. p. 806, 36. Adde ORTELIVM, Parte I. p. 352. b. ſeqq.

m.) ISTVANFFYVS Lib. XXXIV. p. 849, 22.

cepta facultate, nihil cunctatus, *Piſonium* ad comitia, *Ordines*, more patrio, ad diem *S. Michaeli Archangelo* ſacrum, euocauit. Non eſt, cur recognoſcamus operoſius concilii decreta. Duum ea generum fuere; puta: quæ inaugurationem præceſſerant; & quæ hanc ſequuta ſunt. Prioribus, *Viennenſis Pacificationis* capita adfirmabantur; poſteriora, ad vniuerſæ reipublicæ adminiſtrationem adtinebant. Si alias vnquam, tunc profecto grata *Hungaris* euenere comitia: quod & *Palatini*, obliteratum fere dignitatis faſtigium, liberrimis ſuffragiis reſtituerint; & ſacrum regni diadema, poſt ſeptuagenariam abſentiam, recuperauerint denuo. *Altero poſt inaugurationem die*, inquit ISTVÁNFFYVS, *(n.)*, *Palatinatum, quod eſt officium, ſeu Magiſtratus, poſt regium culmen & dignitatem, ſecundum:* Stephano Illyésházio, *quod is præ ceteris omnibus, toto in hoc negotio, plurimum operæ poſuerat, (o.) Rex contulit: & ipſe quoque ſacramentum ſimile, ad ſeruanda iura, & libertates regni, depoſuit. Quæ quidem dignitas, ab obitu Thomæ Nádasdii, vsque ad hoc tempus, quadraginta ſex annos vacauerat.* Sed, ea dignitas, *Illyésházio*, diuturna eſſe nequiuit: quippe qui, anno ſequenti, ex ſtomachi vitio, *immedicabili morbo implicitus*, *Viennæ* diem obierat. Proinde, impoſita MATTHIAE fuit neceſſitas, vti eodem illo anno MDCIX. ad Calendas Nouembres, Comitia *Piſonium* indiceret. Sollicitudinum prima fuit, *Palatinalem* dignitatem inſtauraſſe: quod ab *Ordinibus* eo maiore præſtitum eſt alacritate, quo proniorem in rem æquiſſimam, Regem habuerunt. Ita enim ipſi profitentur *(p.)*: *Quoniam Maieſtas ſua regia, in propoſitionibus ſuis, ad Palatini electionem benigne annuit, non defuerunt fideles Status & Ordines ſibimet ipſis, quin muneri ſuo ſatisfacerent: atque ad hoc officium, communibus votis & ſuffragiis, natalitiorum ſplendore clarus, rerumque gerendarum dexteritate peritus, Spectabilis ac Magnificus Dominus Comes* GEORGIVS THVRZO, *inuocato numine diuino, pari voluntate electus, & confirmatus eſt.* Iſta *(q.)* tunc acta fuere. Quadriennium poſtea interceſſit, dum noua *Piſonii* comitia MATTHIAS cogeret. Tametſi enim ad Imperii ſolium euectus, habebat, quod illic ageret; tamen, adeo *Hungariæ*, cum laude adminiſtrandæ curam ſibi habuit commendatam, vt dubium reliquerit, Hungariæne ſtuduerit magis, an Romano Imperio. Coiuere alacres, magnoque numero, ad *Dominicam Inuocauit*, anni MDCXIII., Status & Ordines. Quin & Imperator, præſentia ſua, vna cum ANNA coniuge, nuper ſolemnibus nuptiis in thorum adſcita, conuentum honeſtauit. Eam *Hungari*, vti pro eo, ac decet, acciperent, Corona, maiorum inſtituto, redimiunt, & donis, quibus licuit *(r.)*, excolunt. Itum poſtea eſt ad leges, collatis ſententiis, rogandas. His, cum plura alia, tum iſtud inſertum eſt; vt eccleſiaſtica ciuiliaque bona, quæ

anno 1608. *excuſſa e manibus* Rudolphi, *corona, inauguratur:*

eius anni decreta & actus:

Hungarù grati:

Stephanus Illyésházi *fit Palatinus:*

eo, breui poſt mortuo, noua, anno 1609. *comitia cogi oportuit:*

eligitur tunc in Palatinum:

Georgius Thurzo:

anni 1613. *diæta*, Annæ *coniugù* Matthiæ, *inauguratione nobilitata:*

quid ea in primis ſit decretum:

n.) Epitome Lib. XXXVII. p. 851, 49.

o.) Non ita! *Status* eligunt, e candidatis, *Palatinum*; Rex vero demum confirmat.

p.) Articulo, eiusdem anni, 1.

q.) Exhibent comitiorum hiſtoriam, KHEVENHILLERVS, Annal. Ferdinandeorum Tomo VII. p. 180. atque ORTELIVS, Parte II. p. 23. b.

r.) Articulo X.

quæ *Botskayus*, & ſuarum partium homines, inuaſerant, iis, procul omni mora, ad quos iure adtinerent *(s.)*, redderentur; confirmarentur pacis, cum *Tranſiluanis* initæ, conditiones; denique & belli, & pacis artes, conſeruandæ patriæ, omni cura ſtudioque adhiberentur; *reliqua (t.)*. Vltima, quæ auſpiciis MATTHIAE, Piſonii celebrata fuere comitia, in annum MDCXVIII. inciderunt. De his, PETRVS de RÉVA *(u.)* *Regiminis ſui, anno decimo, generalia comitia, pro Dominica Inuocauit, anno milleſimo ſexcenteſimo decimo octauo, ad ciuitatem* Poſonienſem *indixit, quibus, cum valetudine dubia & imbecilli præditus, in perſona ſua, intereſſe, minime poſſet, Archiducem* FERDINANDVM, *Regem Bohemiæ, patruelem ſuum, eorundem præſidem, conſtituit.* Cæſar, ab Ordinibus, per legatos ſuos, *Cardinalem*, puta *Cleſelium*, & reliquos, in primis poſtulabat, vt, ſe iam effœto, & naturæ debitum proxime ſoluturo, FERDINANDVM, nuper in Bohemiæ regem ſublectum, ſibi, communibus ſuffragiis vltro lubentesque, ſurrogarent. Tunc vero *Status*, creato primum *Sigismundo Forgách* Palatino, qui *Georgio Thurzoni*, fatis functo, ſuccederet, atque conuentui moderaretur; vti electionis iura intemerata ſeruarent, conſultare, eligendumque Regem, rationibus regni, ne quid respublica detrimenti caperet, conſignato diplomate, illigandum cenſuere. Perſcriptæ ſunt conditiones ſeptendecim, quas *(v.)* FERDINANDVS ratas ante haberet, quam *in* regem eligeretur. Atque ille quidem, quod nil quidquam, ſeu maieſtate principis indignum, ſeu noxium reipublicæ, quin ſalutaria omnia, & pro temporis eius ingenio, etiam neceſſaria complecterentur, facilem ſe in acceptandis iis præbuit, ſibique, ea, in *Status* & *Ordines* propenſione, ad regiæ dignitatis culmen, viam, iam ante præclare de *Hungaria* meritus, adaperuit. Inaugurationis ſolemnia, ſupra exhibuimus; ſanctiones autem, quas condidere *Status*, prolixiores ſunt, quam quæ poſſint in compendium mitti.

vltima comitia Matthiæ II. *anno* 1618. *celebrantur:*

quid iis poſtularit Cæſar?

Sigismundus Forgách *fit Palatinus:*

Ferdinandus II. *in Regem inauguratur.*

§. XVI.

Temporum malignitas, quæ Ferdinandum *excepit, comitia ſufflaminat:*

MATTHIA, anno ſequente MDCXIX. decimo tertio Calendas Aprilis, fatis concedente, difficillima, FERDINANDVM, tempora exceperunt. Non eſt, cur eorum malignitatem recolamus; ſatis ſuo loco, de ea queſti ſumus. Id, non ſiluiſſe iuuat, interpolauiſſe comitiorum *(x.)* ſolemnia, *Bethlenium*, at ſucceſſu, quem meruerat, iniquiſſimo. Pace demum *Niklasburgi* compoſita, legitimo comitio, de reipublicæ ſalute, conſultandum cum *Ordinibus*, ſtatuit

Bethlenii *inquies:*

s.) Articulo II.
t.) Hiſtoriam comitiorum in litteras retulerat, PETRVS DE REVA Centuria VII. p. 128. KHEVENHILLERVS, Tomo VII. p. 547. ſeqq.
u.) Loco cit. p. 132.
v.) In compendio eas exhibet, REVA, loco cit. p. 133. adde, Decreti, An. MDCXXII. art. II. Prolixam vero Comitiorum deſcriptionem, legeſis apud KHEVENHILLERVM, Annal. *Ferdinandeorum*, Tomo IX. initio. Item, ORTELIVM, Parte II. p. 55. ſeqq.
x.) Dedimus eorum hiſtoriam, ſupra Cap. IV. §. XXIV. ſeqq. pag. 230. ſeqq.

ſtatuit FERDINANDVS. Proinde, indicto III. Nonas Aprilis MDCXXII. atque iterum MDCXXV. *Sempronium* conuentu, rempublicam ab exitio, laceratumque *Bethlenianis* factionibus, regnum, ſibi adſeruit. Sequuta ſunt poſtea anno MDCXXX. *Piſonienſia* comitia, quæ, vbi ad præſtitutum diem, quartum Nonas Februarii, conuenere, moderante FERDINANDO ipſo, de belli primum, tunc & de pacis præſidiis, actum eſt. Si alias vnquam, hoc profecto conuentu, placide geſta ſunt omnia. Vix quidquam rogatum a Rege eſt, quin obſecundarint *Ordines*. Sunt, qui credant, *Gabrielis Bethlenii* mortem, quam anno ſuperiore obierat, mitigaſſe *Hungarorum* animos: quippe qui, perpetuas in Hungaria factiones, aluerit; *Georgius* autem *Rákóczius*, nuper in principem adſcitus, apud nouarum rerum, ex occulto ſtudioſos, dubiæ adhuc fuerit exſpectationis. Quidquid eius ſit, rebus certe *Hungariæ*, eodem hoc comitio, pulchre conſultum fuit: id quod eius anni decreta *(y.)* palam faciunt.

Ferdinandi *ſollicitudo:*

indicit, anno 1630. *Piſonium conuentum:*

eius placidi actus:

rei cauſſæ.

§. XVII.

NEque poſt hæc comitia, vrbem noſtram vidit amplius FERDINANDVS; filio, eiusdem nominis, *Tertio*, apud Sempronienſes inaugurato. At, vbi e viuis exceſſit Cæſar, *Piſonium* poſtliminio, comitiorum ſolemnia, relata ſunt. Diſerte comitii eius Sempronienſis, ſanctio *(z.)*: *Quantum per commoditates Suæ Maieſtatis fieri poterit, comitia* Piſonii *celebrentur.* Adeo *Piſonium* noſtrum *Sempronio* præcellere voluerunt *Ordines.* Ergo, FERDINANDVS III. vti teſtatum faceret, qua fide, quaque ſollicitudine, adminiſtrationem orbis *Hungarici* adierit, quamque cupiat flori priſtino reſtitutam eius rempublicam, *Piſonium*, anno MDCXXXVII. ad vndecimum Calendas Octobris, *Ordines*, *Statusque* exciuit. Recognitum hic fuit diploma, quo ſe fidemque ſuam, *Hungariæ* obſtrinxerat, cum primum in Regem inauguraretur, inſertumque idem *(a.)* comitialibus decretis. Multa præterea, quæ e republica ſunt viſa, ſanciebantur. In his momenti plurimum habuit, legatio ad Turcas, ſarciendæ ſtabiliendæque pacis cauſſa, decreta *(b.)*; dictatæ item pœnæ his, qui eandem quoquo modo auſi fuerint contemerare. Auctus præterea miles *Hungaricus*; conſtituta res annonaria; ſubductæ adcuratius tributorum rationes, nihil denique, quod, ſeu in commune vtile eſſet, ſeu priuatim, neglectum. Tunc, & lex *(c.)* perlata fuit, ne honores *Supremorum Comitum*, minorennibus, & quibus nullus in Comitatu poſſeſſionum modus eſſet, conferrentur. *cetera.* Cometam, durantibus comitiis, *Piſonii* viſum fuiſſe, ORTELIVS *(d.)* auctor eſt. Decennium fere intercurrit, turbis, quas dabat *Rákóczius*, Tranſiluaniæ princeps, permixtum,

Vltima ea fuere comitia Ferdinandi, *apud Piſonienſes:*

lex, de comitiis Piſonii *celebrandis:*

quæ iterum anno 1637. Ferdinandus III. *huc indicit: eorum decreta:*

y.) Adde ORTELIVM, Parte II. p. 119. a.
z.) Articulo LXXIX.
a.) Articulo I.
b.) Articulo III.
c.) Articulo XXXIII.
d.) Loco citato, p. 230. vbi, ad annum MDCXXXVII. & VIII. hiſtoriam comitiorum poſſis legere.

anno item 1646. quam ob rem?

mixtum, dum in comitium coiri potuit denuo. Præſtituerat id ad Calendas Maii, anni MDCXLVI. FERDINANDVS, partim, vt filium cognominem, diademate regio inaugurandum curaret, partim, vt leges pacis, cum *Rákóczio* initæ, publice adprobaret. Exceſſerat e viuis anno MDCXLV. *Nicolaus Eſzterházy*, Regni Hungariæ Palatinus: quam ſummi viri iacturam, ante omnia reparandam rati Ordines, *Comitem Iohannem Draskovith, de Trakoſtyán*, hucuſque, Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Slauoniæ, *Banum*, mira omnium conſenſione, Cæſaris ſimul adſpirante indulgentia, Palatinum *(e.)* creant. Tunc & FERDINANDVS IV. in Regem electus inauguratusque *(f.)* eſt; promulgata *(g.)* pax *Tranſiluanica*; Nonaginta templa Euangelicis *(h.)* reſtituta; conſtituti *(i.)* diadematis regii cuſtodes, *Iohannes Kéry de Ipolykér*, & *Nicolaus Oſztrosith de Gyletincz; atque Principi* Tranſiluaniæ, *Georgio Rákóczio*, ſeptem integri Comitatus, ex pacis initæ præſcripto, vltra & cis Tibiſcum, puta, *Szatmár, Szabólcz, Ugocsa, Beregh, Zemplin, Borſod*, & *Abaújvár*, adtributi fuere. Quæ, dum ſingula conſtituerentur, dici nequit, quanta animorum contentione, ac fere acerbitate verborum, inter *Status* & *Ordines (k.)* dimicatum ſit. Exiuere demum operoſa hæc comitia, anno MDCXLVII. decimo ſexto Calendas Auguſti. Nondum abierat biennium, cum *Iohannis Draskovithii* mors, quæ annum MDCXLVIII. funeſtauerat, locum nouo comitio, fecit. Indixerat id FERDINANDVS III. ad octauum Calendas Februarias anni MDCXLIX. *Piſonium*. Paruere edicto, *Status* & *Ordines (l.)*, eo promtius, quo plus ſua intereſſe putabant, ne dilatis forte comitiis, *Palatini* dignitas antiquaretur denuo. Cæſaris profecto hanc bonitatem, nihil dubitarunt gratiis proſequi; *quod inter tot ſuas grauiſſimas continuasque ſollicitudines & curas, erga regnum hoc ſuum Hungariæ, graui Turcicæ vicinitatis, & aliarum difficultatum mole laborans, ac plane inclinatum, in eo quoque benigne declaraſſet, quod generalem hanc iſtius regni diætam, pro electione noui Palatini tempeſtiue indicere, paterne dignata eſt:* verba ſunt, præfationis, eiusdem anni ſanctionum. Proinde, ſurrogato in eam dignitatem *Paullo Pálffyo*, Nicolai I. filio, quartum genito, negotiis, quæ ad diſputandum propoſita a Rege præſente fuerant, vacari cœptum eſt. Ac *Curiæ* quidem *Regiæ*, iudicatus, quo *Pálffyus* hucuſque fungebatur, *Ladislao Cſákyo* adtributus eſt; curam limitanearum munitionum, ſibi Rex ſeruauit; *Status* vero, cenſus loco, pedeſtris & equeſtris ordinis militem, promiſere. Eodem conuentu, *Kőſzög, Szarukő, Boroſtyánkő*, & *Kis-Márton*, arces, cum omni ditione, quæ

fit tunc Iohannes Drasko-uith *Palatinus:*

Ferdinandus IV. *in regem inauguratur:*

mors Palatini, locum nouis comitiis, anno 1649. *facit:*

cui Paullus Palffy *ſubſtituitur:*

conſtitutiones reliquæ:

e.) Articulo I.

f.) Articulo II.

g.) Articulo VI. ſequentibus, vsque ad XIV. item Articulo XVIII. & XIX.

h.) Articulo V.

i.) Articulo III.

k.) Vide SZENTIVANII Synopſin Chronologicam, ad An MDCXLVII.

l.) Immo, rogauiſſe *Cæſarem*, vti maturaret comitia edicere, ORTELIVS memorat, Parte II. p. 161. a.

quæ hucdum in Auſtriacorum poteſtate fuerunt, regno ſunt *(m.)* accenſæ; inſtituta *(n.)* metarum, inter vicinas prouincias, regna, & Hungariam ſollicitior deſignatio; *Kőſzögum*, iure poſtliminii, in liberis regiisque vrbibus *(o.)*, quin & *Kis-Mártonum*, relatum eſt. Decretum præterea, ne nobiles, qui *Szent-Györgyini*, cultui vineatico operarentur, a vendendo ſub hedera vino, arcerentur; amouerentur a teloniorum & vectigalium procuratione *Iudæi*; inſtaurarentur *Ujvarini* munitiones. reliqua. Erat hic quoque conuentus, ad rixas vſque turbulentus. Legas in annalibus *(p.)* ad ſtrictos enſes, poſt longam verborum diſceptationem, ſubinde rem ſpectauiſſe, niſi *Palatini* interceſſiſſet auctoritas, comitiorum iura, intemerata habere cupientis. Vltima FERDINANDI III. comitia, ad nonum Calendarum Februarii anno MDCLV. agi cœperunt. Duplex eorum celebrandorum cauſſa fuit: quod & FERDINANDVS IV. in Regem, ante hos nouem annos, ſuffectus, & *Paullus Pálffy*, regni Palatinus, diem anno MDCLIV. obierant. Ergo, patris FERDINANDI non minus, quam *Ordinum*, permultum intererat, vtrumque id faſtigium, ante conſtabilire, quam Rex ipſe, rebus humanis eximeretur. Et in *Palatinum* quidem, *Franciſcus Weſeleni* ſubrogatus; in FERDINANDI autem locum, LEOPOLDVS, annorum XV. adoleſcens, Rex electus, & ritibus patriis, coronatus eſt. Idem honor ELEONORAE, quam *Ferdinandus*, ſecundis nuptiis, in coniugem adſciuerat, delatus fuit. Cetera comitiorum negotia, iisdem, quibus antea, capitibus, abſoluebantur, latæque ſunt partim, partim repetitæ leges, quarum præſidio reipublicæ ſalus procuraretur.

Vltima Ferdinandi III. *comitia, anno* 1655:

eorum celebrandorum cauſſæ:

creatur Palatinus:

coronatur Leopoldus.

§. XVIII.

BIennio, his comitiis, ſuperuixerat FERDINANDVS. Eo, quarto Nonas Aprilis, anno, ſupra milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimum, ſeptimo, fatis concedente, LEOPOLDO, vti gubernandi regni moles, ita cogendorum comitiorum neceſſitas incubuit. Remorabatur deſtinationem, cum electionis, in Romanorum Imperatorem, molitiones, vti variæ, ita difficiliter ſuperatæ; tum belli *Suecici* euentus dubii. Anno demum MDCLIX. duodecimo Calendas Auguſti, comitiis vacari potuit. Acceſſit iis moderandis, LEOPOLDVS, iam & imperiali diademate redimitus. Curarum principem, huc impendere *Status*, & *Ordines*, vt diploma, quod coronationis ſuæ tempore, LEOPOLDVS ediderat, decretis inſererent, eaque prouidentia, gentis libertates tutas præſtarent. Regis contra ſollicitudo eo ſpectabat, quemadmodum barbarorum conatus, ingenti cum exercitu, in *Tranſiluania*, iam tum agentium, anteuerti, aut, ſi regnum pergeret laceſſere, quibus impenſis, quoque adparatu, ei poſſit

Mortuo patre:

Leopoldus, *anno* 1659. *comitia edicit Piſonium:*

quid hic actum ſit.

m.) Articulo XXV.

n.) Articulo XXVI. ſeqq. ad Articulum XXXII.

o.) Articulis XXXIX. & XL.

p.) ORTELIVS, loco nunc citato, p. p. 162. a.

possit occurri. Exciti, periculi magnitudine, *Ordines*, laudarunt sane, pientissimam, noui regis, sollicitudinem; seque, quod Rex, cvm Regno, decreuisset, obsequentissime facturos, pollicebantur: sed, quod Turca, misso cum muneribus nuncio, pacem adfirmari, prorogarique peteret, ideoque, belli formido hucdum esset dubia, in eam sententiam concessere: alendum vtique esse, certo numero militem, inque eam rem, sumtus, qui sufficerent, decernendos; educeretur contra miles superuacuus; sin vero hostile quid ingruat, & nobiles viritim, & cum turmis, *Banderia* vocant, optimates, instituto maiorum, ad arma conuolarent. Interim, arces quasque limitaneas, summa cura studioque communiri oportere, ne inermes hostis reperiat. Quando vero non prædonum modo; sed procerum etiam nonnullorum malignitate, lacerata a barbaro iam pridem *Hungaria*, vltra modum adfligeretur; vt magnatum quidem licentiæ, ex legum præscripto, iretur obuiam; prædones contra, & milites vagabundi, omnium vbique, magistratuum vigilantia & seueritate, auerruncarentur, vna omnium optio fuit. Electi præterea, senatores duo, *qui continuo regi adessent*, & vna rebus Hungaricis consulerent: quin & legatus, qui ad Ottomannum abiret, designatus est. Denique, sanctionibus veteribus plerisque, nouum robur conciliatum, leges autem, ex temporis ingenio, eæ *sunt conditæ*, quæ ad salutem, cum omnium, tum singulorum, plurimum momenti habebant.

§. XIX.

Inquies ea comitia, consequitur:

Post hæc comitia, adeo nihil ad tranquillitatem *Hungariæ*, profectum est; vt creuerit etiam metus belli, quod *Transiluaniam*, prorsus iam tum corripuerat. Accessit, *Hungariæ Ordinum*, in adsignandis Cæsareo militi, hibernis, durities, propemodum inexpugnabilis. Cæsar proinde, cum sedandæ, superiorum annorum discordiæ, ne ex mora vires sumeret; tum, ne Turcicum bellum imparatum offenderet, frequentissima regni totius comitia, anno MDCLXII. ad Calendas Maii, *Pisonium* indixerat, iisque præsens ipse, moderabatur. Quid *Ordines* vellet facere, latina venustaque oratione complexus, grauiter legatos admonuit; vt patriæ saluti, positis suspicionibus adfectibusque prauis, consulerent. Respondit, comitiorum nomine, *Georgius Lippai, Archiepiscopus Strigonienſis*, gratiasque egit, optimo regi, quod sollicitam adeo curam gereret Hungariæ: eadem omnium esse studia, interserens, vt principis votis obsecundarent. At, simul consultari cœptum est in medium, querelarum plena euasere omnia. Præterquam enim, quod *Protestantes*, negabant se quidquam ante suscepturos, quam templa, quæ ab anno MDCLIX. erepta sibi sunt, restituerentur; *Ordines* certe vniuersim omnes, militem Germanum, nondum deductum Hungaria, conqueri, obiectare vetera priuilegia, ac nihil non pro his adserendis intentatum, & voce, & factis secessionibus,

noua, Leopoldus, *anno* 1662. *indicit: eorum actus turbulenti:*

nibus, relinquere. Dabo historiam, Wagneri *(q.)* conceptam verbis: *Catholici, quantumlibet modestiores*, inquit, *nonnulla quoque licenter ac inuerecunde egere. Securitatis ergo Cæsar, tria fere millia, pro prætorii custodia, ad Posonium adduxerat; pontem item, subitario munimento communiuerat. Dirui munimentum, militemque a principis latere amoueri, atque vniuersim, ne quæ Germanæ copiæ in Hungariæ solo essent, vna omnes institere; priuilegia, pro more, ingeminantes: quasi priuilegium esse possit, quod reipublicæ noxium sit. Fuit autem tanta* Caesaris *facilitas, vt educi quamprimum partem militis, & in Austriam submoueri, mandaret. Qua lenitate, tantum abest, vt flecteretur procerum contumacia, vt insuper, postulare auderent; regiis litteris testaretur* Caesar: præter ius fasque, abs se actum, quod citra comitiorum auctoritatem, exercitum, superioribus annis, in Hungariam immiserit; ac iureiurando confirmet, nihil eiusmodi deinceps tentandum. *Denique, infectis rebus omnibus, insigni regiæ maiestatis contemtu, clam, & insalutato Cæsare, se omnes subduxere. Iis rebus, grauissime offensus princeps, vt par erat, cum pactum nihil cerneret, aut moderatum, Viennam quoque ipse discessit. Nulla, quod meminerim, comitia, minori principis reuerentia, contemtu & obstinatione maiore, celebrata.* Hactenus historicus. Atqui, decretum eius anni, sanctionibus LV. constans, ad hunc modum signatum legas: *Datum, in arce nostra regia Posonienſi, die XIX. Mensis Septembris, Anno Domini, millesimo sexcentesimo, sexagesimo secundo.* Ergo, præsens tunc quoque fuit Leopoldvs, cum finis comitiis imponeretur; neque secessio illa, omnium *Ordinum*; sed aliquorum fuit. quemadmodum id ex sanctionibus *(r.)* comitii adparet.

Wagneri *verbis recitantur.*

§. XX.

Temporum, inde sequutorum, calamitosus habitus:

Quæ hinc sequuta sunt tempora, multarum fuere cladium, & nunc bellis, nunc pace, nunc iterum ciuili seditione, interpolata. Ab agendis certe comitiis, toto fere vicennio, cessatum est: siue, quod nollet Caesar auctoritatem suam periclitari; siue, quod re vera aliorsum curas intendere debebat. Anno demum MDCLXXXVII. *Pisonium*, (nam anni MDCLXXXI. *Sempronii* celebrata fuerant) noua comitia spectauit, eo quidem lætiora, quod, & laureatis Leopoldi litteris, conuocarentur; & Iosephvs, primus, in hæreditarium Hungariæ Regem, magna populorum adsensione, iisdem inauguraretur. Accessit ad vrbem, deliberato consilio, Caesar, adductoque secum Iosepho, comitiis præsedit, eorumque caussam, per Cancellarium, *Petrum Korompai*, Episcopum Nitrienſem, ad hunc

vicennalis fere comitiorum cessatio: coeunt post liminio, anno 1687:

q.) Historia Leopoldi Magni Lib. II. p. 106. & 107. Adde Ortelivm, Parte II. p. 218. vsque ad p. 242.

r.) Vide Articulum LIII. quem adscribere, superuacrium fuerit.

modum expoſuit: *Superuacaneum fore, ſi, in peruulgato illo Rhetorum, ac declamatorum argumento, immoraretur: naſci, an eligi regem, præſtaret?* Certe, *Europæ regna, & plurima, & florentia præ ceteris, natiuos reges præhabere. Nonnullos populos, hac ſe libertate ſponte abdicaſſe, non tam regnatricis familiæ ſtudio, quam in patriam caritate, quam comitiorum æſtu, factionum multiplicitate, ambientium artibus, conuelli fere, malisque inuolui innumeris, experti ſint. Idem, Hungarorum genti, iam inde a condito, per* D. Stephanvm, *regno, inſtitutum fuiſſe, ex annalium fide conſtare; temporum deinde iniuria interruptum, ſi poſtliminio reſuſcitarent Ordines, ingenti patriam, poſterosque omnes, beneficio obſtricturos; cui nimirum, per electionis illas procellas, miſere adflictæ a barbaris, & religionum funeſta varietate propemodum euerſæ; certe, ſi cum antiqua potentia conferatur, magnopere debilitatæ; incomparabile præſidium ſufficerent. Quem vero, ſi integra eſſent omnia, præ* Leopoldo, *natuque maximo* Iosepho, *hæreditarium mallent Regem? ſi bene meritum, ſi potentem, ſi innocentem optaſſent, neminem eſſe, tota Europa, a quo Hungaria, plus boni acceperit; plus boni ſperare, minusque mali timere debeat. Intra ſesqui ſeculum, quo demiſſa cælitus corona, in hanc illata ſit gentem, nullam prope eſſe munitam vrbem, quam non ſuis armis impendiisque, de barbaris vindicaſſet; præſente bello, regni dimidium, corpori reſtitutum ſuo; vt adeo, quantumuis ex* Annae *reginæ poſteris non foret Leopoldus, belli iure, ſuum regnum queat dicere. Nolle autem hoc vti nomine; ſed Hungarorum liberis voluntatibus deferre beneficium, cupereque, vt mutuis, parentis & filiorum, officiis, vinculoque tam arcto colligati, inter ſe quidem caritate certarent & fide, exteris barbarisque, in primis forent formidini.* Hæc ille, *(s.)* prorſus ex ſententia Cæſaris, in quam, vti pedibus irent *Ordines*, facile, & præterquam metuebat Leopoldvs, ſine ſtrepitu, & exſtanti quodam voluntatum diuortio, impetratum eſt; quemadmodum id ſolemne comitii decretum *(t.)* loquitur. Quin, cumulauere obſequium *Status*, quando legem *(u.)* rogauerunt: *quod a modo, in poſterum, neminem alium, quam altefatæ Suæ Cæſareæ & Regiæ Maieſtatis, propriis ex lumbis ſuis deſcendentium* maſculorum hæredum primogenitum, *in perpetuum id ipſum etiam ſtatuentibus, Articulo* 5. *Anni* 1547. *aliisque ſuperinde exſtantibus, pro legitimo ſuo Rege, & Domino ſint habituri.* quæ quidem ſuccedendi iura, ne cum gente *Auſtriaca*, prorſus interciderent, ad *Hiſpani* quoque regis, maximum natu filium, *(v.)* extenderunt. Præclara hæc omnia: illud prorſus ad regulam, diuinarum humanarumque legum, exactum fuit: quod *Decretum* Andreae II. antiquarint *(x.) Ordines.* Is enim, popularitate ductus immodica, anno MCCXXII. *(y.)* legem tulit, nec regibus ferendam, & pernicioſam populo, in hæc verba: *Quod ſi vero* Nos, *vel aliquis ſucceſſorum noſtrorum, aliquo vnquam tempore, huic diſpoſitioni noſtræ, contraire voluerit, liberam habeant, harum auctoritate, ſine nota alicuius infidelitatis, tam Epiſcopi, quam alii Iobbagyones, ac Nobiles regni, vniuerſi & ſinguli, præſentes & futuri poſterique, reſiſtendi & contradicendi,* Nobis *& noſtris ſucceſſoribus in perpetuum, facultatem.* Quod reliquum ſanctionum fuit, ad inſtauranda priuilegia auita; conſtituendas familiarum ſucceſſiones; tuendam religionum libertatem; recipiendos, lege perpetua, *Ieſuitas;* abrogando ſanguinario, quod *Eperieſini* ſtetit, tribunali; obliuionem item perduellionis nuperæ, ſed exceptis capitibus, relatum id omne fuit.

quid ea voluerit Cæſar:

ordinum adſenſio:

& propenſio in Domum Auſtriacam:

Decretum Andreæ II. *parte quadam antiquatum.*

s.) Referente Wagnero, loco citato Lib. x. p. 31. ſeq.

t.) Articulo I.

u.) Articulo II.

v.) Articulo III.

x.) Articulo IV. quem lege.

y.) Articulo XXXI.

§. XXI.

VLtima hæc Leopoldi comitia fuerant; eo, quod hinc *Turcico, Gallico* illinc bello, diſtentus, non tam de condendis legibus nouis, quam adſerenda populorum ſalute, cogitationem ſuſcipiebat. Is, *dum anno MDCCV. e viuis* exceſſiſſet, non imperium modo Romanum, bello *Gallo-Hiſpanico;* ſed *Hungariam* quoque, *Rákocziana* ſeditione fœde laceratam, Iosepho gubernandam reliquit. Difficile dictu eſt, qua benignitate, quibusque propenſæ in *Hungariam* voluntatis ſignificationibus, *Rákoczianorum* factiones, ad officium reuocare ſtuduerit Iosephvs. Præterquam enim, quod ſemel atque iterum, paciſcendi occaſionem ſeditioſis, mira indulgentia obtulit; Comitia *Piſonium*, ad XXIX. Februarii, anno MDCCVIII. eo cum primis fini indixit, vt profligato bello, pacem, & cum hac, gentis, ſua ipſius culpa peſſum euntis, felicitatem, redintegraret. Dabimus regias eius litteras, ne ignoret poſteritas, qua cura ſollicitudineque, in pacandam Hungariam, Iosephvs incubuerit: Iosephvs, *&c. Reuerendi &c. Quemadmodum* Nos, *inde a felicis inaugurationis noſtræ tempore, ſed vel maxime, ab ipſo ſtatim ſuſcepti regiminis noſtri initio, inclytum hoc, & olim florentiſſimum Regnum Noſtrum Hungariæ, tot retroactis calamitatibus & malis preſſum, ac nouiſſimis, propriorum etiam patriæ filiorum, ante quadriennium, & quod excurrit, ſuſcitatis inteſtinis motibus, in præſens vſque, cruente durantibus, turbatum, exagitatum & diuulſum, commiſeratiuo Regii animi Noſtri ſenſu reſpicientes, noſtras inter regnandi curas, nihil prius vel antiquius habuimus, quam vt idem regnum noſtrum,* Nobis *cum primis charum, ad optatum tranquillitatis & quietis ſtatum, reducere ac reponere potuiſſemus; eumque in finem, pro innata nobis pietate & clementia, publicæ ſaluti conſulere cupientes, diuerſa, ad componendos præadtactos motus, gratiæ & benignitatis media, adhibere non intermiſimus; ac ſæpius, pro exigentia etiam regni legum, his malis, per generalem Diætam, (quam tamen viciſſitudo, & iniuria temporum celebrandam, differre* Nos *coegit) ſalubrem adferre medelam intendebamus: ita nunc, commodioris temporis occaſionem nacti, Regali Noſtro*

Fuere ea vltima Leopoldi *comitia:*

eo mortuo, tumultuabatur adhuc Hungaria:

ſedandæ ei, comitia, Piſonium, an. 1708. *indicit* Iosephus:

regiæ litteræ.

ſtro muneri, & legibus regni, deeſſe nolentes, ac optatam pacem, communem ſubditorum noſtrorum tranquillitatem, ceteris omnibus præferentes, tantamque ſanguinis Chriſtiani effuſionem miſerati, ſiſtere cupientes, hoc Diætale demum medium, non intentatum relinquere decreuimus; benigne Nobis *perſuaſum habentes, generalem Regni Diætam, non ſolum, ad componendos modernos motus, reſtituendamque patriæ quietem, verum ad auctoritatis noſtræ Regiæ debitam manutentionem, ſimul & Regni libertatum, immunitatum, ac legum conſeruationem, vt plurimum profecturam. Qua propter, vniuerſis & ſingulis, præmentionati Regni Noſtri Hungariæ, & partium eidem adnexarum, Statibus ac Ordinibus, generalem conuentum, ſeu Diætam, ad feriam quartam, poſt Dominicam Inuocauit, hoc eſt, vigeſimam nonam diem adfuturi menſis Februarii, imminentis anni milleſimi ſeptingenteſimi octaui, in Liberam Regiamque Ciuitatem noſtram* Posoniensem, *clementer indicendam & promulgandam eſſe duximus: cui,* Deo *propitio, in propria perſona noſtra, ne quid ea quoque in parte deſiderari poſſit, præeſſe ſtatuimus. Quocirca, vobis, harum ſerie firmiter præcipientes, benigne committimus & mandamus, quatenus ad præſpecificatam diem, & locum, certos duos, vti moris eſt, e medio veſtri, delectos & deputatos nuncios, viros, quippe idoneos ac pacis & publici boni ſtudioſos, citra omnem moram, & excuſationem, mittere atque expedire debeatis, qui illic, vna cum reliquis DD. Prælatis, Baronibus, & Nobilibus, prælibatisque, dicti regni Noſtri Hungariæ, & partium eidem adnexarum, Statibus ac Ordinibus, de iis omnibus, quæ ad præmiſſum finem neceſſaria videbuntur, tractare, & in medium conſulere, ac denique, ea ſingula facilitare & admaturare, nouerint. Curandum autem vobis erit diligenter, vt prærepetiti nuncii Veſtri, ad præſcriptum terminum ibidem, certe & infallibiliter compareant, neque vlterius ſeſe abſentare, aut vltra diem præfixum, diutius emanere præſumant. Secus ſub pœna, in generali regni decreto ſuperinde expreſſa, non facturi. Gratia, in reliquo, noſtra Cæſareo Regia, vobis benigne propenſi manentes. Dabantur in Ciuitate Noſtra Viennæ Auſtriæ, die vigeſima tertia Decembris, An. D. MDCCVII.* Iosephvs. *Comes Nicolaus Illyésházy, Ladislaus Hunyady.* Regis hæ fuere litteræ, vti amoris & clementiæ, in gentem vniuerſam, pleniſſimæ; ita, eo cum primis comparatæ, vt ab interitu, in quem præcipitabat tunc *Hungaria*, tempeſtiuius reprehenderetur.

§. XXII.

Ratio reddendarum Statibus litterarum impedita:

At enim, difficile ac prorſus impeditum fuit, vt, in ea reipublicæ perturbatione, his, ad quos pertinebant, litteræ regiæ, perferrentur. Quam ob rem, *Princeps*, Pavllvs Esterházy, regni Hungariæ *Palatinus*, omnem mouit lapidem, vt euicto, ante reliquos, factionis duce, *Rákóczio*, regis has litteras, *Ordinibus*, pro eo, ac res poſcebat, poſſet intimare. Id vero, qua, ſeu prudentia, ſeu animi magnitudine, præſtiterit, epiſtola, quam ad *Rákóczium*, tunc

tunc extra modum ferocem, exarauit, palam facit. Adtexemus eam, ne intercidat; ita vero habet: *Illuſtris Princeps, Dilecte Domine Frater! Animi neutiquam pendeo, quin alias etiam intellexerit D. V. quomodo Sua Maieſtas, clementiſſimus Dominus noſter, patriæ, tot reuolutionibus & adflictionibus oppreſſæ, benigne miſertus, tantique Chriſtiani ſanguinis vlteriorem effuſionem declinans, ac deſideratam huius regni quietem & tranquillitatem reducere percupiens, finaliter, neceſſariam Regni conuentus modalitatem, (reſpectu ſuorum quoque fidelium) benigne reſoluere, Statibus Hungariæ, Generalem Poſonium Regni Conuentum publicare, ac, vt optata patriæ quies, non tantum promoueatur, ſed facilitetur, & feliciter in finem deducatur, ſepoſitis quibuslibet, in aduerſum occurrentibus negotiis, regia benignitate, ſibique innata clementia, ac paterno inductus adfectu, in eos etiam, qui a debita Suæ Maieſtati fidelitate receſſerunt, ad hunc conuentum regni vocare, dignata ſit: quibus, verbo ſuo regio, ſufficientibus ſalui conductus litteris, pro acceſſu, mora, & reditu, plenam ſecuritatem offert. Quod, vt ab vndique ipſimet D. V. notum fiat, & memoratæ Suæ Maieſtatis Domini clementiſſimi, ſuis ſubditis vberius declaratam benignitatem, ac procurandæ patriæ tranquillitatis, eiusque conſeruandæ intentionem & deſiderium, aduertat; ecce! ad Inclyt. Comitatus directas Suæ Maieſtatis, Domini clementiſſimi, pro hac Diæta, conuocatorias Regales litteras, eo fine ad manus D. V. mittere volui, vt abinde, certiore occaſione, ſpargantur, ac in omnium notitiam deueniant; tamque Inclyt. Comitatus, quam alii, de iure, ad diætam vocari ſoliti, Diætæ celebrationem, ſed etiam Suæ Maieſtatis, Domini clementiſſimi, paternam erga hoc regnum dilectionem, ac regiam induſtriam & vigilantiam, vberius aduertant perſpiciantque. Quare D. V. vi officii Palatinalis, ac per conſequens, fidei meæ, moneo; & per dulcis patriæ, quem præ ſe fert, amorem, adhortor, quatenus ad amouendam extremam regni, deſolationem ac ruinam, vlteriore ſanguinis Chriſtiani effuſione, cordi ſumta, modernam occaſionem non prætereat; quin potius, easdem benignas regales, ad quos directæ ſunt, quantocyus transmittere, eas publicari committere, & ſepoſitis omnibus impedimentis, ad promouendum vnicum commune bonum, indefeſſe adlaborare; demum Inclyt. Comitatuum ablegatos, pluresque ibi conſtitutos, qui regni conuentibus ſolent ac tenentur intereſſe; ad modernam regni Diætam; (ſic, vt nobiſcum vna, in negotiis procurandæ conſeruandæque patriæ quietis, indefeſſe collaborent) eorſum dimittere, D. V. ne grauetur. Ceteroquin, id mihi perſuadeo, ne ſi, (id vero longe abſit) nonnulli fideles, per dictarum regalium detentionem & ſuppreſſionem, vel impediendum aditum, de Diæta emaneant, ac ob id, ſalutiferam hanc tranquillitatis & conſeruationis patriæ, benigne adapertam occaſionem, dimittant; maiora, quam dici poſſint, timenda ſint, miſeræ patriæ, pericula & incommoda. Quorum, teſte Deo, & toto Chriſtiano mundo, in D. V. præciſe, ac primarios ductores, omnis cauſſa & culpa, deriuantibus a ſe omnibus regnicolis, redundabit; ſic, vt poſt fata etiam DD. VV. non aliud,*

Paulli Eſzterházii, Palatini, ad Rákóczium in eam rem epiſtola:

quam acerba & triſtis memoria, D. V. poſterorumque, vbi vbi ſuperſtitum, maledictio maneat. Quæ omnia, quod cordi non ſumeret, vel diligentiſſime non ponderaret, plane non credo: optatum reſponſum exſpectans. Viennæ 26. Ianuarii. An. 1708. D. V. Frater & affectuoſus Seruus. PAVLLVS ESZTERHÁZY. Credidiſſes, emollitum iri *Rákóczii (z.)* pectus, his iſtiusmodi obteſtationibus, locumque daturum, æquiſſimæ expoſtulationi: quod is quidem, adeo non fecit, vt ferocius etiam reſponderit *Palatino*, quam id poſſis exiſtimare. Literarum ſententia, vt eam mittamus in compendium, huc redit: *Intempeſtiue apud hos promulgari comitia, qui, Rege abrogato, ſuo iam cortice natarent; tum erat ferrum hoc cudendum, cum Schemnitzii, & poſteà Tyrnauiæ, de pace ageretur; ſe, & qui ſecum facerent, emunctioris eſſe naris, quam qui non poſſint odorari, quid ſibi obtentus comitiorum velit; deſineret princeps* ESTERHÁZIVS, *ſe, cum his, qui in obſequio eſſent Cæſaris, pro regno gerere venditareque; & ſuorum fidem, conuentu Onodienſi adiuratam, ſollicitare; quas* Rákóczio *minas intentaret, ſibi, & ſui ſimilibus, metueret*, cetera. Illud, omnem exceſſit humanitatem, quando epiſtolam, in hunc modum clauſit: *Siquidem autem, adnexarum litterarum* (Regiarum) *tenor, aliunde iam inclytis Comitatibus conſtet, earundemque expeditiones a Cæſare ſint, quem pro Domino nullus ex nobis agnoſcit, de nouo, intacte, & originaliter, D. Veſtræ remitto, manendo D. V. Frater, cum dilectione ſeruiens,* FRANCISCVS RÁKÓCZI *de Felső-Vadász. Tokay, Die 28. Februarii, An. 1708.* Refractariam hanc epiſtolam, *Bertsénius*, tunc *Schemniczii* agens, litteris ſuis, die ſeptimo Martii, comitatus, nouis dicteriis non dubitauit cumulatiorem facere. Tantum eſt, capi dulcedine dominandi! vt rationem eiurare malis, quam locum dare æquitati. Nempe, ferebatur in altum *Rákóczius*, vt lapſu grauiore rueret. Omnino enim *(a.)*

Solent ſuprema facere ſecuros mala.

ferox Rákóczii reſponſum:

atque eius epilogus extra modum inſolens.

§. XXIII.

Palatinus *comitia exorditur:*

DVm hæc a *Rákóczio* fiunt, *Palatinus*, cum iis *Statibus*, qui teſtandæ fidei cauſſa, poterant confluxiſſe, octauo Martii, comitia *Piſonii* exorditur. Expediti, ex templo, ad Cæſarem, legati, qui eius aduentum deprecarentur tantisper, dum comitia rite inirent; *Commiſſarios* autem, qui eo vſque moderarentur conuentui, donec adeſſe potuerit IOSEPHVS, ſuppliciter mitti rogarent. Legationis caput, *Cardinalis de Saxonia* fuit. Concinnabantur interea Viennæ *Propoſitiones Regiæ*, quas CAESAR, vti feſſam, tot malis, Hungariam, refoueret, per *Principem Adamum Liechtenſteinium*, & *Traunium Comitem*, Ordinibus commendaret. Ac hi quidem, miſſo, qui aduentantes acciperet, Epiſcopo Váczienſi, inſigni pompa, quarto No-

z.) Redditæ ei fuere litteræ *Palatini*, cum faſce Regiarum, d. 27. Febr. Tokaini.

a.) SENECA Oedipo, verſu 386.

Nonas Apriles, *Piſonium* ſubiere; biduo poſt, quid in mandatis haberent, expoſituri. Quod & ita euenit. Coacto enim comitio, *Liechtenſteinius*, cum *Traunio*, in publicum prodiere, productasque, quas adtulerant, *Propoſitionum* tabulas, palam prælegi curauere. Non poſſum, quin eas interſeram, vt conſtet apud poſteros, non animum curamque, ſed occaſionem, bene de *Hungaria* merendi, IOSEPHO, regum indulgentiſſimo, defuiſſe. Quid enim ageret, in ea, cum imperii, tum viciniſſimi regni, perturbatione, quam vt *amore* partim, partim *timore*, hoc eſt, conſilio hic, armis alibi, ad officium perduceret refractarios: Tabulæ certe, quas iam exhibebimus, luculentum, pientiſſimarum eius deſtinationum, præbent documentum, quæ ſic habent: *Poſteaquam altefata Sacra Cæſarea Regiaque Maieſtas, poſt felicia, in anno adhuc milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo ſeptimo, ſub generali æque huius regni Diæta Poſonienſi, auguſtæ inaugurationis ſuæ tempora, per Sereniſſimi quondam principis* LEOPOLDI! *Romanorum Imperatoris, ac Germaniæ, Hungariæ &c. Regis, prædeceſſoris quippe, & Genitoris ſui, beatæ & glorioſæ memoriæ, deſideratiſſimi, ante biennium, & quod excurrit, ad ſuperos translatione, huius quoque regni Hungariæ faſces & actuale regimen, legitimo & hæreditario ſucceſſionis iure, ſibi competens, adprehendiſſet & adeptus fuiſſet; Qualiter eadem Sua Maieſtas, commiſeratiuo paterno adfectu, inteſtinos regni motus, & exhinc ipſius patriæ ac vicinarum etiam hæreditariarum prouinciarum ſuarum, multifarias incinerationes, deuaſtationes, ruinam, deſolationem, & copioſam innoxii ſanguinis effuſionem, frequenter indoluit; ita, omnes ſolliciti regii animi ſui curas, eo, quo inclytum hoc & olim florentiſſimum Hungariæ regnum, ſibi cum primis carum, tot calamitatibus & malis preſſum, ac inteſtinis & pernicioſis motibus, adhuc dum deſæuientibus, turbatum, confuſum, & dilaceratum, ad optatum tranquillitatis & ſecuræ quietis ſtatum reducere, & reponere potuiſſet, direxit & impendit: eumque in finem, pro regii etiam muneris ſui exigentia, diuerſa, ad componendos præadtactos motus, gratiæ & benignitatis media, tum per benignas patentes aſſecuratorias, tenore videlicet quarum vniuerſos Status & Ordines, in ſuis iuribus, priuilegiis, immunitatibus, & libertatibus conſeruandos, clementer affidare dignata eſt; tum vero per tractatum quoque pacis, eo fine inſtitutum, ſed culpa aliorum interruptum, nec non alias etiam clementiſſime adhibuit: proprio experimento, præfatis Statibus & Ordinibus, abunde conſtabit. Et quia eadem altefata Sua Maieſtas Sacratiſſima, paterno deſiderio & regia clementia ac pietate, vlterius etiam pacando huic regno, & a tot & tantis calamitatibus, quibus deploranda ſane rerum viciſſitudine agitatur, vindicando, benigne propenſa, preſſisque opportunum ferre remedium intenta, ad fidelium etiam ſuorum, in debita fidelitate laudabiliter & conſtanter perſeuerantium, eidem altefatæ Suæ M. S. demiſſe exhibitam opinionem & ſuaſum permota, pro nunc efficacius remedium dari nequire, altiſſime conſideraſſet; quam vt præfatis Statibus, & Ordinibus, gene-*

Commiſſariorum ad vrbem aduentus:

Cæſaris, per eos factæ poſtulationes:

conceptus ipſorum verbis recitantur:

ra-

ralem Diætam, (quam aliunde pro dictamine legum, ac benigniſſimæ oblationis ſuæ, antehac etiam celebrandam cœpiſſet, niſi viciſſitudo & iniuria temporis vſque modo obſtitiſſet) adfulgente pro nunc, commodiori occaſione, indicat & promulgat, eosdemque Status & Ordines, conuocat, ac Ipſe etiam, in medium eorundem, propria ſua in perſona, accedat, communique, cum iisdem Statibus & Ordinibus, habito conſilio, ea, quæ ad comprimendos motus modernos, reſtituendam patriæ, conſtantem quietem, neceſſariumque tutamen, debitam auctoritatis Suæ regiæ manutentionem, præfati denique regni, & communium eiusdem auitorumque iurium, priuilegiorum, libertatumque, & legum conſeruationem, præcipue autem vniuerſorum deinceps periculorum, exceſſuum, & transgreſſuum præcautionem, iuris curſus, & iuſtitiæ adminiſtrationis, ſtabilimentum, neceſſaria videbuntur, tractet & concludat; firma ſpe freta, quod hoc medio, tot tamque grauibus motibus concuſſo Hungariæ Regno, Suæ Maieſtatis ſummo cum ſolatio, fidelium autem ſuorum Statuum ac Ordinum, (quorum quippe fidei integritatem, condigna grati animi reminiſcentia, proſequi, nullo vnquam tempore, intermittet) totiusque regni contento, præſentanea adferetur medela, tandemque bona & conſtans procurabitur ſecuritas. Ac proinde, prælibata Sacra Cæſarea Regiaque Maieſtas, quæ, vt præmiſſum eſt, durantibus his comitiis, pro bono regni pacifice prorſus peragendis, in perſona ſua, vt primum fieri poteſt, adeſſe cupit benigniſſime, a prætitulatis Statibus & Ordinibus, requirit, vt ſepoſitis quibusuis ſimultatibus, diſſenſionibus, ac priuatis etiam ſtudiis, non ſecus etiam priuatis grauaminibus, quoquo modo emerſis, hac vice, ad aliam proxime affuturam Diætam dilatis, publico duntaxat bono procurando, & tranquillando conſeruandoque regno, iurisque ac iuſtitiæ, ſine qua regna ſubſiſtere nequeunt, exactius adminiſtrandæ, penes debitam auctoritatis Suæ regiæ, iuriumque regiorum manutentionem, incumbere ſatagant, vt firmum ad id, ac ſtabile adinueniri poſſit remedium; quod altefata Sua M. S. eo gratius ac promptius ſe accepturam offert, quo vniuerſas regni libertates, priuilegia, iura & leges, tenore etiam benigni ſui diplomatis regii, benigne adprobaturam, & firmiter obſeruaturam, non ſolum animo clementer propoſuerit, verum & conſtanter perſeueraturam aſſecurat. Et hæc erant, quæ ſumme altefata S. C. R. M. pro præſenti rerum temporumque neceſſitate, iisdem Regni Statibus & Ordinibus proponenda eſſe cenſuit. Quibus in reliquo, omnibus, coniunctim, & cuiuis ſigillatim, Cæſareo Regia Sua Maieſtas, benigne propenſa permanet. PER SACRAM CAESAREAM REGIAMQVE MAIESTATEM. *Viennæ d.* 12. *Martii, Anno* 1708. *Ladislaus Hunyadi.* Hactenus tabulæ. Nihil omnino, ad ſedandos eius temporis motus, ſiue ſalubrius, ſiue accommodatius, conſuli in medium potuerat: vt mirum ſit, noluiſſe *Rákóczium* ad mentis ſanitatem redire, & facere officium. Scilicet *(b.)*:

Quem

b.) SENECA, Hipolyto, verſu 439.

Quem fata cogunt, ille cum venia eſt miſer;
At, ſi quis malis vltro ſe offert volens,
Seque ipſe torquet; perdere eſt dignus bona,
Queis neſcit vti.

§. XXIV.

ENim vero, trahebatur ad ſua fata *Rákóczius*, cum interim *Ordines*, qui *Piſonii* erant, nihil intentatum relinquerent, vt Regem regno, atque iterum, regnum Regi, ſumma æquitate, a ſeditioſis vindicarent. Sed, fruſtranei conatus fuere omnes, quando *Rákóczius*, præceptum animo facinus, & ſparſis per *Comitatus* litteris, & coacto valido exercitu, perexit exſequi: donec, tertio Nonas Auguſti, ab *Heiſtero*, haud longe *Trentſchinio*, fuſus fugatusque, locum faceret melioribus conſiliis: non, quæ ſequeretur ipſe; necdum enim ceſſabat, & poſt cladem, ferocire; ſed, quibus collapſas res ſuas, melior Hungariæ pars, redintegraret. Atque vtebatur omnino IOSEPHVS, ea occaſione, tanto accuratius, quo ad exſtinguendas feralis eius perduellionis, faces, viſa eſt opportunior. Duplex, profligandæ eius modus ſuccurrebat: alter, patrum conſcriptorum fuit, qui ſedendo; militum alter, qui pugnando, hydram illam conficerent. Fama eſt, confœderatorum, ſiue ſuapte, ſiue conſcio *Rákóczio*, duos, *Piſonium*, tertio, poſt *Trentſinenſem* pugnam, menſe, ad comitium acceſſiſſe, qui pollicerentur officium, ſi conditionibus, quas adferebant, Cæſar locum daret. Iſthuc autem redibant: *Mediatorum cautelas, legesque, quibus Hungariæ non minus, quam Tranſiluaniæ, ſaluti conſulendum cuperent, publica fide adfirmandas, ſartasque habendas, in tabulas referunto; Tranſiluanis, eligendi principis libertas, integra eſto; Principatu eo potiti, ritu principum Imperii Romani, a Rege Hungariæ, ius in prouinciam beneficiarium, accipiunto; militem extraneum, his vnice, qui limites aduerſus Turcas tuentur exceptis, regno, procul mora omni, deducunto; munera ciuilia, iuxta & eccleſiaſtica, Hungaris adtribuunto; ius, in partas bello prouincias,* neo-aquiſticum *vocant, penitus tollunto; religionibus, lege publica receptis, libertas intemerata conceditor; PP. Societatis Ieſu, ad eum ſtatum, quem tempore inaugurati Leopoldi tenuere, reponunto; res, ciuili hoc bello, perperam geſtas, iniurias item, ſiue datas, ſiue acceptas, obliuione æterna obliteranto; Ordinibus, cum omnibus, tum ſingulis, auita iura, libertatem, & prærogatiuas, Rex, iureiurando adſerendas promittito; denique, quidquid querelarum occurrerit, ſecuturis comitiis, diſputanto, & iis remedia adferunto.* Hæc illi, dictatoria prorſus auctoritate. Ergo, vt auditi fuere, dimittuntur, ab *Ordinibus*, ſi forte mitiora in poſterum vellent ſuggerere. Tunc vero demum ruere in deterius, *Rákóczii* res; arma contra ea, Cæſaris, perpetuis ſucceſſibus inualeſcere: donec, proſcriptis æternum, ſeditionis capitibus; his autem, qui infelici errore adhuc

Comitiorum Piſonienſium occupatio:

a Rákóczio *reddiitur irrita:*

eius clades:

Ioſephi *vigilantia:*

Hungarorum ad comitia nuncii, & horum poſtulationes irritæ:

adhuc ſectabantur perduelles, ad præſtitutum diem redire iuſſis, *con-*
Cæſaris in perduelles ſeueritas: *fœderationis*, quam iactabant, nerui omnes, inciderentur. *Ordines* certe, qui *Piſonii* comitia concelebrabant, Regis eam ſeueritatem, vti conſentaneam legibus, ita ad ſedandam tempeſtatem, vnice neceſſariam, prorſus adprobauerunt. Ingentes, ex ea ſanctione, in rempublicam fructus, redundauere. Enim vero, agminatim ad officium redibant ſummi & imi; quin & arces vrbesque, vſuræ optimi regis benignitate, tempeſtiuius eiurabant certatim fidem, male hucusque obſtrictam *Rákóczio*. Itaque, ſpes iam haud dubia adfulgebat, diſſolutum iri, conflatam in regem & patriam, conſpirationem. quæ res, vti comitia, ſemel atque iterum peſtilentiæ, paſſim graſſantis metu, interrupta, redintegrauit ſubinde; ita *Cæſarem*, in eas conſilii rationes induxit, vt ſeditionis reliquias, tametſi armis poſſet, pace data, quam primum ſupprimeret. Quæ, dum, Comite *Iohanne Pálffyo* adminiſtro, ſolicitiſſime procurat, variolis, familiari, quod diximus alibi, genti Auſtriacæ, morbo oppreſſus, pientiſſimis conſiliis, immortuus eſt, quamque viuus pacare nequiuerat *Hungariam*, pacatam poſt ſe reliquit. *Comitiorum decreta: quippe quibus*, inopina Cæſaris mors interceſſit, demum CAROLVS VI. *in* tabulas, quod mox dicemus, retulit.

quid ea profectum ſit:

Seditionis reliquiæ, pace ſopiuntur, Iohannis Pálffyi *opera:*

moritur Ioſephus:

ſuccedit Carolus.

§. XXV.

Eius, in refouenda Hungaria, ſollicitudo:

REdux nempe ex *Hiſpaniis*, poſteaquam inſignia Romani Imperii *Francofurti*, exeunte anno MDCCXI. capeſſiuiſſet, *Hungariam*, tot, ſe abſente, vulneribus confectam, publicis comitiis ſanandam refouendamque, ſtatuit. Indicta ea fuere, ad *Dominicam in Albis*, anno MDCCXII. iniereque tanta celebritate, quantam, ſpectandi noui regis auiditas, facile exciuerat. Acceſſit *Piſonium* Cæſar, datoque, ante omnia, diplomate *(c.)* quo libertas gentis intemerata adſereretur, diadema, ritu patrio *(d.)* ſumſit. Conſulebatur poſtea in publicum, mirifica Regis, & *Ordinum*, conſenſione, iamque in litteras decreta referri cœperant, cum peſtilenti contagione vrbs laborare. Proinde, Cæſare *Viennam* digreſſo, *Ordines* quoque ad ſuos, re infecta, diſceſſere. Biennium abiit, dum regio omnis, peſtilenti ea lue liberaretur. Tunc vero redintegrandum ſimul comitium, CAROLVS voluit, datisque quaquauorſum litteris, Status *Piſonium* denuo exciuit. Rem omnem, optime, ex Cæſaris decreto, addiſcas: *Poſt lugubrem Imperatoris & Regis* IOSEPHI, *fratris noſtri deſideratiſſimi deceſſum, cum* Nos, *ipſo facto, hæreditarii iſtius regni noſtri Hungariæ, gubernacula,* DEO *proſperante adiiſſemus, conſeruationi regni, pacique & quieti publicæ, ſalubriter prouiſum eſſe cupientes, tum pro felici inauguratione noſtra, tum vero, ſub prioribus congreſſibus, diætaliter iam peractorum negotiorum terminatione, generalem, vniuerſis Statibus & Ordinibus, eiusdem regni noſtri Hungariæ, & partium eidem adnexarum, conuentum, pro Dominica in Albis, Anni milleſimi, ſeptingenteſimi duodecimi, ac demum ob ſubſequutam pullulantis, ac in anno milleſimo, ſeptingenteſimo decimo tertio, longe lateque diffuſæ, & in loco etiam publici congreſſus, ipſa nimirum ciuitate Poſonienſi, deſæuientis luis malignitatem; præterea etiam interuentam, medio tempore, Palatini mortem; pro electione alterius, ac etiam dilectiſſimæ conſortis noſtræ, fauſtiſſima coronatione, iterum in diem octauam menſis Septembris, anni milleſimi, ſeptingenteſimi decimi quarti, continuatiue ad eandem liberam regiamque ciuitatem noſtram, Poſonienſem, promulgaſſemus, eique* Nos *etiam, iam perſonaliter, iam medio plenipotentiarii commiſſarii noſtri Regii, Spectabilis & Magnifici Ottonis Honorii, S. R. I. Comitis, ab Abensberg & Traun, &c. præfuiſſemus*, reliqua. Hæc fuerunt eius diætæ, in annum octauum productæ, rationes. Nam, cum anno MDCCVIII. cœpiſſet, publicis interpolata calamitatibus, altero ſub rege, anno demum MDCCXV. conſummari potuit. Sanctionum præcipua capita, iſthuc redibant: CAROLVM VI. eodem, quo IOSEPHVM loco, nempe legitimum regni Hungariæ hæredem, haberi; ſucceſſionem in regia dignitate hæreditariam, in ſeros nepotes, LEOPOLDI, ſi maſculi ſint, prorogari; criminis læſæ Maieſtatis reis, adductiora fræna iniici; ſi bellum ingruat, nobiles viritim in militiam proficiſci; militi extraneo, commeatus & ſtipendia, procurari; *Commiſſionem Neo-acquiſticam, Poſonii, Caſſouiæ, & Zagrabiæ*, inſtitui oportere. Ordinatæ porro fuerunt, decimarum rationes; promiſſa, a rege, *Eccleſiæ Váradienſi*, clenodia; adfirmatus *Aruenſi, Liptouienſi*, & *Thuroczienſi*, Comitatui, *Salis Polonici*, vſus; præſtituti comitiis agendis anni; ſublatæ ſuperuacuæ, cum triceſimæ, tum telonia; libera teſtandi facultas, *Prælatis* adſerta; auctoritas *Cancellariæ* conſtabilita; Aerarium Hungaricum, *Cameram* vocant, ab aulico illo, quod Viennæ eſt, ſecretum; Hungaris, *Viennæ*, ſeu viuentibus, ſeu decedentibus, pro eo, ac decuit, conſultum; *Generalis Capitanei* dignitas, *Palatino* confirmata; quin & res publicorum curſorum conſtituta, atque *indigenatus*, quem dicunt, ſuis legibus circumſcriptus fuit. Actum præterea eſt, de legum, & iudiciorum emendatione; *Fiſci Regii Proceſſu* & *Succeſſione*; de Teſtamentis, & cauſſis, quæ ad iudicia *Protonotariorum* adtinent. Et quoniam *Iudex Curiæ Regiæ, Comes Stephanus Kohári de Csábrág*, in obſidione Agriæ, vſum manus dextræ, amiſerat, neque poterat, tabulis, quibus erat neceſſe, ſubſcribere, lamina ei indulta fuit argentea, cui inſculptum eſſet nomen ſuum, imprimendum ſubſcriptionis loco, quoties id vſus ferret; ita tamen, vt eo mortuo, lamina eadem rediret ad Cæſarem. Tunc & ſanctiones, ad religionem adtinentes, conſtabilitæ ſunt, deſignata *Commiſſio*, quæ diſputaret partis vtriusque querelas. Paucis, vt multa complectamur; nihil factum reſidui eſt, quod, ſeu ad priuatam ſingulorum, ſeu, ad publicam omnium

indicit anno 1712. *comitia:*

iisque intereſt, & ſumit diadema:

ingruente peſtilentia, conuentus is diſſipatur, biennio poſt redintegratur:

regiæ litteræ:

c.) Exſtat id, *Decreti* eiusdem anni, Articulo II.

d.) Pompam inaugurationis ſupra, *Artic. I. §. XX. ſeq.* eodem hoc capite deſcripſimus.

quid legis adeo comitiis ſanctum:

Eliſabetha, Caroli coniux, in reginam inaugurator: omnium ſalutem ſecuritatemque, pertinere viſum eſt. Iisdem hiſce Comitiis, ELISABETHA, inter vniuerſæ Hungariæ plauſus, die *D. Lucæ* feſto, anno MDCCXIV. ſpectante ducenteque pompam, *Cæſare*, auito more, in *Reginam Hungariæ* inaugurata, atque *Mater patriæ*, conſalutata fuit: electus in Palatinum, *Comes Nicolaus Pálffy*, *Kohário Comite*, quem nunc laudauimus, in eius locum ſubſtituto.

Nicolaus Pálffy in Palatinum ſublegitur.

§. XXVI.

Belli Turcici & Siculi tempeſtas: PAcata ad hunc modum, & nouis præmunita legibus, *Hungaria*, bellum exarſit *Turcicum*, eo id quidem fœdius, quod induciis adhuc durantibus, & conflatum, & ſine clarigatione, illatum a barbaro fuit. Tametſi autem non eſt, cur belli eius fortunam doleamus: quippe qua, *Temeſuarium* primo, *Belgradum* poſtea, cum laxa vtrobique regione, adſerta poſtliminio *Hungariæ* ſunt; tamen, comitia, quæ ex legis præſcripto, anno MDCCXVIII. celebrari decuiſſet, differri tantiſper oportuit, dum hinc quidem *Turcicum*, *Siculum* illinc, quod *Hiſpani* intulerant, bellum, conficeretur. Hoſtibus triumphatis, commode poſtea, ad procurandam Hungariæ ſuæ perpetuitatem, animum adiecit CAROLVS: vt, cuius fines armis prorogarat; eius ſaluti, legibus ſimul, pro ſua bonitate, prouideret. Ergo, dies comitio, ad *duodecimum Calendas Iulii*, anni *milleſimi, ſeptingenteſimi, vigeſimi ſecundi*, præſtituitur. Obſecundauere, æquiſſimæ Regis voluntati, *Ordines*, coitumque fuit ingenti celebritate. quam poſtea, CAROLVS, præſentia ſua, tamquam iubare quodam, illuſtrauit. Vt conſultationum initium factum eſt, nihil prius, nihil antiquius duxere *Status*, quam vt abrogata ea lege, quæ Hungariæ regnum, ad ſolos nepotes LEOPOLDI maſculos, referebat, conſummatiſſimum hæreditatis ius, feminео etiam ſexui, vnanimi omnium *Ordinum* conſenſione, adtribueretur. Enimuero, vix conferri cœperant ſententiæ, cum, perorante *Franciſco Szluha*, Palatini Protonotario, viro acri, & legum patriarum conſultiſſimo, placidum primo murmur, mox aperta fit conclamatio: *Viuat Sereniſſima Domus Auſtriaca! Viuat ſucceſſio feminea!* Neque, in tanta *Ordinum* multitudine, repertus eſt quisquam, qui non pollicem oratori preſſiſſet. Tunc, coadunata vtriusque Tabulæ, *Superioris*, & *Inferioris*, deſtinatione, ac ſententiis, *ſexaginta viri*, nominati ſunt, qui Senatus, immo gentis vniuerſæ, conſultum, ad Cæſarem perferrent, rogarentque ſuppliciter, vti, hanc, erga ſe, mentis deditiſſimæ ſignificationem, clementer acciperet. Inibimus credo gratiam, apud poſteros, ſi nomina eorum adſcripſerimus, qui ſolemnitatem obierunt. Fuere autem, EMERICVS CSÁKY, S. R. E. Cardinalis, Archiepiſcopus Colocſenſis, & Epiſcopatus Varadienſis adminiſtrator, S. C. R. M. a conſiliis intimis: hunc, tamquam legationis caput, e VENERABILI CLERO ſequebantur: Comes *Gabriel Antonius Erdődy*, Epiſcopus Agrienſis; Comes *Ladislaus Adamus Erdődy*, Epiſcopus

comitia prorogat:

hoſtibus vndique triumphatis, indicuntur anno 1722.

adſirmatur feminea Domus Auſtriacæ *ſucceſſio:*

communi omnium plauſu accipitur:

deſignantur legati, qui hanc Ordinum voluntatem, Cæſari nunciarent:

eorum nomina.

ſcopus Nitrienſis, idemque Aulæ Vice-Cancellarius; Comes *Ladislaus Nádasdy*, Epiſcopus Csanadienſis; *Stephanus Kontor*, electus Epiſcopus Tribunicenſis; *Iohannes Kis*, electus Epiſcopus Anſarienſis. Ex REGNI BARONIBVS: Comites, *Stephanus Kohári*, Iudex Curiæ Regiæ; *Iohannes Pálffy*, Croatiæ, Dalmatiæ & Slauoniæ Banus; *Sigismundus Csáky*, Tauernicorum; *Marcus Czobor*, Ianitorum; *Iohannes Kéry*, Agazonum; *Iohannes Draskovitsch*, Cubiculariorum; *Petrus Zichy*, Dapiferorum Regalium, Magiſtri; Coronæ item cuſtodes: *Adamus Kolonitsch*, & *Thomas Nádasdy*, ſinguli, Cæſari a conſiliis. E COMITIBVS SVPREMIS, adfuere: *Alexander Erdődy*, Varasdienſis, & Caſtriferrei; *Alexander Karoly*, Szatmarienſis; *Petrus Révay*, Thúróczienſis, *Ioſephus Eſzterházy*, Comaromienſis, *Franciſcus Eſzterházy*, Borſodienſis; *Emericus Zichy*, Aruenſis; *Iohannes Forgách*, Neogradienſis, *Ludouicus Battyány*, adminiſtrator Szaladienſis, denique *Thomas Szirmay*, Sároſienſis. MAGNATVM partes obibant: *Sigismundus Battyány; Caſparus Eſzterházy; Franciſcus, Carolus*, & *Nicolaus Pálffii; Ioſephus Illyésházy; Antonius Csáky; Georgius Szétsény; Georgius Berény; Ladislaus Szunyogh; Franciſcus Karoly; Leopoldus Nádasdy; Adamus Kéry; Franciſcus Forgách; Paullus Balaſſa; Nicolaus Zichy; Michael Révay; Paullus Haller; Iohannes Balaſſa; Ladislaus Sándor*; denique *Nicolaus Malenics*, Croata. Ex his, qui ius INDIGENATVS in Hungaria obtinuere: *Carolus ab Harrach*; *Comes ab Rappach*; & *Baro Lhuillier*. Ex STATVVM ordine: *Franciſcus Szluha*, Palatini; *Gabriel Kapi*, Iudicis Curiæ, Protonotarii; *Sigismundus*, *Comes Berény*, Strigonienſis; *Gerhard*, Agrienſis; *Iohannes Pelcz*, Scepuſienſis, Capitulorum; *Georgius Czindery*, regni Croatiæ, legati; *Iohannes Sigray; Stephanus Zeke*, Tabulæ Regiæ adſeſſores; *Chriſtophorus Vgronouitsch*, Trentschinienſis; *Franciſcus Gyulaj*, Comaromienſis; *Emericus Matyaſowſzky*, Scepuſienſis; *Nicolauus Ötves*, Szatmarienſis; *Iohannes Meſzlény*, Albaregalenſis; *Stephanus Keneſey*, Veſzprimienſis; atque *Adamus Boronkay*, Biharienſis Comitatuum ablegati. MAGNATVM abſentium vice fungebantur: *Paullus Prileczky; Paullus Ieſzenák*, & *Iohannes Reviczky*. Hos, *Iohannes Adelffy; Ladislaus Vajay*; & *Georgius Paluska* iunior, magnatum extraneorum vice, excipiebant. Denique, e liberis regiisque vrbibus adfuere: *Michael Kegel*, Poſonienſis; *Stephanus Vancſay*, Caſſouienſis; *Iohannes Trimmel*, Sempronienſis, & *Stephanus Léuay*, Debreczinenſis, ablegati.

§. XXVII.

Viennam accedunt: SOlemni hoc cum comitatu, ſimul *Viennam* acceſſit *Csákyus*, id operam dedit, vt, quid nuncii, ex comitiorum voluntate adferret, *Cæſari* expromeret. Data, principis adeundi facultate, vt inſolitam pompam eo deducerent magnificentius, triginta duobus carpentis, plerisque ſeiugibus, in regiam inuehuntur *Ordines*, tanta ſpectantium concurſatione, vt vix ſupereſſet ſpatium, qua rhedarii

& ad Cæſarem admiſſi:

quid adferrent nuncii, Csákio *interprete*, *expromunt*:

equos propellerent. Vt, in *Cæsaris* conſpectum, quem proceres aulæ faſtoſe inſtructi, circumſtabant, ventum eſt, Csákyvs, purpuram indutus, ſic fari cœpit. Sacratissima Caesarea Regiaqve Maiestas! *Domine, Domine Clementiſſime! Vbi Maieſtas Veſtra Sacratiſſima, per benignas regales ſuas, vniuerſos Regni Hungariæ Status & Ordines pro die vigeſima proxime præteriti Menſis Iunii, ad Generalem Regni Diætam, in liberam regiamque ciuitatem Poſonienſem, clementer conuocari feciſſet; iidemque, pro homagiali erga Maieſtatem Veſtram obligamine, eum in finem, fideliter numeroſiſſimeque, ſi vnquam, nunc ibidem comparuiſſent; de more, in Regno hoc Apoſtolico, vſitato, Diuinoque Numini debito, ab inuocatione eiusdem gratiæ & auxilii, negotiorum tractatum exordiri volentes, ipſo die proxime præterito Diui Ladislai, olim æque Hungariæ Regis, (cuius munificentia, ac liberali opera Epiſcopatus meus Váradienſis fundatus, vna & Capitulum, exſtitit) in Templo S. Martini Epiſcopi (Præpoſituræ non abſimiliter meæ) vbi nempe plerique glorioſiſſimæ memoriæ Prædeceſſores, ex Auguſtiſſima Maieſtatis Veſtræ Domo, progenitoresque, ac ipſamet etiam Maieſtas Veſtra, vna cum Auguſtiſſima Domina noſtra, ſacro Regni diademate redimiti; perſolutis de obligamine Deo laudibus, in proximo eoque primo regnicolarum diætali conſeſſu (certe non abſque ſingulari Diuini Spiritus afflatu, per merita haud dubie Sancti Regis, cuius in feſto Spiritum Sanctum, cum expoſitione Sanctiſſimi Corporis Chriſti, me, Pontificalia exercente, inuocauimus) omnes omnino Regni Status & Ordines*, non inducti, non perſuaſi, vna voce, votoque, vno corde, & ore, ſponte, libere, deliberateque, ac beneuole, in id conſenſerunt, de eoque Maieſtati Veſtræ Sacratiſſimæ humillime ſupplicandum eſſe cenſuerunt: Vt hæreditarium Maieſtatis Veſtræ, pro Sexu maſculino Hungariæ Regnum, cum omnibus Regnis, ac Prouinciis, ad ſacram eius Coronam pertinentibus, recuperatis, & Deo auſpice recuperandis, in caſu (quem Devs optimus Maximus clementer auertere dignetur) defectus ſexus maſculi, nunc pro tunc, & in perpetuum etiam, pro Sexu feminino clementer acceptare dignetur, ſeruato ſemper per ſtirpes Primogenituræ iure, & ordine. *Suadebant id, ſumma, glorioſiſſimæ memoriæ Progenitorum, & Prædeceſſorum, ipſiusmetque Maieſtatis Veſtræ merita, fatigia, curæ, ac ſollicitudines, in eliberando e Barbarorum iugo, dilatando item ac ſubleuando regno hoc ſuo Apoſtolico, impenſæ. Suadebant, inæſtimabilis, pro ſucceſſiuis quoque temporibus, Paterna plane, regno, ſummo cum ſolatio, vel ex ipſis regalibus innoteſcens prouidentia, ſecuritatisque & tranquillitatis internæ, ac externæ, ſana ratio. Suadebat, exitioſa, fatalium præcautio interregnorum. Suadebat, præteritorum, præſentium, futurorumque, rememoratio ac obſeruatio: quo nempe in ſtatu fuerit, ac reſpectiue ſit, eſſeque viciſſitudine rerum poſſit Regnum hoc, tot calamitatibus, ab ipſis Sancti Proto-Regis Stephani temporibus agitatum. Sua-*

Suadebat firmiſſima, in Maieſtatis Veſtræ gratiam & clementiam, fides ac ſpes. Suadebant denique, perſuaſeruntque omnia, dum nihil penitus, quod rationi conſentaneum in contrarium ſit, occurreret. Et ſane, cui enim alteri, omnibus rite penſatis ac perpenſis, ſemet, Coronamque ſuam Angelicam, felicius deuoueret Hungaria, quam Auguſtiſſimæ Maieſtatis Veſtræ Domui, tot glorioſiſſimorum Imperatorum & Regum, fœcundæ matri. Conueniebat non aliud ex omni parte conſilium, quam vt ſacra hæc Corona, *tot inter viciſſitudines & ſui periclitationes, per glorioſiſſimos Maieſtatis Veſtræ Prædeceſſores, perque ipſammet Maieſtatem Veſtram defenſa, tutata & conſeruata, ſacrisque Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ verticibus, tot ſæculis interrupte inhærens, non alio, vſque in finem ſæculorum ſinu, quam Auguſtiſſimæ Maieſtatis Veſtræ poſteritatis etiam conquieſceret. Cui namque ſe confidere ſecurius? in quo ſperare tutius? hinc, in quem amore ferri debuit ardentius? quem quærere conſultius? vbi ſe ſuaque, ſtabilire firmius? vbi firmare potuit ſtabilius? quam in Euchariſtica Maieſtatis Veſtræ Domo Auguſtiſſima? in qua, non habet quod metuat,* ſeu Regnum Apoſtolico-Marianum, ſeu Coronam Angelicam in aliud, quam religionis Romano-Catholicæ caput, ſicut erat in principio, & nunc, vnquam deuoluendam. *Exinde enim firmiſſime credit, ſperatque Hungaria, tam ſuam, quam aliorum* Maieſtatis Veſtræ, *ſucceſſorumque ſuorum vtriusque ſexus, gubernio conſtituta, ſanctiſſime præmeditatam cum iisdem nanciſcatur vnionem. Credit, inquam ſperatque indubie, non modo auitarum ſuarum libertatum, & prærogatiuarum manutentionis, & conſeruationis firmius ſtabilimentum; verum etiam vberiorem, e Paterni Maieſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ, Succeſſorumque ſuorum vtriusque ſexus, gratiarum monumenti ampliori reſeratione, donorum & gratiarum fertilitatem. Tum demum felices nos, ſi votis noſtris annuat* Maieſtas Veſtra, *reputabimus, præſentes hunc in finem deputati, gaudium, & conſolationem etiam cum illis, quorum paribus votis hic exiſtimus, communicaturi. Ringatur Oriens, cenſurent, vtut libet, ac explicent factum noſtrum æmuli, vel felicitatum Auguſtiſſimæ domus inuidi, parum, imo nihil intereſt; Nobis, ſemel pro ſemper ſufficit,* Deo *auctore concluſa, Maieſtatisque Veſtræ Sacratiſſimæ gratia concludenda, firmiter conſtanterque amplecti.* Suſcipe proinde, Clementiſſime Domine! vota, precesque, & gratiſſimi animi argumentum, populi, non vi, non metu, non armis, non factione, vel præoccupatione aliqua, nec conſilio, aut exemplo, ſinceræ erga Maieſtatem Veſtram deuotionis, ab aliis ſumpto; verum ſponte propria, libere, beneuoleque, ac deliberate, amore Maieſtatis Veſtræ, a ſe capto, ſeque Maieſtati Veſtræ, & eiusdem vtriusque ſexus poſteritati in perpetuum ſubiicientis. *Suſcipe corda & animos, omni prorſus diffidentia, vel vmbra, depuratos. Conſolare, vel per id, Hungariam, aliunde Tuam, ac demum intende, proſpere procede, & regna: Diuinumque*

que, (cuius hæc prouidentia, ac diſpoſitione mirabili acta ſunt) auxilium maneat ſemper nobiſcum, Amen. Dixerat *Csákyus*, cum CAESAR, hanc erga ſe voluntatis ſignificationem benigne accipit, actisque, cum vniuerſæ genti, tum Piſonienſi comitio, gratiis, de ſe, ſuisque poſteris, Hungariam omnem, bene ſperare iubet, breuique ſe eo deſcenſurum, clementiſſime pollicetur. Ad amplexandam poſtea dextram *Cæſaris*, ex more, admiſſi *Ordines*: ad *Auguſtam*, eodem ritu conſalutandam, abiere. Erant, cum ea *Archiduces* filiæ. quas *Csákyus*, ſermone Germanico, in eandem fere ſententiam adloquutus, rogabat impenſius, vti hanc gentis *Hungaræ*, erga ſe propenſionem, Auguſtiſſimi mariti, ac patris exemplo, æqui bonique conſulerent. Accepti heic quoque benigniſſime, eodem, quo acceſſerant, ordine, *Csákyum*, ad ædes *Pálffyanas*, vbi hoſpitabatur, *Status*, comitati ſunt; inſtructiſſimo prandio, ab eo adhibiti.

Cæſaris *reſponſum longe benigniſſimum:*

itur ad Auguſtam quoque, & Archiduces filias.

§. XXVIII.

Reduces legati, rem geſtam ad ordines referunt:

& Cæſarem aduentum nunciant:

mittuntur ei obuiam e Statibus: duce Gabriele Erdödy: *eius ad Cæſarem oratio:*

HAEC *Viennæ* geſta fuere. Reduces inde legati, rem, quemadmodum adminiſtrauerint, quamque habiti fuerint benigne, prolixe expromunt, atque propediem adfuturum *Cæſarem*, *Ordinibus* adfirmant. Ergo, ei accipiendo inſtruuntur confeſtim omnia; Comes autem, *Gabriel Antonius Erdödy*, *Epiſcopus Agrienſis*, Cæſari, cum ſplendido comitatu, pro finibus regni occurſurus, dimittitur. *Farkas Faluam*, (*e.*) pranſurus CAESAR, aduenerat, cum ei Hungariæ adeſſe *Ordines*, nunciatur. Admiſſi protinus, *Gabriele* interprete, Cæſarem, hunc in modum adloquuntur: *Adſumus, a fidelibus Maieſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ, iam duplici vinculo hæreditarii Regni Hungariæ Statibus & Ordinibus, Poſonii diætaliter congregatis, deputati, eum in finem exmiſſi, vt de felici eiusdem ad confinia fati Regni ſui aduentu, nomine omnium Statuum, & Ordinum, gratulabundi de genu, homagiali pro obligamine, veneremur humillime, ac reuereamur; quod etiam in præſentiarum, ex debito humillime ac ſubiectiſſime, omnique cum ſubiectione, eſto impari, reſpectu meritorum Maieſtatis Veſtræ, pondere, perſoluimus & exequimur: Diuino numini ſupplicantes, vt Maieſtatem Veſtram, diu, pro ſalute populorum ſibi ſubiectorum, conſeruare, ac de hoſtibus ſuis triumphare facere, vlteriusque feliciter in regnum ſuum, ad ſolamen & gaudium fidelium ſuorum, hæreditariorum ſubditorum, deducere dignetur. Id namque exigit a nobis, vltra homagialem erga Maieſtatem Veſtram obligationem ac merita, proprium experimento emolumentum & commodum, dum toties, quoties Maieſtatis Veſtræ præſentia frui licuit ſingulari, nunquam ſine conſolatione (Deo, & Maieſtati Veſtræ gratias!) adeſſe datum eſt. Teſtatum id reddit primus, Maieſtatis Veſtræ in Regnum hocce, hæreditario*

e.) Germani *Wolffsthal* dicunt. Vicus eſt, ad radices montis *Haymburgenſis*, Danubio, ad hodiernos *Hungariæ* fines adſidens: caſtello inſtructus, haud ineleganti, & plurium *Cæſarum* hoſpitio memorabili.

tario ſucceſſionis iure ad ſe deuolutum, ingreſſus, vbi coronato orbatum capite, regnum per glorioſam ſui coronationem luctu exuit, & conſolatum reddidit. Teſtatum reddit alter felix Maieſtatis Veſtræ aduentus, dum Auguſtiſſimam Dominam, Dominam noſtram clementiſſimam, ſacra non abſimiliter corona redimiri fecit. Teſtatum reddit, moderna gratia & clementia, dum denuo ad fideles ſubditos ſuos veniens, per ſanctiſſime inſinuatam Regnorum ſuorum, ac hæreditariarum prouinciarum vnionem, non aliud, quam eorundem publicum bonum, ac emolumentum ſecuritatemque, prouide ſtabilire, paterna ſollicitudine, meditatur. Et ſane, ſi Alexandrum Magnum, alias virtute, gloria, & prudentia, ab orbe, magnum dictum, rememoremus, maiorem merito in Maieſtate Veſtra Sacratiſſima, mirari debet orbis. Ille enim bello armisque captas innumeras pene prouincias, plus charorum ſuorum commodo, quam populorum ſibi ſubiectorum conſeruationi ſtudens, inter ipſos, teſte Sacra ſcriptura, adhuc (e.) viuens, diuiſit. Et, qui ſub vno corpore audiit: Mundi Domitor Alexander; diuiſo inter eos imperio, vix illorum, vti & populorum ſuorum famam, nedum prouincias conſeruauit. Maieſtas autem Veſtra Sacratiſſima, plus regnorum prouinciarumque ſuarum, & in his exiſtentium ſubditorum ſibi populorum ſaluti, quam ſanguinis ſui commodo conſulens, non eorum diuiſionem, verum potius diuiſarum coronarum, ad chriſtiani orbis, populorumque ſuorum tutamen, vnionem perpetuam effecit, dum per fideles ſui hæreditarii Regni Status ac Ordines, diætaliter adunatos, in Hungariæ corona, omniumque ad hanc pertinentium Regnorum, & prouinciarum, in caſu defectus ſexus maſculi, (quem DEVS *ita miſericorditer auertere dignetur, vt non modo primogenitum coronare videre poſſimus, ſed & ego minimus Maieſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ Capellanus, qua indignus Agrienſis Epiſcopus, quartogenitum Maieſtatis Veſtræ, iuxta Sancti Regis Stephani inſtitutum, Epiſcopatus mei priuilegio expreſſe inſertum, educare ac enutrire in diebus meis valeam!) tali, inquam, in caſu, etiam pro femineo, perpetuam ſucceſſionem, vno, eoque fideli corde, & animo, proxime ſpontanee oblatam, acceptare dignata eſt. Per quod, ſi vnquam alias, nunc certo, illa Salomonis Regis viuere cœpit Hungaria tempora, quibus ſcriptura ſacra referente, aſſerebatur: Habitaſſe Iudam & Iſrael, abſque timore vllo, vnumquemque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua a Dan, vsque Berſabe, cunctis diebus Salomonis. Viuimus nunc ſane abſque timore vllo, populis cunctis, & vel maxime Hungariæ fatalis interregni, acceſſoriorumque exinde malorum, ſub perpetua Auſtriaci Auguſti ſanguinis protectione; Viuemusque,* DEO *incrementum, vti firmiter credimus, dante, ab Oriente vsque ad occaſum, cunctis diebus Maieſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ, & Auguſti ſanguinis Auſtriaci vtriusque ſexus primogenituræ. Progredere igitur, Clementiſſime Domine! etiam vlterius in propria! progredere, ac animos, aduentum Maieſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ anhelantes, Auguſtiſſima præſentia, amplius etiam conſolare! Nos interea ex indultu, & annutu Maieſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ reduces, ſuſpi-*

e.) Lib. 1. Machabæorum Cap. 1. v. 7.

ſpiratum & optatum eiusmodi aduentum, iis, a quibus exmiſſi ſumus, annunciaturi, Devm, *optimum maximum orabimus, vt, quo mediante, Coronam Angelicam, Diuo Hungariæ apoſtolicoque Protho-Regi* Stephano *dandam indicauit, eum etiam nunc mittat angelum ſuum, qui Maieſtatem Veſtram Sacratiſſimam, eadem angelica Corona coronatum, eiusdemque Diui Regis legitimum ſucceſſorem, tum in Regnum totum quantum ſuum hæreditarium Hungariæ progredientem, tum ibidem commorantem, ab omni malo præſeruare, cuſtodire, ac per eum Maieſtati Veſtræ Sacratiſſimæ, ecce* Elisabeth *cognata tua concepit filium! miſericorditer annunciare dignetur. Amen.* Hæc ille. Cui Caesar, breui ſermone, quo ſit in Hungariam ſuam animo, benigne conteſtatus, iamiam ſe adfuturum ſpopondit. Interea, quidquid ad pompam pertinere viſum eſt, adparatur, legio *Pálffyana*, equeſtris, *Danubium* traiicit, & ad limitem *Hungariæ*, in ordines ſeſe explicat. Sequuti mox & Status fuere, faſtoſe omnes, aut equis, aut carpentis, vecti. Vt primum Caesar, fines Hungariæ adtigit; diſplodi ex arce Piſonienſi, tormenta cœperunt. Acceptus illic a proceribus, ea, qua par erat, obſequii teſtificatione, curru, quo cum Auguſta vehebatur, relicto, equo inſedit, atque, traiecto nauali ponte *Danubio*, in vrbem, poſtea in arcem inuectus eſt. Quod cælum, ſudum ac feruens, pompæ fauebat, dici nequit, quanta paſſim frequentia ſummi imique, ad viſendum *Cæſarem*, nunc demum conſummatiſſimo iure, Regem ſuum hæreditarium, concurſarint.

breue, ſed benignum Cæſaris reſponſum:

ſubit vrbem & arcem:

pompa, & concurſatione, extra modum inſigni.

§. XXIX.

Quid Status vellet, Cæſar, interprete Nicolao Illyésházio, *Cancellario, exponit:*

fit comitii initium, lege, de ſucceſſione feminea, perlata:

eius verba:

Altero poſt die, excitos in arcem *Status* atque *Ordines*, eos porro quid vellet, ſolio reſidens, interprete *Comite Nicolao Illyésházyo*, Cancellario Hungarico, edocet, vtque teſtificationem illam, quam ſibi per delegatos viros nunciarant, in tabulas referrent, clementer admonet. Nec mora, fit conſultationum initium, fertur lex, qua, ius in Hungariam hæreditarium, in ſexum, gentis Auſtriacæ vtrumque, plaudente vniuerſo comitio, transſcribitur. Relata ea eſt, in eorundem comitiorum *(f.)* decreta; ſed quod ignota forte exteris, rarius res Hungaricas adtrectantibus, iſthic, in lectorum gratiam, adſcribenda. Ita vero habet: *Tametſi Suæ Sacratiſſimæ Cæſareæ & Regiæ Maieſtatis fideles Status & Ordines Regni Hungariæ, partiumque eidem annexarum, viuidam & florentem, optimeque conſtitutam ætatem, vires & valetudinem conſpicientes, diuinæque benedictioni quam optime conſiſi, Eandem, magnis & glorioſis ſexus maſculini ſucceſſoribus, ad preces quoque fidelium ſuorum Statuum, eo fine ad* Devm *Ter Optimum fuſas, & inceſſanter fundendas, largiſſime benedicendam, & indeſinenti maſculorum hæredum ſuorum ordine, fideles Status regni conſolandos fore, vel maxime confiderent; quia vero apprime etiam perſpectum haberent,*

f.) Articulo II.

berent, Reges pariter & principes, æquali aliorum hominum mortalitatis ſorti ſubiectos eſſe: mature proinde, & conſulto perpendentes, tot & tanta, cum prædeceſſorum Suæ Sacratiſſimæ Cæſareæ & Regiæ Maieſtatis, Diuorum olim Leopoldi *genitoris, &* Iosephi *fratris, glorioſiſſimorum Hungariæ Regum, tum vel maxime propria clementiſſime regnantis Suæ Sacratiſſimæ Cæſareæ, & Regiæ Maieſtatis, pro incremento boni patrii publici, proue fidelium ciuium ſuorum perenni ſalute, bello æque ac pace, exantlata glorioſiſſima acta & facta, dum non modo hæreditarium regnum hoc ſuum Hungariæ, partesque regna & prouincias eidem annexas, in ſtatu per præattactos glorioſos prædeceſſores ſuos poſitum, conſeruauit; ſed occaſione etiam nouiſſimi Ottomanici belli, contra feruentiſſimos eiusdem impetus, idem animoſe tutata, victricibus, felicibusque armis, in annexa eidem regna, & prouincias, cum immortali ſui nominis gloria, Statuumque & Ordinum, ac priuatorum regni ciuium, perenni ſecuritate, protenderit, vt ſucceſſiuis quibusuis temporibus, ab omnibus externis, & etiam domeſticis confuſionibus, & periculis præſeruare, immo in alma & continua tranquillitate, ac ſincera animorum vnione, aduerſus omnem vim, etiam externam, felicisſime perennare poſſit; quosuis præterea etiam internos motus, & facile oriri ſolita, ipſis Statibus & Ordinibus regni ab antiquo optime cognita interregni mala, ſollicite præcauere cupientes, maiorum ſuorum laudabilibus exemplis incitati, volentesque erga Sacratiſſimam Cæſaream & Regiam Maieſtatem, Dominum Dominum eorum clementiſſimum, gratos & fideles ſemet humillime exhibere, in defectu ſexus maſculini Sacratiſſimæ Cæſareæ & Regiæ Maieſtatis, (quem defectum* Devs *clementiſſime auertere dignetur!) ius hæreditarium ſuccedendi in Hungariæ Regnum, & Coronam, ad eandemque partes pertinentes, prouincias & regna, iam diuino auxilio recuperata, & recuperanda, etiam* in Sexum Auguſtæ Domus Suæ Auſtriacæ femineum; *primo loco quidem, ab altefata modo regnante Sacratiſſima Cæſarea & Regia Maieſtate, dein in huius defectu, a Diuo olim* Iosepho, *his quoque deficientibus, ex lumbis Diui* Leopoldi *Imperatorum, & Regum Hungariæ deſcendentes, eorundemque* legitimos Romano-Catholicos Succeſſores, *vtriusque ſexus Auſtriæ Archiduces, iuxta ſtabilitum per Sacratiſſimam Cæſaream ac Regiam Regnantem Maieſtatem, in aliis quoque ſuis Regnis & prouinciis hæreditariis, in, & extra Germaniam ſitis, primogenituræ Ordinem, iure & ordine præmiſſo,* indiuiſibiliter ac inſeparabiliter, inuicem & inſimul, ac vna cum Regno Hungariæ, *& partibus, regnis, & prouinciis eidem annexis, hæreditarie poſſidendis, regendam, & gubernandam transferunt, & memoratam ſucceſſionem acceptant, taliterque eandem ſucceſſionem femineam, in Auguſta Domo Auſtriaca introductam, & agnitam, (extenſis ad eam nunc pro tunc Articulis 2. & 3. Anni MDCLXXXVII. & pariter 2. & 3. Anni MDCCXV.) iuxta ordinem ſupradictum, ſtabiliunt, per præattactum femineum Sexum Auguſtæ Domus eiusdem, præuio modo declaratos hæredes, & Succeſſores vtriusque Sexus Archiduces Auſtriæ, acceptandam, ratihabendam, &*

vna cum præmiſſis, æque modo præuio, per Sacratiſſimam Cæſaream & Regiam Maieſtatem clementiſſime confirmatis diplomaticis, aliisque prædeclaratis Statuum & Ordinum Regni, partiumque, regnorum, & prouinciarum, eidem annexarum, libertatibus, & prærogatiuis, ad tenorem præcitatorum articulorum, futuris ſemper temporibus, occaſione coronationis obſeruandam, determinant, & non niſi poſt omnimodum prædicti ſexus defectum, *auitam & veterem, approbatamque, & receptam conſuetudinem, prærogatiuarumque Statuum & Ordinum in electione, & coronatione regum, locum habituram, reſeruant intelligendam.* Hanc *Ordinum* erga ſe voluntatem, regia benignitate penſaturus Cæſar, iura, libertatemque *Statuum*, auctoritatem *Palatinalem*, nobilitatis item prærogatiuam, intemerate ſe, ſuosque poſteros, habituros, ſpopondit. Prohibuit vectigalium exceſſus, & partas bello prouincias, quam primum id commode fieri poſſit, regno adunandas, clementer promiſit. Latæ præterea non paucæ leges fuere; *caſus, notam infidelitatis inferentes*, deſignati; regni iudicia, quibus ſalus publica continetur, prorſus conſtituta, atque ad eum modum fuerunt diſpertita, vt & *locorum*, haberetur *ratio*, & temporum. Ergo, non *Septem-Viralis* modo, ſed *Tabula* etiam *Regia Iudiciaria*, vti a litigantibus procliuius adiri poſſint, *Peſtum* deſtinatæ fuere, quo, ſtatis menſibus, illic coirent, & ſine ceſſatione, demtis ſolum feriis, cauſſas diſputarent diiudicarentque. *Tabulæ* quoque, quas *Diſtrictuales* vocarunt, inſtitutæ ſunt, ea locorum opportunitate, vt ſingulæ regni partes, quaſi in gremio, ſuos haberent iudices. *Tyrnauia*, cis Danubium; cis Tibiſcum, *Eperjeſinum*; vltra, *Váradinum (g.)*; trans Danubium, *Kőſzöginum*, in tabularum ſedem, deſignata ſunt. Longum foret, ſanctiones reliquas; *centum enim & viginti nouem* vniuerſim ſunt; percenſere. Dixiſſe ſuffecerit: ſi vllis vnquam comitiis, his profecto, reipublicæ conſultum eſt: quando, & iuſtitiæ, in commune adminiſtrandæ, exactiſſima habita ratio eſt, & priuatorum commoda vtilitatesque, prorſus diſcuſſæ, adfirmatæque ſunt. Quæ res, dum conficerentur, non poterant non, hinc Regis, illinc Ordinum, ſtudia curæque fatigari. Ac fuit omnino, diu diſceptatum, hicne iudiciorum habitus, an prior ille, & quem infelicitas temporum induxerat, magis ad ſalutem reipublicæ adtineret? Vtraque ſententia ſuos nacta patronos, dedit contentionum ſatis; ſed vicit tamen eorum opinio, quibus inſtaurata hæc iudiciorum ratio, adprobabatur. Præfuere poſt CAROLI abitum, comitio, Comes *Gundackerus Thomas a Stahrenberg*, & Comes *Franciſcus Ferdinandus Kinsky*, Cæſari a conſiliis intimis: poſteaquam, demto die vnico, annum integrum, agitata fuiſſent. Nam, cum anno MDCCXXII. ad diem vigeſimum Iunii, coiuiſſent, anno, qui ſequutus eſt, vigeſimo tertio, die

Cæſar, quibus ſanctionibus gratum erga Ordines animum teſtatus ſit:

decreta reliqua:

Septemuiralis & Tabula Regia Iudiciaria:

Tabulæ diſtrictuales:

quæ ſe in his decernendis difficultates ingeſſerint.

g.) Sed hinc, ob loci, ſeu inſalubritatem, ſeu retruſum poſitum, idem iſtud *Diætarium*, annis ſequentibus, indulgente id Cæſare, *Debreczinum* translatum eſt, vbi hodieque degit.

die decimo nono, eiusdem menſis Iunii, rata habuit Cæſar, decreta comitiorum.

§. XXX.

SVcceſſere demum anno MDCCXXVIII. menſe Maio, noua comitia, a Rege optimo, eo fine indicta; vt, quod ſuperioribus illis ſancitum fuit, recognoſceretur iterum, quodque iam res & temporis ratio poſceret, conſuleretur in medium. Aberat *Cæſar*, Græcenſi, maritimoque itinere auocatus. Proinde, *Comes* iterum *Franciſcus Ferdinandus Kinsky*, dato ei collega, Comite *Iohanne Hermanno Franciſco a Neſſelrode*, comitio moderabatur. CAESARIS poſtulationes huc redibant. Agerent, pro ſua, in Regem fide, proque amore in patriam, *Ordines*, vti exercitui, quem præſentium temporum habitus, multo, quam antea, requirat numeroſiorem, cum commoditate alendo, ſufficeret CAESAR; cum vero ad expediendam præſtandi cenſus *rationem*, vnice adtineat, immo neceſſarium ſit *prorſus atque ineuitabile*, vti *æquali omnes portione*, *tributa pendant*; id vero, niſi cum omnium, tum ſingulorum facultates, explorentur, fieri haud poſſit; regnum vniuerſum, ex præſcripto eius ideæ, quam rex nuper ſuppeditarit *Ordinibus*, conſcriberent, cenſerentque; cauerent præterea, ne ruſticum vulgus, deſertis ſedibus, profugeret, impediretque ea vagatione, pendendi cenſus rationes; quin, diſpicerent ſollicite, quemadmodum profugi reprehendi, retrahique in ſedes priſtinas poſſint; porro, excuterent leges, quæ fine ſuo excidiſſent hucusque; *ſignanter*, vti verba habent, *circa diiudicationem cauſſarum criminalium, item expeditionem litterarum plenipotentialium, & procuratoriarum, ad actiue, vel paſſiue in iudicio agendum, requiſitarum, ac his, qui extra regnum conſtituti, in locis credibilibus, & authenticis, eiusmodi plenipotentiariam & procuratoriam conſtitutionem celebrandi modum non haberent; præterea inquiſitiones quoque & probas, in iure requiſitas, magis facilitandas, ad eruendam rei veritatem, nec non appellationes, in cauſſarum proceſſibus, interponendas, aliaque iuridica remedia, vbi & qualiter admittenda.* Deinde, cum in comitiis fere omnibus, de limitibus regni reuidendis, conſtituendisque, deliberatum fuerit ſæpius, in eam curam incumberent *Ordines*, vti momentoſum adeo negotium, ex animi ſententia, finiretur. Quia denique, proximis comitiis, multæ vtilesque leges, de œconomia regni publica, de commerciis, boario in primis quæſtu, inſtruendo, latæ eſſent; darent operam, vt deſtinationes longe fructuoſiſſimæ, ſubductis rite ſubſidiorum rationibus, tandem penitus conficerentur. His partibus, regis poſtulatio abſoluebatur. Ineunt ergo placidis exordiis, comitia, ſed quæ conſultationum dein progreſſus, nimium quantum perturbauit. Nempe, diuiſis, hinc procerum, illinc Ordinum reliquorum ſtudiis, difficiliter in eandem coibatur ſententiam. quæ demum res, in cunctationem ver-

Annis 1728. & ſequentibus, comitia:

eorum moderatores:

quid poſtularit Cæſar?

conſultationum remora:

vertit, planeque effecit, vt negotia quantiuis momenti, ea contentione animorum agitarentur, quantam, longa retro ætate, vix vllis comitiis obseruaueris. Sed & iurisiurandi formula, quam *Decretalem* vocamus, perturbationis dedit plurimum. Quod enim noluerunt ea vti, *Augustanam* & *Helueticam Confessionem* profitentes, tamquam quæ sit dogmatibus, religionis suæ, contraria; ea coorta fuit altercatio, cui sedandæ, multum & temporis insumendum fuerit, & sollicitudinis. In primis, regiæ voluntatis capita illa priora, disputationis prolicuere plurimum, donec, *Conscriptio* quidem *Regni*, adsentiente tantisper Rege, reiiceretur in tempus aliud; tributorum tamen rationes, ad *duo & medium myriada*, reducerentur. Reliqua, sic satis ex sententia Regis optimi constituta legas, in eiusdem comitii decreto, breuiore quidem illo, & sanctionibus admodum *quinquaginta* definito: tametsi a XVII. die mensis Maii, anni MDCCXXVIII. vsque ad XX. Nouembris anni sequentis, hoc est sesqui annum, protractum fuerit.

decreta.

§. XXXI.

Comitiorum hæ celebritates, an sint vtiles Pisonienſibus?

ATque ista quidem *Comitiorum*, apud Pisonienses, celebritas fuit, vti frequens, ita non indecora vrbi; sed anne etiam fructuosa? non ausim disputare, cum sint, qui putent, cum detrimento vrbis, solemnia ista coniuncta esse solere. Si dicendum, quod res est: non carent omnino molestia; sed quæ priuatorum, heic atque illic, ciuium est, ob hospitiorum, quæ sunt gratuita, diuturnitatem. quod, si demas, non erit cur magnopere querulemur. nam, & mechanicorum operæ, plusculum forte lucelli, quam alias, faciunt, & commeatus vberior, seu domesticus ille, seu inuectus aliunde, impenditur: quæ singula, nescio, annon tolerandis, quæ se ingerunt, molestiis, sint paria. Ergo, angusti foret animi, & procliuis in sordes, tantillum impendii, in damnis habere. Ceteroquin, hospitia, quæ designari consueuerunt, duum sunt generum, *Germanica* alia, alia *Hungarica*. Illa, tum definiuntur, cum Cæsar, augustali cum comitatu, ad comitia accedit. Ac CAESARI quidem, suum, in arce, domicilium est, opportunitatis prorsus exquisitæ, prospectus autem, longe omnium amœnissimi. Sed aulæ proceres, vrbanæ domus; sicuti famulitiorum agmina, suburbiorum destinatæ regiones quædam, accipiunt. Quod inde, potissimum extra vrbis pomœria, domuum residuum est, *Ordines* insident; alii aliis, pro dignitate, commodius. Designatio hospitiorum, ad *Agazonum Regalium Magistrum*, pertinet. qui adscitis e senatu collegis, per vicarium, non quæ velit ædium hypocausta, sed quæ sunt in indice vrbano, adnotat. At, quæ *Germanis* destinantur, Cæsareus ea metator, iisdem cum administris, obit, ac sua nota insignit. Miles prætorianus, & cum ad pompam faciendam, tum ad corporis custodiam, excitus, partim in castris, extra suburbia positis, partim in temporariis tabernis, pro vrbis mœnibus, sub-

hospitiorum metatio:

subsidet. Id mirere, in tanta hominum, & multitudine, & varietate, pacata esse solere omnia; siue id demum, principis, & comitiorum venerationi, tribuas; siue gentis ingenio, vltra iam, quam id exteri credunt, in publicorum negotiorum procuratione, placidæ ac mitescentis.

tranquilla comitiorum tempore sunt omnia.

§. XXXII.

FEre nos præteriit, adsciscī solere in ius ciuitatis Hungaricæ, exteros, publicis comitiis. Id vero, quid sit, quibusque progressionibus inualuerit, paucis explicabimus. Sunt, qui putent, recens esse institutum in *Hungaria*, & quod priscis illis temporibus, haud factitatum legas. At enim, rem aliter se habere, prolixe addiscas, ex THVRÓCZII chronico *(h.)*. Nempe, adscitæ, sub primis regibus, in *Hungaros* fuere generationes integræ: *Tata; Hederich; Wenczelinus; Hunt & Páznan; Poth; Mersæ (i.)* & *Gregorii; Kyquini & Renoldi; Guth-Keled; Oliuerii*, & *Ratholdi; Hermanni; Buzad; Keled*, *Simonis*, & *Michaelis*. Ista, integrarum familiarum capita, post prima regni exordia, deducta fuerunt in Hungariam. *Præterea*, inquit inibi THVRÓCZIVS *(k.)*: *intrauerunt Hungariam, tam tempore regis* Geychæ, *et* S. Regis Stephani, *quam diebus regum aliorum,* Bohemi, Poloni, Græci, Hispani, Hismahelitæ, *seu* Saraceni, Bessi, Armeni, Saxones, Thuringi, Misnenses & Rhenenses, Cumani & Latini, *qui diutius in regno commorando, quamuis illorum generatio nesciatur, per matrimoniorum diuersorum contractus, Hungaris immixti, nobilitatem pariter, & destensum sunt adepti.* Neque gentes hæ, clam, vel inuitis regibus, subrepebant: exstat, S. STEPHANI, ad filium *Emericum*, insignis admonitio *(l.)*, quemadmodum fas sit, exteros in ciuitatem accipere. Et viguit sane institutum, sub sequutis regibus, magno rei Hungaricæ incremento; vti id doceri posset, ex historia non minus, quam diplomatibus: si res, cum instituti nostri ratione, concordaret. Rex demum MATTHIAS I. *Venetos* & *Polonos*, excludendos ex *Hungaria*, censuit. Decretum *(m.)* & huius caussæ, sic habent: *Quia* VENETI, & POLONI, *omni arte, omnique via & technis, conati sunt, & semper conantur, ad terras & dominia, ad sacram coronam pertinentia, pedem inferre, & illa vsurpare, prout etiam aliquam partem de facto vsurparunt. Proinde, statutum est, sancitum est, sub nota perpetuæ infidelitatis, vt nemo regnicolarum, audeat illis, aut eorum alicui, castra, fortalitia, ciuitates, oppida, possessiones, aut alia bona immobilia, vendere, inscribere,*

Iura ciuitatis Hungaricæ, collata in comitiis:

instituti eius vetustas:

S. Stephani, *in eam rem, decretum:*

Matthias, *Venetos & Polonos, excludit a iure ciuitatis Hungaricæ:*

h.) Partis II. Capitibus integris, XII. p. 33. seqq.

i.) Supersest hodieque in superiori Hungaria gens *Mersæ*, quam aliqui eandem putant esse, cum *Merçia.*

k.) Cap. XXII. p. 36.

l.) Decret. Lib. I. Cap. VI.

m.) Anni MCCCCLXXXVI. Artic. XXXII. Sunt, qui aiant, præter, & contra hanc sanctionem, *Frangepanes*, & regulos *Dalmatiæ* alios, insulas eius littoris, seu vendidisse, seu pignori dedisse *Venetis*. quæ res, an ita se habeat? non est nostrum inquirere: saltem, non siluisse, sufficit.

bere, *oppignorare*, *donare*, *vel aliter*, *qualitercunque*, *dare vel assignare*. Huius postea sanctionis, adeo tenaces fuerunt Hungari, vt, cum MAXIMILIANVS, *Albertum Laszky*, Palatinum terræ Sziradiensis, Polonum, Prælatis, Baronibus, Nobilibus, ceterisque *Statibus*, benigne commendauisset, vti eum *indigenatu*, donarent, difficiliter admodum regiæ petitioni adsentirentur. *Ordinum* cautelam, vti eam lege *(n.)* publica voluerunt expressam, audiamus. *Tametsi vero lex vetusta huius regni, in decreto* MATTHIAE *Regis expressa, quominus id fieret, obstabat; tum vero etiam multi, ex aliis nationibus, in Hungaros creati, parum sincere libertatibus regnicolarum fauentes, (ad quos tamen tutandos, iureiurando sunt obstricti,) ne quid eiusmodi temere committeretur, exemplo erant; tamen, Domini Prælati, Barones, Nobiles, ceterique Status & Ordines regni, persuasum habentes, eundem Dominum* ALBERTVM LASZKY, *bonum & vtilem ciuem regni Hungariæ futurum, eiusque leges libertatesque, pro virili defensurum, eundem ac ipsius hæredes, in gratiam Maiestatis Suæ Cæsareæ, ac Serenissimorum Principum,* Rudolphi *Romanorum & Hungariæ regis, nec non* Ernesti, *Archiducis Austriæ, &c. Dominorum suorum clementissimorum, in numerum & consortium suum, pro hac sola vice, (nam deinceps nullo vnquam tempore, legi vetustæ,* MATTHIAE *Regis, præiudicatum esse volunt,) receperunt, & annumerarunt. Ipseque, coram iisdem Statibus & Ordinibus regni, solitum iuramentum, suo hæredumque suorum nomine, publice & solenniter præstitit.* Placuit hæc adscripsisse, non modo ob *Venetos*, & *Polonos*; sed vt simul constet, quæ sint horum partes, quos in ciuitatem acceperunt *Hungari*. Illud mireris, queri iam tum potuisse nostros populares, de extraneorum, quos istiusmodi beneficio mactauerant, ingrato animo, cum in decretis quidem regni, paucos admodum reperias, qui ante *Laszkium*, ius ciuitatis obtinuissent.

postea Alberto Laszky *ægre exceptо.*

§. XXXIII.

Ius ciuitatis impertiri, Statuum est & Ordinum:

FVit autem id semper penes *Status*, vellent, nollent, commendatos sibi, aut suapte deprecantes, ciuitate donare. Atque istud fuisse reor, vt propriam sibi prærogatiuam eam, FERDINANDVS I. facere sit adnisus. Quod, vti ægrius tulere Ordines, ita necessitatem sibi impositam vidit CAESAR, vti condoceret *Status*, quo id iure, quibusque ductus auctoramentis, fecerit. Ergo, relata in regni decretis, eoque deducta res fuit; ne *in* posterum, nisi publicis comitiis, idque, adsentientibus *Ordinibus*, iure *indigenatus*, donarentur extranei. Sin vero accideret, vt ob bene, de se, & Hungaria meritos, absens a regno, hoc istius modi beneficio, Rex mactaret; id, adhibitis in consilium Baronibus Hungaris, faceret; iuberetque eos iureiurando, & regi, & regno, fidem obstringere. *(o.)* Itaque, mos

suum id facere voluit Ferdinandus I.

quæ res nouæ sanctioni locum fecit:

n.) Anni MDLXXV. Articulo XVIII.

o.) Anni MDL. Art. LXXVII. Hinc, non, qui nobilitatem *Hungaricam*, simul & *Indigenatum*, indipiscitur.

mos demum, lata lege inoleuit, vt plerumque, quos vellet, rex, de meliori nota *Statibus* commendaret; non raro, vltro id beneficii deferrent *Ordines* his, quorum exstabant præclara, de rege, & de Hungaria, merita; quin nec opinantes, inuitarent *(p.)* quandoque ad capessenda hæc iura. At enim, cum frequentiores, a rege subinde commendarentur, quos in ciuitatem adsciscerent; *Hungari*, ius consimile, sibi, in regionibus Cæsaris aliis, deposcebant. Legis verba *(q.)* adscribamus: *Quoniam regnicolæ in prædictarum personarum (r.) acceptatione, clementi suarum Maiestatum requisitioni, tam promte & obedienter obsecuti sunt: supplicant, vt, si quando ipsorum quoque aliqui, in Sacræ Suæ Maiestatis regnis, atque prouinciis, acceptari cuperent, eos, sua Maiestas, clementi sua promotione, pari promtitudine & beneuolentia, acceptandos curare velit: pro nunc vero, prædictarum personarum acceptione, clementer contenta esse, Statusque & Ordines regni, in posterum, quantum vsque possibile fuerit, plurium promotione non onerare.* Creuit postea ciuium istiusmodi numerus, propemodum in immensum, neque facile agebantur comitia, quin integris catalogis, in decreta regni insererentur, idque vel egregiorum facinorum caussa, vel certe gratuito. Tametsi enim lege *(s.)* obstringebantur, vt, diplomata, quibus ciuitatis iura perscriberentur, apud *Cancellarium Hungaricum* redimerent; tamen, ad regnum vniuersum, vix quidquam inde, præter ciuium accessionem, commodi redundabat. Proinde, *Ordines*, legem existimabant ferendam, qua consuleretur in commune. Habet *(t.)* ea ad hunc modum: *Articulis, de extraneorum in indigenas regni acceptatione, addendum censent Status & Ordines, vt a modo in posterum, cum annuentia vniuersorum Statuum & Ordinum Regni,* MILLE AVREOS DVCATOS, *in publicas regni necessitates, contribuere, ac ad manus Celsissimi Principis, qua moderni Palatini, sub decursu Diætæ, deponere, legibus regni subesse, diplomaque regium, vna cum formula iuramenti, ex inclyta Cancellaria Aulico-Hungarica, extrahere, teneantur; &, vt indigenatus, ad eos duntaxat, qui iuramentum superinde deposuerint, extendatur, articulariter statuitur.* Verum ne hæc quidem sanctio tantopere inualuit; quin profligato auro, virtuti, quidquid hoc sit beneficii, frequentius dederint *Ordines*. Exstant eius munificentiæ, singulis, CAROLI comitiis, exempla, quæ iam opus haud est adscribere. Non caret omine institutum, regionem, ex se quidem opimam, sed fortunæ plerumque expositam iniquiori, tantopere adamari ab exteris, vt nihil addubitent, agminatim eius ambire ciuitatem. Nimirum:

numero ciuium istiusmodi inualescente, ius consimile sibi pacisciuntur Status:

constituunt eidem beneficio, pretium mille aureorum:

sed multis etiam impertiuntur gratuito.

Habitabunt Dii quoque siluas.

Nos, ex hac patriæ communione, auspicio non vano auguramur, fore, vt exstans quædam animorum, sicuti esse incipit, coniunctio, læto prouentu oriatur. *Feliciter!*

p.) An. MDCLXXXI. Art. LXXXI.

q.) Anni MDCXIII. Art. 77.

r.) Fuerunt nimirum: Comites *a Salmis*; *Nöllberg*; *Scipio ab Archo*; *Leonardus ab Harrach*; *Adamus Vngnad*; & *Georgius Truskowszky*.

s.) Vide Anni MDCIV. Art. XIX. reliquos.

t.) Anni MDCLXXXVII. Art. XXVI.

§. XXXIV.

Catalogus eorum qui ius ciuitatis Hungaricæ, duobus retro ſeculis, obtinuerunt.

IAm, quia, & noſtra *Hungarorum*, & vniuerſim *Reipublicæ Chriſtianæ*, intereſt, non ignorari eorum nomina, *(u.)* quos, duobus retro ſeculis, nihil dubitauimus, in noſtris recenſere; exprimemus ea, ad *Alphabeti* ordinem, vt declinemus prærogatiuarum concertationem: adſcripta ſimul ætate, atque ſanctione, qua quisque, in ciuitatem adſcitus eſt. Sunt vero:

A.

Abele, Anno 1681. Articulo 81.
Aichbichel, Anno 1687. Art. 29.
Albrecht, Anno 1687. 29.
Almerigo, A. 1689. 29.
Althan, A. 1578. Art. 37.
Aragonia, *de*, A. 1655. 118.
Archo, A. 1559. 55. 1563. 77.
Auersberg, A. 1649. 102. & A. 1655. 118.

B.

Baadenſes *Marchiones*, Anno 1681. 81.
Bartalotti, A. 1715. 135.
Batzendorff, A. 1681. 82. A. 1687. 29.
Beckers, A. 1681. 82.
Belt, A. 1687. 28.
Bertram, A. 1687. 28.
Bischoffshauſen, A. 1687. 29.
Blumberg, A. 1687. 29.
Bockhorſt, A. 1687. 28. A. 1687. 29.
Breüner, A. 1715. 134.
Breyner, A. 1687. 28.
Brixicanus, A. 1681. 82.
Brockhauſen, A. 1723. 129.
Buccellini, A. 1687. 28.
Buttler, A. 1687. 28. A. 1715. 134.

Cali-

u.) Quod ſi vero contigerit, alicuius nomen, e noſtro hoc catalogo, magna quidem cura, ſtudioque deſignato, exeſſe, rogamus, ne id in iniuriam offenſamque vertat quisquam: cum procliuius ſit nihil, quam, in iſtius modi diligentia, ſubduci aliquidoculis, quod minime omnium cupias; immo damnes etiam, curis poſterioribus, ſed iam tardius repertum.

C.

Caliſius, Anno 1715. 135.
Campmiller, A. 1715. 136.
Canon, A. 1715. 135.
Capellis, *de*, A. 1659. 133.
Capliers, A. 1681. 82.
Cardona, A. 1715. 132.
Caretto, A. 1647. 155.
Cauriani, A. 1659. 131.
Chaos, A. 1662. 55.
Colalto, A. 1659. 132.
Conti, A. 1715. 135.
Corralantza, A. 1659. 133.
Creinitz, A. 1687. 29.
Cronfeld, A. 1715. 134.
Cuſani, A. 1715. 136.

D.

Darmſtadii *Principes*, Anno 1715. 133.
Dauſon *Scotus*, A. 1659. 133.
Deblin, A. 1715. 135.
Dietrichſtein, A. 1583. 3.
Dinewald, A. 1687. 27.
Dizent, A. 1715. 136.
Doria, A. 1687. 28.
Drobin, A. 1687. 29.
Dujardin, A. 1715. 135.

E.

Eggenberg, Anno 1622. 78.
Eillers, A. 1687. 29.
Eiweſzwaldt, A. 1655. 119.
Enzing, A. 1715. 136.
Erill, A. 1715. 132.

F.

Fabriciis, *de*, Anno 1687. 29.
Ferl, A. 1687. 29.

Forſter, Anno 1687. 29.
Freyenfels, A. 1715. 135.
Fülgraff, A. 1715. 135.
Fürſtenbuſch, A. 1715. 135.

G.

Gar, Anno 1687. 82.
Gaun, A. 1715. 135.
Golen, A. 1681. 82.
Gonzaga, A. 1659. 132.
Gordon, A. 1659. 133.
Grana, A. 1647. 155. & 1649. 101.
Grilli, A. 1687. 27.
Grudemann, A. 1687. 29.
Guadagni, A. 1687. 27.
Guger, A. 1687. 29.

H.

Hack, Anno 1715. 136.
Hagen, A. 1662. 55.
Hamilton, A. 1715. 133.
Haruckern, A. 1715. 129.
Harrach, A. 1563. 77.
Hauſpergſzky, A. 1687. 28.
Heisler, A. 1687. 28.
Heiſter, A. 1715. 131.
Heizenſtein, A. 1687. 27.
Hentaller, A. 1687. 29.
Herberſtein, A. 1609. 77. & 1687. 28.
Hochburg, A. 1715. 135.
Hoditz, A. 1647. 155.
Hoffmann, A. 1681. 82.
Hohen, A. 1687. 29.
Hohenfeld, A. 1687. 28.
Horeczky, A. 1638. 73.
Houchin, A. 1687. 29.
Huldenberg, A. 1715. 134.
Huppelin, A. 1687. 29.

Huſz-

Huſzropecz, Anno 1659. 133.
Hütter, A. 1687. 28.

I.

Iány, Anno 1681. 82.
Iauquet, A. 1715. 135.
Illmer, A. 1681. 82.
Imbſen, A. 1715. 135.
Ioanelli, A. 1662. 55. & 1681. 82.
Jörger, A. 1723. 125.

K.

Kaprara, Anno 1682. 82.
Kaunitz, A. 1647. 155. & 1687. 28.
Keller, A. 1715. 135.
Ketten, A. 1715. 135.
Keuenhiller, A. 1638. 73. & 1649. 100.
Kinsky, A. 1687. 27. A. 1723. 174.
Kisl, A. 1635. 93.
Kolonich, A. 1598. 41.
Kolowrat, A. 1687. 28.
Königsberg, A. 1622. 79.
Konigſtein, A. 1659. 133.
Kouts, *Scotus*, A. 1659. 133.
Kuen, A. 1647. 155.
Kuffſtein, A. 1647. 155.
Kuſſinſzky, A. 1687. 29.
Küſſinger, A. 1682. 82.

L.

Laffert, A. 1729. 48.
Landa, A. 1603. 15.
Langlet, A. 1715. 135.
Laſchanſzky, A. 1681. 82.
Lázky, *vnicus Polonus*, A. 1575. 18.
Liebenberg, A. 1715. 135.
Liechtenſtein, A. 1608. 27. poſt coron. A. 1687. 27. A. 1715. 129.
Löbel, A. 1625. 66.

 Löwen-

Löwenburg, Anno 1723. 126.
Lulier, A. 1715. 135.
Lumago, A. 1687. 29.

M.

Magni, Anno 1687. 28.
Malateſta, A. 1550. 72.
Mamucha, A. 1687. 29.
Mannagetta, A. 1723. 128.
Mansfeld, A. 1681. 82.
May, A. 1687. 29.
Mazko, A. 1687. 29.
Melmeck, A. 1687. 29.
Merçi, A. 1723. 125.
Merode, A. 1649. 102.
Miglio, A. 1662. 55.
Molard, A. 1604. 19.
Moldauiæ *Vajwoda*, A. 1659. 133.
Montecuculi, A. 1655. 119. A. 1715. 134.
Monterſier, A. 1659. 133.
Muſica, A. 1542. 50.

N.

Nachot, Anno 1655. 119.
Nefftzer, A. 1715. 136.
Neſſelrode, A. 1729. 46.
Neüdegg, A. 1659. 133.
Nolten, A. 1715. 136.
Noſtitz, A. 1659. 131.

O.

Obitz, Anno 1687. 28.
Obuſchowſzky, alias *Lengyel*, A. 1659. 133.
Öttl, A. 1715. 136.
Oudaille, A. 1715. 135.

P.

Paar, A. 1625. 66. & 1655. 119.
Paip, A. 1659. 133.

Paluczollus, Anno 1687. 29.
Paſsárdi, A. 1715. 136.
Paumgarten, A. 1715. 136.
Petráſch, A. 1723. 127.
Pezzen, A. 1596. 61.
Pfeffershoffen, A. 1687. 105.
Plencken, A. 1687. 28.
Pontz, A. 1715. 136.
Popel, A. 1572. 10.
Portia, A. 1659. 131.
Pötting, A. 1681. 82.
Premer, A. 1687. 29.
Preſing, A. 1659. 133.
Prie, A. 1715. 136.
Pruskowſzky, 1563. 77.
Puchaim, A. 1638. 73. A. 1647. 155. A. 1649. 100. & 101.
Pucher, A. 1655. 119.
Putz, A. 1659. 133.

Q.

Quarient, Anno 1715. 136.
Queſtenberg, A. 1638. 73.

R.

Rakenfels, Anno 1715. 136.
Rappach, A. 1687. 28.
Rechberg, A. 1687. 29.
Renaud, A. 1715. 135.
Reuſing, A. 1687. 29.
Rindsmaul, A. 1681. 82.
Rofferano, A. 1715. 133.
Rotta, A. 1681. 82.
Rottal, A. 1622. 79.
Rueber, A. 1572. 10.
Ruppa, A. 1659. 133.

S.

SABAVDIAE PRINCEPS EVGENIVS, Anno 1715. 130.
Saganenſis *Dux*, A. 1659. 131.
Salaburg, A. 1687. 28.
Salm, A. 1687. 27., A. 1563. 77.
Sambach, A. 1622. 79., A. 1625. 65.
Saponara, A. 1687. 28.
Schaffgotſch, A. 1659. 133.
Schäffer, A. 1687. 29.
Schallenberg, A. 1687. 28.
Schaluignon, A. 1687. 29.
Scherffenberg, A. 1681. 82.
Schick, A. 1715. 133.
Schilſon, A. 1715. 136.
Schlick, A. 1687. 28.
Schlosberg, *A. 1655. 119.*
Schmidlin, A. 1715. 136.
Schönborn, A. 1715. 133.
Schwartzenberg, A. 1659. 131. A. 1662. 54.
Seillern, A. 1715. 133.
Sekl, A. 1687. 29.
Sidenich, *A.* 1659. 133.
Sintzendorff, A. 1659. 131. & 133. A. 1662. 54.
Slawikowetz, A. 1659. 131. 133.
Sonau, *A. 1655. 119.*
Souches, A. 1647. 155. A. 1649. 101.
Spaidl, A. 1655. 119.
Spinola, *A.* 1681. 82.
Staremberg, A. 1647. 155. A. 1655. 119. A. 1723. 123.
Stegner, A. 1715. 136.
Stella, A. 1715. 133.
Steremberg, A. 1687. 27.
Stozing, A. 1649. 102.
Stratman, A. 1687. 27.
Stubeck, A. 1659. 133.
Stubenberg, A. 1655. 119.
Stürck., A. 1729. 47.

Szlu-

Szlutzky, Anno 1687. 29.
Szobeck, A. 1655. 119.

T.

Tarnowſzky, Anno 1655. 119.
Tattenbach, A. 1647. 155.
Tertz, A. 1687. 29.
Thaun, A. 1687. 27.
Thurn, A. 1687. 82.
Tieffenbach, A. 1622. 79.
Tinti, A. 1715. 135.
Tollheimb, A. 1659. 103.
Tonrald, A. 1659. 103.
Traun, A. 1647. 155.
Trautmansdorff, A. 1625. 66. *A. 1715. 133.*
Trautſon, *A. 1609. 76.*

V.

Vleffeld, Anno 1715. 133.
Vngnad, A. 1563. 77. A. 1593. 23.
Vnverzagt, A. 1600. 29.
Vrſin, A. 1687. 28.
Valckerin, A. 1687. 29.
Veiſz, A. 1729. 49.
Verlain, *A. 1687. 29.*
Vernelling, A. 1687. 29.
Veterani, A. 1715. 134.
Volckra, A. 1687. 28.

W.

Walderode, Anno 1659. 133.
Waldſtein, A. 1635. 93.
Wallis, A. 1687. 28.
Weigler, A. 1715. 135.
Weimeſz, A. 1681. 82.
Weiner, A. 1687. 29.
Weiſſenegg, A. 1687. 29.
Weleczky, A. 1687. 29.

Wels, A. 1638. 73.
Welſek, A. 1715. 134.
Wenier, A. 1715. 135.
Werdenburg, A. 1687. 28.
Windiſchgrätz, A. 1655. 119.
Wratislaw, A. 1715. 133.

Z.

Zennegg, Anno 1715. 136.
Zintzendorff, A. 1687. 28.
Zuana, A. 1715. 135.

Hactenus de Comitiis, *Piſonii*, duobus retro ſeculis, varie concelebratis. Supereſt, vt, quod Prærogatiuarum reſtat, more noſtro, illuſtrandæ vrbis cauſſa, expromamus.

PRAEROGATIVARVM VRBIS PISONIENSIS,

ARTICVLVS IV.

De

Regni Hungariæ Adminiſtratione, Piſonii conſtituta.

PROOEMIVM.



Lorentibus adhuc rebus Hungariæ, Bvda, regum ſedes fuit, vnde, & ius diceretur regioni vniuerſæ, & quorſum coirent, ſi vſus ita ferret, hi, qui Regi erant a conſiliis. Enimuero, numquam (*a.*) ſine adminiſtris, Rex, verſabatur; ne deeſſent, quorum arbitratu, vteretur, in illa concurſantium frequentia. Nam tunc quidem, fere in more poſitum fuit; vt ſine ambagibus, qua ſe dabat occaſio, Regem adirent, ſeu ſupplices,

a.) Vide Lvdovici II. Decret. Anno MDXVIII. Art. XXXIX. & Wladislai Decret. VII. Art. IV.

plices, ſeu litigantes. Hos autem, nefas erat non audiuiſſe extemplo, atque re diſcuſſa, dimiſiſſe expeditos. Præter Budam, *Viſſegrádo*, ſeu *Alto-Caſtro*, eadem hæc felicitas obtingebat, Regibus iſthic diuerſantibus: ſub Carolo potiſſimum, & huius filio, Lvdovico I. Vterque enim, ad eum modum ſeceſſu iſthoc oblectabatur, vt ille quidem, nihil dubitarit, in perpetuam eum ſedem vertere. Iam pridem eſt, cum, & *Buda*, & *Viſſegrádum*, ab hac felicitate deturbatæ ſunt, ſucceſſitque in eam Pisonivm. Nempe:

Troia nos Dominos facit
Nimium ac felices: ſtamus hoc Danai loco,
Vnde illa cecidit. (*b.*)

SYNOPSIS.

Pisonivm, *adminiſtrandæ Reipublicæ ſedes, quando eſſe coeperit? lege, hæc ei prærogatiua, adfirmatur: qui adminiſtrarint Rempublicam:* Conſilium Hungaricum, *& huius membra: Archiepiſcopi Strigonienſis prærogatiua: in eodem conſilio, publica lege adſerta:* Conſiliarios, *quales tunc eſſe oportuit: legebantur e nobilibus quoque:* Rex *ipſe, in Hungaria ſe habitaturum ſpondet.* §. I.

Forma regiminis tunc quæ? adduntur Locumtenenti, Propalatinus, Director, Protonotarii: ſedes Regiæ Tabulæ, *Piſonii: conſulitur & ſuperiori Hungariæ: legis in eam rem verba:* Tabulæ diſtrictualis *veſtigia: dies, & loca iudiciorum.* §. II.

Iudiciorum publicorum, poſt Ferdinandi I. *tempora, facies: mutatur extremis* Rudolphi *temporibus: quibus de cauſſis: creatur Palatinus poſt liminio: conuellitur ſub* Ferdinando II. *reipubl. conſueta adminiſtratio: eius vigilantia, in adſerendis iudiciis: idem fit a* Ferdinando III. *ſilent, ob Rákóczii tumultus, leges: inſtaurantur iterum iudicia: mala, ex neglectu iudiciorum, orta.* §. III.

Quid Leopoldi *temporibus ſufflaminarit publica iudicia: Ordinum rogationes: iterum iterumque inſtauratæ:* Piſonium, *ſedes iudiciorum, dum celebrabantur, perpetua.* §. IV.

b.) Seneca Troade, verſu 262.

Fit Piſonium *ſedes* Gubernii: *eius inſtituti hiſtoria: verbis* Wagneri, *illuſtratur: Gubernatoris*, Caſparis Ambringenii, *laudes.* §. V.

Diploma Leopoldi. §. VI.

Rei ſucceſſus: Hungarorum querela: Ambringenii, *in adminiſtranda republica, excelſus animus.* §. VII.

Difficultates, quibus implicitus fuit Ambringenius: *coegerunt eum, magiſtratu decedere: lex, de abrogando* Gubernio, *lata.* §. VIII.

Nihil ea conuerſione deceſſit Piſonii *celebritati: quales conuentus, toto vicennio, hic fuerint celebrati, ceſſantibus Iudiciis generalibus:* Conſilium Regium Locumtenentiale, *iſthic conſtituitur: legis eius verba: factæ inde vrbi acceſſiones.* §. IX.


Conſilii Regii, *inauguratio: a* Comite Philippo Ludouico Sintzendorff, *iuſſu Cæſaris, peragitur: Eius, in eo actu, oratio:* Conſilii Regii *auctoritas, Cancellaria, huius Director, Secretarii, &c.* §. X.

Mortuo C. Nicolao Pálffy, *R. H. Palatino, Conſilii Præſide: Cæſar,* Stephanum Franciſcum, *Lotharingiæ & Barri Ducem, in Locumtenentem Hungariæ, & Conſilii Regii Præſidem, deligit:* Hungarorum, *mira in Ducem propenſio: eius,* Piſonium, *aduentus, pompæ expers: publico adplauſu excipitur:* Ducis *ſedes: magiſtratus exordia: auctoris vota.* §. XI.

Cæſaris, ad Conſilium, *litteræ decretoriæ.* §. XII.

§. I.

Piſonium, *adminiſtrandæ Reipublicæ ſedes, quando eſſe cœperit?*



NOndum caput extulerat IOHANNES *de Zápolya*, cum pars ea procerum, quæ FERDINANDO fauebat, amiſſa *Buda*, & Viſſegrado, PISONIVM, non tam conſilio, quam neceſſitate ducta, prætorium quaſi quoddam eſſe voluit, vnde imperia caperet, quidquid reliquum erat *Hungariæ.* Poſtea, cum facto prorſus diuortio, IOHANNES illic, iſthic FERDINANDVS, regia vterque auctoritate, dominarentur; hæc, quam diximus, prærogatiua, lege publica, *Piſonio* adfirmata eſt. Ita decretum, *(c.)* anni *Milleſimi quingenteſimi trigeſimi ſexti,* habet: *Locus, adminiſtrationis regni, donec auſpice Deo, regnum recuperabitur, fiat* POSONIVM. At enim, quæ illa regni adminiſtratio, rebus, vti tunc erant, adeo conuulſis? Diſcas id, ex eiusdem comitii ſanctio-

lege, hæc ei prærogatiua, adfirmatur:

c.) Articulo XLIX.

ſanctionibus. Nempe, non Hungaricum modo *Conſilium*, vti vocant; ſed *Iudicia* quoque iſthic reſederant: illud, vti rebus vniuerſim omnibus moderaretur; iſta, vti ius dicerent atque lites dirimerent. Et de *Conſilio* quidem diſerte legas *(d.)*: *Regia Maieſtas conſtituit Dominum Locumtenentem in Regno, auctoritate ſolita, elegitque ex vtroque ordine, præcipuos conſiliarios ſeptem, ex quorum numero, ſunt Locumtenens, Palatinus, & Capitaneus.* Dignum ſane obſeruatu eſt, quod Palatini munera, tripartito diuiſerit FERDINANDVS. Cum enim *Palatinus*, & *Locumtenens* regius, & generalis regni *Capitaneus*, fuerit antea; nunc, diuiſim ſingula ea, adminiſtrari placuit. Atque *Locumtenentis* quidem munus, *Alexius Thurzo de Bethlenfalua*, mortuo, anno ſuperiore, *Stephano Báthori, Palatino*, ſollicita cura obibat: *Capitanei* dignitas, vaga fuit. Eidem *Conſilio*, quin & iudiciis, Archiepiſcopus Strigonienſis, *Paullus de Varda*, intererat: quippe, cuius auctoritatem adſertum *(e.)* ibant Ordines: *Quum*, inquiunt, *Reuerendiſſimo Domino Archiepiſcopo Eccleſiæ Strigonienſis, ex eiusdem Eccleſiæ antiquis priuilegiis, tamquam ſummo, & Secretario, & Cancellario regio, iure competat, vt ipſe, iuxta formam generalis decreti regni, tamquam Perſonalis Maieſtatis Regiæ præſentia, vnus ex iudicibus regni ordinariis, eſſe cenſeatur. Tum igitur ex eo, tum etiam, quod ſit, & Hungariæ primas, Maieſtas Regia, inter dominos Locumtenentem, & ceteros Eccleſiaſticos conſiliarios ac iudices regni ordinarios, eum faciat ordinem, vt idem Dominus Strigonienſis, & in Conſilio, & in Iudicio, pro ſuo, & Eccleſiæ ſuæ honore, vt conuenit, ſua libere fungatur auctoritate.* Ceterum, qua innocentia, quaque integritate, *Capitaneum, Conſiliarios*, & regni *Iudices*, eſſe voluerint Ordines, palam teſtati ſunt *(f.)*; cum ab omni violentia, rapinis & iniuriis, quæ tunc vltro citroque fiebant, immunes cupiebant, tandemque iureiurando, Regi obſtringendos. His, quos diximus, conſiliariis, *Adſeſſores*, e nobilitate additi fuere. *Pro adminiſtratione iuſtitiæ*, ſanciunt *(g.)* cum Rege, Status, *ex ordine quoque nobilium, electi ſunt adſeſſores, numero ſex, qui arbitrio Maieſtatis Regiæ, etiam in Conſilium admittantur, iuxta antiquam conſuetudinem regni, quos denique, & cum eis ſimul etiam & Slauonia vnum, qui ex potioribus ad id fuerit electus, Maieſtas Sua Regia, non grauabitur in tractatibus pacis, ſuo tempore admittere.* Proinde, quatuordecim viris, *Senatus*, ea tempeſtate, conſtabat. Quin ipſe Rex, iſthic ſe habitaturum ſpoponderat, ſimul ſe occaſio dediſſet. Ita enim legas *(h.)*: *Regia Maieſtas, pro voto fidelium ſubditorum ſuorum, iuxta antiqua regni decreta, nacta opportunitate, in Hungaria manere conſtituit.* Nulla heic quidem *Piſonii* fit mentio; ſed, ad credendum facile eſt, illic fixurum fuiſſe ſedem, vbi, & *Senatus*, & *Iudices* reliqui, ex legis præſcripto, incolebant.

qui adminiſtrarint rempublicam:

Conſilium Hungaricum, & *huius membra:*

Archiepiſcopi Strigonienſis prærogatiua:

in eodem Conſilio publica lege, adſerta:

conſiliarios, quales tunc eſſe oportuit:

legebantur e Nobilibus quoque:

Rex ipſe, in Hungaria ſe habitaturum ſpondet.

d.) Articulo XVI.
e.) Articulo XV.
f.) Articulo XVII.
g.) Articulo XLVIII.
h.) Eiusdem anni Decreto, Articulo LVII.

§. II.

Forma regiminis tunc quæ?

PRima hæc initia fuere, conſtitutæ *Piſonii*, adminiſtrationis regni: vnde ſimul condiſcas, qui tunc publici, quod vocant, regiminis habitus fuerit. Acceſſit poſtea, anno MDXLII. *(i.)*, Propalatinus, Director, Protonotarii, & adſeſſores, cognoſcendis cauſſis, deſtinati. Et cum forte, creati nuper conſiliarii, vel emortui ſunt, vel fortunæ ſe, qualicunque illi, permiſerunt, nouos, Locumtenenti addi oportuit. *Dignetur Regia Maieſtas, in abſentia regia, domino Locumtenenti adiungere, ex ordine dominorum Prælatorum, quatuor; totidem etiam ex ordine Baronum. quorum conſilio, ipſe Dominus Locumtenens, in omni adminiſtratione vtatur, hic* Posonii, *continue reſidendo: quorum ſimiliter pars dimidia, ſemper penes ipſum dominum Locumtenentem, maneat.* Hæc, Senatus Regii, præſide *Locumtenente (k.)* fuit occupatio. Idem, & regni iudices reliquos facere oportuit. *Iudicia,* inquit lex, *omnium cauſſarum & negotiorum, octauo die Epiphaniarum Domini, hic* Pisonii *inchoentur, & ſemper, abſque intermiſſione, celebrentur.* Iſta *Piſonii* fiebant, ea, qua par fuit, adcuratione. Sed cum ſuperioris Hungariæ *Comitatus*, ob locorum ingentia ſpatia, &, quæ ſe ingerebant, impedimenta alia, Piſonium, litium dirimendarum cauſſa, nequirent accedere, ſequentibus, quæ anno MDXLIII. *(l.)* celebrabantur, comitiis, id deprecati ſunt apud Cæſarem *Ordines*, vti *Andreæ Báthory*, diſputandarum cauſſarum ſuperioris Hungariæ prouincia, demandaretur. Iuuat ipſa legis verba adtexuiſſe: *Quoniam Comitatus ſuperiores, citra, & vltra Tibiſcum exiſtentes, iam antea ſupplicarint, vt cum propter longinquitatem locorum, ceteraque obſtantia impedimenta, ſignanter pericula, a Turcis imminentia, iudiciorum cauſſa venire non poſſint; Maieſtas Regia velit eo iudices delegare; modoque iidem Comitatus id inſtantiſſime petunt, & videtur æquum eſſe, vt adminiſtratio iuris, non denegetur illis. Proinde, maieſtas Sua, dignetur annuere, vt* Domino Andreæ de Báthor, *pro præſentis temporis ratione, Protonotarii, & Adſeſſores, adhibeantur, pro cognoſcendis differentiis ſubditorum, qui in partibus illis ſunt. (m.)* Niſi iſtud, *Tabulam Diſtrictualem*, quomodo iam vocamus, ſapiat, næ ego fallor turpiſſime. Ita tunc optabant maiores noſtri, quod nuper non plane nulli, reſpuere ſunt viſi, dum ab æquiſſimo Rege offerretur. At, quæ *Piſonii* celebrabantur, ſolemnia iudicia, ad præſtitutos dies, *S. Georgii Martyris*, & *D. Martini*, anno MDXLV. reuocata ſunt; additique ſingulis dies quadraginta: *ita tamen*, verba ſunt legis, *(n.) vt iudices regni ordinarii, in integro numero, ſuos habeant magiſtros protonotarios, & vicegerentes: ex nobilibus etiam, ſemper, ad minus quatuor*

adduntur Locumtenenti, Propalatinus, Director, Protonotarii:

Sedes Regiæ Tabulæ, Piſonii:

conſulitur & ſuperiori Hungariæ:

legù, in eam rem verba:

Tabulæ diſtrictualis veſtigia:

dies & loca iudiciorum.

i.) Vide eius anni Decretum, *Artic.* XXVIII. & XXIX.

k.) Ibidem, *Artic.* XXX.

l.) Articulo XXXIII.

m.) Easdem preces iteratas, vide, Decreto, anni MDXLVI. *Artic.* XXXII.

n.) Legeſis *Articulo* XXXIV.

tuor adſeſſores, iuris periti, penes illos ſint in iudicio. Sed, ne hæc quidem ſanctio diuturna fuit, cum priori quidem illi termino, *Dominica Reminiſcere*, deſtinata *(o.)*; vigeſima vero feria, poſt *D. Georgii*, *Leuchouiam*, ſuperioris Hungariæ gratia, præſtituta eſt; *D. Martini* die, cum *B. Lucæ* permutato. Id vero factitatum demum eſt ſæpius. Nam anno MDXLVIII. quatuor ſtati dies conſtituti fuerunt. *(p.)* qui anno MDL. ad duos iterum redacti *(q.)* ſunt: vt iam conuerſiones iudiciorum reliquas, ſileamus.

§. III.

Iudiciorum publicorum, poſt Ferdinandi I. *tempora, facies:*

QVæ hactenus, de adminiſtrata *Piſonii* republica, celebratisque iudiciis, diximus, ad Ferdinandi I. ætatem pertinuere. Eadem, & ſub Maximiliano I. iudiciorum *Piſonienſium* ratio fuit. Numquam enim dimota *Piſonio* ſunt; tametſi ea, quæ ad ſuperiorem Hungariam adtinuere, *Leuchouiæ* partim, partim *Eperieſini*, partim denique *Caſſouiæ*, quin & *Tyrnauiæ*, exercita fuerint *(r.)*. Neque alia eorum ſub Rvdolpho erat facies; donec Matthias Archidux, gubernandæ Hungariæ, admoueretur. *Tunc enim*, ne quid diffiteamur, liberius concurſatum *Piſonii* eſt; poſt *Botskaianum* bellum in primis; quo ſedato, id egit Matthias, vt Hungaros ſibi, ſe Hungaris, maiorem in modum deuinciret. Ergo, multa vndique iuris & recti fiebat collaudatio; dum ſimultates, quæ fratres diuiſerant, propemodum in bellum erumperent. Superſunt paſſim ſchedæ, quæ teſtantur, vix alias vnquam, ſiue comitiorum, ſiue ſenatus decreta, obſeruata fuiſſe ſtrictius, quam in iſto, *Coronæ Hungaricæ*, ambitu. Diſcedendum nobis eſſet, a propoſiti rationibus, ſi, quæ ſunt prodita apud alios, hic vellemus interſerere. Id negari nequit, induiſſe rempublicam Hungariæ, priſcæ illius ſimulacrum. Nam, & *Palatinus* creatus poſtliminio fuit, & ſuus iudiciis, quæ partim largitio, partim indulgentia, partim bella temerauerant, rigor eſt redditus *(s.)*. Quæ Matthiam excepere, tempora, vti difficilia fuere, & bellis ciuilibus funeſta; ita legum propemodum inimica: tametſi, neque ſibi, neque ſuis, defuerit Ferdinandvs II. Præterquam enim, quod *Palatinos*, perpetua ſerie ſufficiendos voluit, ne locus eſſet querelis; eas ſubinde leges pertulit, quæ, & iudicia definirent, & iudices. Id, anno in primis MDCXXV. *(t.)* egit, vbi, cum *Octaualibus generalibus*, tum *Breuibus iudiciis*, dies locusque præſtituebatur. *Piſonium* certe noſtrum, illa quidem, ad diem *B. Lucæ*; hæc, ad *Dominicam Inuocauit*

mutatur extremis Rudolphi *temporibus: quibus de cauſſis:*

creatur Palatinus poſtliminio:

conuellitur ſub Ferdinando II. *Reipubl. conſueta adminiſtratio:*

eius vigilantia in adſerendâ iudiciis:

o.) Anni MDXLVI. *Artic.* XXXIII. ſeqq.

p.) Articulo XIX.

q. Articulo L. Adde, Anni MDLIV. *Artic.* XVI. Anni MDLV. *Artic.* II. Anni MDLVI. *Artic.* XXXV. Anni MDLVII. *Artic.* VIII. Anni MDXLVI. *Artic.* XXXIII. ſeqq.

r.) Vide omnino Decreta, Anni MDLXVI. *Artic.* XXI. Anni MDLXVII. *Artic.* XXIV. Anni MDLXIX. *Artic.* XXXIX. Anni MDLXXII. *Artic.* IV. V. VI.

s.) Anni MDCIX. *Artic.* LXX.

t.) Legendus eſt *Articulus* LI. qui demum anno MDCXXX. *Artic.* XLV. anno item MDCXXXV. *Artic.* XIV. renouatus eſt iterum.

idem fit a Ferdinando III.

uit, agitauiſſe, certum eſt. Patris hanc, in adminiſtranda republica, æquitatem iuſtitiamque, æmulatus FERDINANDVS III. nihil fecit reſidui; vt ſuum cuique tribueretur. Enim vero, non auctoritatem modo *Palatinalem* intemeratam eſſe *(u.)*; ſed iisdem præterea, & locis, & temporibus *(v.)* celebranda iudicia voluit, quibus id ſuperiorum annorum decreta conſtituerant. Sed, quod motus, quos dederat *Georgius Rákóczius*, Tranſiluaniæ princeps, res Hungariæ, nimium quantum perturbauerant, ſiluiſſe oportuit leges; dum ſe iterum occaſio daret, inſtaurandis tribunalibus. Id vult anni MDCXLVII. peculiaris *(x.)* hæc ſanctio: *Cum iuſtitiæ, iudiciorumque adminiſtratio, ſine qua regna ſubſiſtere non poſſunt, præſertim in ſuperioribus regni partibus, iam dudum intermiſſa ſit: neceſſarium proinde exiſtimant regnicolæ, vt, tam* GENERALIVM, *quam* BREVIVM *iudiciorum celebratio, iuxta articulum XXIII. anni MDCXXXVIII. articulum XIV. anni MDCXXXV. & articulum LXX. anni MDCIX. tam ſuperioribus, quam in his regni partibus, ſtatis ſuis temporibus, promulgetur & publicetur.* Itaque, reddita ſua iterum *Piſonio*, prærogatiua fuit; ſed quam, ſiue iudicum ſomnolentia, ſiue iniuriæ temporum aliæ, interpolauerunt. Dignæ ſunt Statuum & Ordinum querelæ, quæ iſthic legantur: *Quam ſit nociua*, inquiunt *(y.)*, *intermiſſa* OCTAVALIVM *iudiciorum celebratio, malo ſuo experitur Hungaria. Ex hinc enim, bonorum malæ fidei poſſeſſiones, occupationes, quotidianæ cædes, ac alia mille mala & ſcelera, in cælum clamantia, ſolo proceſſu* OCTAVALI *reformanda, emergunt: vnde, Suæ quoque Maieſtatis aures, continuis iniuriatorum querelis ac lamentationibus, fatigantur. Decernunt itaque Status, articulos ſuperinde editos, exactius obſeruandos, ac iudicia* OCTAVALIA *&* BREVIA, *iuxta benignam etiam oblationem Suæ Maieſtatis, in ſalutaribus ſuis propoſitionibus declaratam, ſtatis ſuis temporibus promulgata, non obſtantibus quorumuis, cauſſis ſuis diffidentium, contrariis votis & opinionibus, tam in Hungariæ, quam in Croatiæ & Sclauoniæ regnis, continuo celebranda eſſe.* Tantum, ſcilicet, intereſt HVNGARIAE, ex legum præſcripto, rem publicam gubernari adductius!

ſilent, ob Rákóczii *tumultum leges:*

inſtaurantur iterum iudicia:

mala, ex neglectu iudiciorum, orta.

§. IV.

Quid, Leopoldi *temporibus, ſufflaminarit publica iudicia:*

INiere LEOPOLDI M. tempora, multarum, & ipſa, tempeſtatum; ſed quas tamen, tanti principis virtus ac prudentia, partim diſſipauit maturius, partim, in concitantium capita, intorſit. Itaque, facile eſt exiſtimare, cum bella fererentur ex bellis, clauſa ſubinde fuiſſe tribunalia; ſaltem, nequiuiſſe perpetuo patere his, quorum id interat. Haud tamen ſibi ipſis defuere *Ordines*, quin ſemel iterumque, eas rogarent leges, quibus iudiciorum, & vigor, & frequentia, adſtrueretur. Huc referas, anni MDCLIX. ſanctionem, *(z.)* qua Iudiciorum

Ordinum rogationes:

u.) Decreto I. anni MDCXXXVIII. *Artic.* XXXII.

v.) Ibidem. *Artic.* XXIII.

x.) Articulo CIII. adde, anni MDCXLIX. *Art.* LXXVI.

y.) Decreto anni MDCLV. *Artic.* LI.

z.) Articulo XLI. expreſſam.

ciorum OCTAVALIVM, BREVIVM, & *Extraordinariorum*, celebratio, repetitis ſuperiorum annorum legibus, conſtituebatur denuo. Cumque interceſſiſſet quidpiam cunctationis, neque, quod tunc ſtatuebatur, ſiue iudicum ceſſatione, ſiue tergiuerſatione litigantium, poterat vſu roborari; legem eandem, ſolita vſi præfatione, inſtaurandam, anno MDCLXII. *(a.) Ordines* exiſtimauerunt. Quin, & tertium, hoc eſt, anno MDCLXXXI. *(b.)* eadem ſacrabatur ſanctio; maxime, quod abrogato *Gubernio*, conſtitutoque iterum *Palatino*, ad priſtinam formam, reuocata fuit respublica. His vero legibus, quoties eæ, ſeu ferebantur, ſeu redintegrabantur denuo, *Piſonienſis* vrbis celebritatem, ſimul procurari oportuit. Cum enim in ſuperiori Hungaria, vagæ eſſent iudiciorum ſedes; *Tyrnauiam* enim, *Leuſchouiam*, *Eperieſinum*, atque *Caſſouiam*, ſubinde fuiſſe delectas conſtat; *Piſonium*, perpetuum habebat tribunal, vnde potior *Hungariæ* portio, ius acciperet. Vt iam *Delegata Iudicia* alia; conuentus item *Statuum*, extra ordinem heic coactos, & frequentes eos, & momentoſos, ſilentio prætereamus.

iterum iterumque inſtauratæ:

Piſonium, ſedes iudiciorum, dum celebrabantur, perpetua.

§. V.

VEnimus in *Gubernii*, quod a LEOPOLDO M. *Piſonii* conſtitutum anno MDCLXXIII. fuit, mentionem: id vero, quid rei quibusque inſtructum auctoramentis fuerit, fas eſt, altius repetere. Diſſipata fuerat, *Zrinii*, *Frangepani*, atque *Nádasdii*, ſanguinolenta conſpiratio, pellecti ad faciendum officium plerique, quos tanti facinoris contagium adflauerat. Sed, pullulabant tamen paſſim, in Hungaria potiſſimum ſuperiore, nouarum rerum ſtudia, metuebaturque, ne, cum exſtincta crederentur, vires ſumerent, principis & adminiſtrorum incuria. *Viennæ, multis conſultationibus actum*, WAGNERI *(c.)* verbis vtimur, *quæ tandem via ineunda videretur, ad eripiendam malis ſuis Hungariam; conciliandas gentis voluntates; radices ipſas turbarum exſcindendas. Decretum in primis:* antiquandum penitus Palatini nomen: ecquem enim reperire eſſet, qui non abutatur? eius loco, dicendum regni Gubernatorem; *adiungendum e viris primariis, conſilium; neutri grauioribus in rebus, niſi e Cæſaris auctoritate, ſtatuendi quidquam ius eſſet. Nouo muneri, velut maxime idoneus delectus eſt,* CASPAR AMBRINGENIVS, *Teutonicorum equitum Magiſter, Imperii princeps: vir, animi magnitudine, armis litterisque clarus, & in Hungarorum mores mirifice factus. Decreta item, ſtata regni ſumtibus perpetuaque militia; qui in præſidiis hyemem, ſub tentoriis æſtatem agerent; in omnem partem, qua ſcintilla erumperet, adcurrere promti. Sapiens certe conſilium, & Auſtriæ rebus ſalutare, niſi ſalubrius conſtitutum, quam conſtantius ſeruatum foret.* Hæc, ad anni MDCLXXI. exitum hiſtoricus retulit. Sed hæſere, toto, & quod

Fit Piſonium *ſedes Gubernii:*

eius inſtituti hiſtoria:

verbis Wagneri *illuſtratur:*

a.) Articulo XXVIII.

b.) Itidem Articulo XXVIII.

c.) Hiſtoriæ LEOPOLDI M. Lib. III. p. 256.

quod excurrit, anno, consilii hæ rationes, dum expediri poterant. WAGNERVS, *(d.)* ad annum MDCLXXIV. rem constitutam fuisse memorat: *Hoc demum anno, abrogata Palatini dignitas, & quod alias tetigimus, Gubernatoris nomine,* CASPAR AMBRINGENIVS, *Hungariam regere iussus. Post* Leopoldum Guilielmum, *Teutonicorum equitum Magister lectus; opibus, belli pacisque artibus clarus, fide ac incorrupta pietate, se Cæsari commendarat. Quarto & sexagesimo anno; peditum equitumque legiones, suo ære conscriptas, in Hungariam ipse adduxit. Post multos e suo ordine submissos equites, ipse, laboranti Cretæ suppetias profectus, ex illustri adeo campo, multas a Pontifice laudes, & ab Veneto Senatu, retulit. Lindauiam, nobilem ad Acronium lacum vrbem, aduersus Suecos olim fortiter defenderat. Viennam tum forte venerat, vt equitum suorum, sacris nempe bellis, auctoratorum, coloniam, in Hungariam deducere liceret, petiturus. Ea res, tum quidem adhæsit; in Cæsareum vero concilium adscitus, præ ceteris gratus fore Hungaris, credebatur; quod in Hungaria natus, popularitate, morum candore, militari nectu, conuiuandi splendore, proxime ad gentis mores, accederet.* Ita WAGNERVS, quæ laudes summi viri, illustrant. Sed vero, recte minus, quod pace scriptoris scitissimi dictum velim, annum instituti eius magistratus designauit; cum diploma quidem Cæsaris, quo ei dignitas hæc adfirmabatur, annum habeat MDCLXXIII. diem vigesimum septimum Februarii.

Gubernatoris, Caspari Ambringenii, *laudes.*

§. VI.

Diploma Leopoldi: ID vero, vt cum lectore communicemus, non vna inducimur ratione. Præterquam enim, quod causas instituti, vti ex se æquissimi, ita non incogniti in *Hungaria*, luculenter expromit; certe sollicitudinem LEOPOLDI paternam, qua pro commodis *Hungariæ* suæ, excubabat, *vix alibi*, accuratius legeris descriptam. Sic autem habet:

„ Nos LEOPOLDVS, Dei Gratia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex. Notum facimus, tenore præsentium, omnibus & singulis, præcipue vero incolis & subditis nostris, omnium Statuum & conditionum Inclyti Regni nostri Hungariæ, & partium ac regnorum eidem incorporatorum: qua ratione, solerti cura clementissime satagentes, vt in regnis ac ditionibus nostris, non *solum* ius & iustitia cum primis, tam in publicis, quam priuatis, semper floreat; sed & omnis politici regiminis, quam optimus ordo insigniter refulgeat, & quidquid ex his, temporum varietate labefactatum, per necessariam & conuenientem status publici ordinationem, quantocyus ad vigorem reducatur & redeat, ac eo constanter perennet. Aduertimus, huic fini consequendo, *(e.)* modum aptiorem, *non dari*, quam cuiuspiam

d.) Loco citato, Lib. IV. p. 340.

e.) Exesa charta, lacunam fecit in ∞, exemplari, quo sumus vsi, forte, duobus verbis: *non dari*: explenda.

„ iuspiam Vicariæ, etiam in regno nostro Hungariæ, prioribus temporibus diuersimode Regibus sereniss imis, prædecessoribus & progenitoribus nostris, glorioss imæ memoriæ, sicut & ceteris in orbe Christiano, rite & prudenter ordinatis, regnis & prouinciis, laudabiliter simul ac vtiliter vsitatæ, GVBERNATIONIS constitutionem. Ea propter, benigniss ime resoluimus, in prædicto inclyto regno nostro, Hungariæ, partibusque & regnis eidem incorporatis, eam regii nostri regiminis, hactenus ibidem vsitati; sed iniuria temporum, nimium quantum labefactati, per hanc ineuitabilem reordinationem, ita formari, vt dicta vicaria Regia Gubernatio nostra, deinceps capite conspicuo, & eidem adiuncto Consiliariorum assidentium, nec non Secretariorum, & expeditoribus Cancellariæ eiusdem deputatorum, competenti numero constet, ac in posterum, in Regia arce nostra Posonienst, fixam sedem ac continuam residentiam habeat. Cui, per id denuo meliori, & temporum modernorum vario cursui, magis congruo modo, constitutæ vicariæ Regiæ *Gubernationi*, collectim sumtæ, plenariam potestatem & facultatem, certa *forma & norma instructionis eidem editæ*, præscripta dedimus, *contulimus*, *concessimus* ac clementissime concredidimus, largitique sumus; Qua illa omnia, & singula, in dicto regno nostro Hungariæ, & partibus ac regnis, eidem incorporatis, emergentia & occurrentia, publicum & priuatum, ac regimen & gubernationem antefati Regni nostri, ditionumque eo spectantium concernentia negotia, ad tenorem - - - ntum supra memoratæ instructionis nostræ regiæ, passim peragendi, promouendi, statuendi, ordinandi & expediendi, nomine & vice NOSTRI, plenariam potestatem & auctoritatem habeat; Exindeque, omnia prælibati regni nostri tractanda, qua publica, qua priuata, ad incolumitatem, conseruationem & manutentionem iurium Nostrorum, regiæque Coronæ nostræ, ac quietis & tranquillitatis Status regni vniuersi, solerter dirigat; iis vero aduersantia, vel quomodolibet præiudicantia, tempestiue præueniat, & potenter præpediat. Cum vero hunc in modum, benigniss ime a Nobis reordinatæ, præfatæ nostræ regiæ vicariæ plenipotentiariæ GVBERNATIONI, pro tempore moderno, Reuerendiss imum Principem, Nobis sincere dilectum, Dominum IOHANNEM CASPAREM, Generalis militiæ Hierosolymitanæ, ordinis Beatæ Mariæ Teutonicorum in Prussia, Administ ratorem, ac eiusdem, per Germaniam & Italiam Magnum Magist rum, de Sereniss ima Domo Nostra, quam optime meritum, ac ob insignem & singularem fidelitatem cognitum, & adeptam in rebus gerendis eximiam experientiam, dignitati & functioni vel aptiss imum, in Capite clementiss ime præposuerimus, & eiusdem regiæ Gubernationis Præsidium ac Directionem, concrediderimus: Id omne, per sæpius repetitum regnum nostrum Hungariæ, ac ceteras eidem incorporatas regnorum & ditionum prouincias, hisce re-

 „ giis

„ giis patentibus litteris noſtris, decenter promulgandum, & palam
„ intimandum, benigniſſime decreuimus; Pone, de regiæ poteſtatis
„ noſtræ plenitudine, mandantes ac iubentes, omnibus & ſingulis
„ præmemorati regni noſtri Hungariæ, & partium ac regnorum ei-
„ dem incorporatorum, maioribus & minoribus, eccleſiaſticis & ſe-
„ cularibus, politicis & militaribus officialibus, Comitatuum Supre-
„ mis ac Vice-Comitibus, ſicut & ceterarum prouinciarum vel ditio-
„ num præfectis, liberarum regiarumque Ciuitatum noſtrarum Iudi-
„ cibus, Magiſtris ciuium, nec non Communitatum quarumcunque,
„ & vbilibet ſitarum, præfectis & magiſtratibus, ac demum omnibus
„ incolis, & ſubditis noſtris, præcenſiti regni noſtri, & eiusdem par-
„ tium, cuiuscunque tandem ii Status, aut conditionis ſint ac reperi-
„ antur; quatenus omnes vniuerſim, & quilibet eorum, præfatam,
„ a Nobis ita in prænominato regno noſtro Hungariæ denuo conſti-
„ tutam, vicariam & plenipotentiariam regiam, ad regimen regni,
„ & eo ſpectantium partium, deſtinatam Gubernationem Noſtram,
„ obſequentiſſime recognoſcant, ac in omnibus emergentibus & oc-
„ currentibus, & vel maxime publicis, toties dicti regni noſtri nego-
„ tiis, quo par eſt, debito reſpectu & obſequio, ſemper obſeruent;
„ Ei, decentem honorem & obedientiam, modis omnibus exhibeant,
„ & quidquid a prædicta Gubernatione noſtra regia plenipotentiaria,
„ in publicis vel priuatis, politicis vel militaribus, nomine & vice
„ Noſtri, quandoque per ſæpefatum regnum noſtrum Hungariæ, &
„ eo pertinentes ditiones ac prouincias noſtras, demandatum, inſi-
„ nuatum, iniunctum & ordinatum fuerit, in eo ſemper & vbique,
„ eidem obſequentem morem gerant; ſciantque, hiſce clementiſſimis
„ iuſſis noſtris, ſubmiſſiſſime & debite parentes, gratiam ac prote-
„ ctionem Noſtram Regiam promerituros; ſecus vero, præter ſpem a-
„ gentes, indignationem & grauem animaduerſionem noſtram, irre-
„ miſſibiliter incurſuros. Datæ, in vrbe noſtra Vienna Auſtriæ, die
„ vigeſima ſeptima Menſis Februarii, Anno milleſimo, ſexcenteſi-
„ mo, ſeptuageſimo tertio: Regnorum noſtrorum, Romani, Decimo
„ quinto, Hungariæ, & reliquorum, Decimo octauo, Bohemiæ ve-
„ ro, Decimo ſeptimo. LEOPOLDVS. Thomas Pálffy, Epiſcopus
„ Nitrienſis. Stephanus Orbány. En diploma regium! quod nos
fide optima, ex authenticis tabulis, *(f.)* manu noſtra exſcripſimus.

§. VII.

Rei ſucceſſus:

AC ſucceſſit omnino, ſaluberrima hæc Cæſaris deſtinatio. Nam, & *Ambringenius*, oblatam dignitatem, excelſo animo adiit; &, vti tanti muneris initia, eo maiore fierent celebritate; euocati a Cæſare proceres, ingenti numero, ad diem XIV. Martii, eiusdem anni, *Piſonium*, confluxere. Tabulæ, quibus inuitabantur ad

f.) Anno MDCCXXXI. d. III. Febr. quas *Baro Majtény* nobiſcum communicauerat.

ad faciendam pompam, optimates, his verbis conceptæ *(g.)* erant: *Vt præadtacta introductio, plurium vicinorum, ad minus fidelium noſtrorum, antelati regni Noſtri, Prælatorum, Magnatum ac Nobilium concurſu, magis reddatur conſpicua & celebrior, tuam quoque illic præſentiam, peropportunam fore, cenſentes, hiſce Tibi clementer mandamus, quatenus acceptis præſentibus, in ſupra ſpecificatis, die & loco comparere, ipſum denique Principem, Iohannem Caſparem, deinceps pro eo, quo ſupra dictum eſt, præſide & directore tenere*, reliqua. Vix vero *Ambringenius* capeſſiuerat ſummos magiſtratus hoſce, a Cæſare, maturrimo conſilio ſibi delatos, cum nouum cieri, per Hungariam vniuerſam, murmur, cœpit. *Aegerrime*, inquit WAGNERVS, *(h.) tulere Hungari, vetuſtiſſima dignitate, ab* D. STEPHANO, *in plebis patrocinium conſtituta, deiici; in capita & fortunas omnium, ad exterum hominem, ſummum ius deferri; ſolam, ſeu ſeruitutis, ſeu abiectæ tolerantiæ gloriam, ciuibus relinqui; ſi ad principia ignaui conticeſcerent, aliis deinceps moribus, legibus aliis, viuendum; nota eiusmodi, perduellionis crimen, non aliquibus, ſed genti vniuerſæ impingi, nulla exterorum miſeratione; velut commeriti hoc forent. Quiritantibus reſponſum: meminiſſent, quantum omni æuo turbarum,* PALATINI *nomen, in Hungariam inuexerit: Regis eſſe, quæ noxia reipublicæ, diuturno vſu comperta ſint, recidere; pro temporum ratione, magiſtratum legesque, accommodare.* Hæc ille. *Ambringenius* interim, ne, ſiue conceptam de ſe, exſpectationem Cæſaris, falleret; ſiue, per ignauiam, rebus præclare geſtis, maculam adſpergeret; viribus omnibus, in adminiſtrationem reipublicæ incubuit, deditque non vnum documentum, quantum prudentia, in rebus dubiis; aduerſus ſupplices, benignitate; ſeueritate in ſontes, valeret. Neque tamen, quemadmodum diploma regium habet, arcem incoluit, ob arduos hieme acceſſus, ventorumque & frigoris iniurias; ſed vrbem: hoſpitio, *in ædibus Auerianis*, quæ ſunt in foro maiori, acceptus. Proinde, tota iſta celebritas, non arcis fuit, ſed vrbis.

Hungarorum querela:

Ambringenii, in adminiſtranda republica, excelſus animus.

§. VIII.

Difficultates, quibus implicitus fuit Ambringenius:

AT enim, quidquid ageret, bonus AMBRINGENIVS, gentem profecto Hungaricam, demereri ſibi haud potuit; vt non tam ad gubernandum miſſum crederes, quam ad ferendas iniurias, quas promiſcue, & amici inferrent, & hoſtes. WAGNERVS, calamitates ſummi viri, & abitum eius, ſublimi hoc magiſtratu, ex vero deſcripſit: *Aeſtate eadem*, anni ſcilicet MDCLXXXII. AMBRINGENIVS, *regni Gubernator, luis cauſſa, Poſonium depaſcentis, Mergenthalium Franconiæ, in tutiora ſeceſſit, neque ſe Hungariæ deinceps tradidit. Sentiebat vir ſapiens, ſuum Gubernatoris nomen, veluti ſeruitutis auctora-*

coegerunt eum magiſtratu decedere:

g.) Decerpſimus iſta, ex litteris LEOPOLDI, ad *Iohannem Majtény, Perſonalis Præſentiæ Regiæ, in Iudiciis, Locumtenentem* datis.

h.) Loco cit. p. 341.

mentum, inuiſum Hungaris. Hoc, inter querelas primum, & veluti pro iuſta perduellionis cauſſa aſſumi; labores inſuper ſuos & vigilias, adeo male collocatas, vt ne audirentur quidem. Quod, violentum, illegitimum, nullum, haberetur, quidquid Palatinus non decreuiſſet. Itaque, vniuerſa gubernatio eo reducebatur denique, vt quotidianis, fideles inter & perfidos Hungaros, altercationibus auſcultator potius, quam arbiter interesſet. Namque ſeditioſi, nullum in ipſo ius, nullam ad imperandum auctoritatem, agnoſcebant. Fideles, & ſi coacto obſequio, dolorem premerent vtcunque; Gubernatoris nomen, vt nouum, legibus, moribus, libertati aduerſum, tacita auerſatione proſequebantur. His cauſſis, & ipſe dudum miſſionem petierat, & in Cæſaris conſilio decretum eſt, ea in re, moris ſui tenaciſſimæ nationi, concedendum. AMBRINGENIVS, *hac peſtilentiæ fuga, magna ſimul mala, non indecore effugit. Quod reliquum fuit adfectæ ætatis, ſibi ac pietati ita ſepoſuit; vt Teutonici Ordinis præfecturam, ſumma equitum voluntate, in Ludouicum, Neoburgi ducem, transferret. Ante mortem, quam haud diu poſt obiit, vaticinari auditus eſt; fore, vt Cæſar, non rebellionem modo edomaret; ſed Hungariam totam, alioquin ſuam, nouo belli iure ſibi adſereret.* Ita WAGNERVS, (*i*) partim tacita Cæſaris adſenſione, partim iniuria peſtilentiæ, *Gubernatoris* hunc magiſtratum ceſſauiſſe ait. Vtrumque erat; ſed neque ſilendum, quod publicis comitiis, quæ *Sempronii* iam tum anno MDCLXXXI. celebrata fuerant, creato iterum *Palatino*, noua hæc adminiſtrandæ reipublicæ ratio, abrogata (*k.*) fuerit. Lex, quæ in eam rem perlata fuit, ſilenda haud eſt: *Siquidem iam per ipſam Palatini creationem, tam Gubernium, quam Locumtenentia, his reuolutionibus introducta, ipſo facto ſublata eſſe dignoſceretur; ideo ſigilla etiam, tam Gubernale, quam Locumtenentiale, vna cum expeditionibus, a tempore electionis Palatini emanatis, pro futuro inuigoroſa pronnnciantur. Atque, vt caſu mortis Palatini, Articulus III. anni MDCVIII. ante coronationem editus, hoc loci renouatus, modalitate ibidem denotata, in poſterum inuiolate obſeruetur & effectuetur, vnanimi voto decernitur.* Itaque, vix octennio, inſolitus magiſtratus hic, durauiſſe potuit. *Inſolitum* dicimus, non quod reuera talis fuerit; quis enim, niſi hiſtoriæ ignarus, *Iohannem Coruinum; Michaelem Szilágyi; Carolum*, & *Erneſtum*; ac denique *Matthiam*, Archiduces, eodem functos, auſit negare? ſed quod exacerbatæ genti, *inſolitus*, neque ideo ferendus viſus eſt, quia deletus longa obliuione. Nam ſicut

lex, de abrogando Gubernio lata.

prima langueſcit ſenum
Memoria, longo laſſa ſublabens ſitu;

ita reſpublica, ſuis feſſa malis, odit calamitatum remedia, quorum dememinit.

§. IX.

i.) Lib. VIII. p. 561.

k.) Articulo II.

§. IX.

Nihil ea conuerſione, deceſſit Piſonii celebritati:

HAc conuerſione, excidiſſe viſum eſt *Piſonium*, cum celebritate illa ſummorum virorum, tum prærogatiua adminiſtratæ iſthic reipublicæ: quod tamen longe euenit aliter. Enim vero, redintegrata *Palatini* dignitas, quidquid illic deceſſit vrbi, cumulate id reſtituit. Coibatur *Piſonii* frequentiſſime, cum, ſiue ſubducendæ diſpertiendæque tributorum erant rationes; ſiue per hiberna diſtribuendus miles. Inſueti enim neceſſitatis iſtiusmodi, *Hungari*, incredibile dictu, quanta contentione rem ſubinde diſputarint, ex ſe planam, ſed toleratu difficilem. Ergo, plures non raro menſes, tamquam publico comitio impenſi, abiere, dum, vel de tributis conueniret, vel de militum hibernis. Iſta, toto fere vicennio, fiebant, maiore nunc, nunc iterum tenuiore, *Statuum* iſthuc concurſantium, numero. At, *Iudicia*, quæ *Generalia*, vocant, *Octaualia*, & *Breuia*, rarius poterant concelebrari: tum, quod bellum Turcicum, aliorſum, & principis, & gentis curas, auocabat; tum, quod longioris ſubſellii controuerſiæ, deſultorias, quales ſunt belli temporibus, cognitiones iudicationesque, reſpuebant. Pax demum *Carlouicenſis*, vti diuturno bello finem fecit, ita principis non minus, quam *Ordinum* animos induxit, ad iudicia, ex legum præſcripto, iterum celebranda. Sed, ne id quidem fieri potuit frequentius, ob motam, a *Rákóczio* ſeditionem. Quo circa, exinanitum iudicibus *Piſonium*, militare præſidium cogebatur accipere, quod lites obortas, ferro decideret. Plures, ea tempeſtate, anni fœdati ſunt, dum comitiis, quæ prolixe memorauimus, locum fecit IOSEPHVS; quæque poſtea CAROLVS VI. continuauit. Tunc vero, prærogatiuæ huic, de qua agimus, *Piſonienſium*, non modo detractum nihil eſt; ſed lex quoque lata (*l.*) vti *Commiſſio*, quam *Neoacquiſticam*, vocant, pro Hungaria cis- & vltra Danubiana, *Piſonii*, celebraretur. Acceſſit, anno MDCCXXIII. *Conſilii Locumtenentialis Regii* ſedes, *Piſonii* conſtituta. Quanta hinc vrbi, & exiſtimatio, &, ex tot ſummorum virorum, qui interſunt *Conſilio*, præſentia, conciliata ſit, celebritas, facile eſt ad coniiciendum: Ita enim lex (*m.*): *Sua Maieſtas Sacratiſſima*, inquit, *Conſilium Regium Locumtenentiale, inſtituit, Præſide Palatino, cum viginti duobus Conſiliariis, ex ſtatu Prælatorum, Magnatum, Nobilium, ex omnibus regni partibus, per Regiam Maieſtatem ex nunc, & in futurum, denominandis.* Et poſt pauca: *Supernumerarii quoque iuniores, iuramento adſtringendi, ex Magnatum & Nobilium ſtatu, ſine voto tamen & ſalario, ad idem Conſilium, pro capienda experientia, ad arbitrium Suæ Maieſtatis Sacratiſſimæ, admittentur: & ſæpe dictum Conſilium, ex Regalibus prouentibus, ſalariandum, vbi primum fieri poterit, ad meditullium regni collocabitur: interea vero* POSONII *manebit; neque ex Conſiliariis vlli, niſi*

cessantibus iudiciis generalibus:

Conſilium Regium Locumtenentiale, iſthic conſtituitur:

legis eius verba:

l.) Anni MDCCXV. Art. X. quod demum *Iudicii* genus, *Peſtum* translatum eſt.

m.) Vide Articulum XCVII.

ſi legitima de cauſſa, præſidi ſemper inſinuanda, præter legales ferias, ex eodem Conſilio, abeſſe licebit; ita tamen; vt ad minimum duodecim, ad latus præſidis, continuo præſentes eſſe debeant. In legitima demum Comitis Palatini abſentia, Iudex Curiæ Regiæ, eidem Conſilio præſidebit. Iſto ergo Conſiliariorum, perpetuo vrbem colentium, & pene, ex ſplendidiſſimis familiis delectorum numero, quid ad decus vrbis acceſſerit, quia palam eſt, ſuperuacuum fuerit commemorare.

facta inde vrbis acceſſiones.

§. X.

Conſilii Regii inauguratio:

LEge, ad eum modum, perlata, denominatisque, qui conſiliariorum munere fungerentur, id dedit operam CAESAR, vt, quamprimum felici omine, inauguraretur CONSILIVM. Miſſus, cum collega, Comes *Philippus Ludouicus a Sintzendorff*, ſummus aulæ Cancellarius, ſequente, quam *Piſonium* acceſſerat, die; XII. Calendas Aprilis fuiſſe, recordamur; *Conſiliarios*, quotquot erant, in arcem acciuit. Vt in regia, ductu præſidis compariuere, breui eos quidem, ſed pro rei dignitate, graui ſcitaque oratione, in hunc modum adloquutus eſt: *Pacato, Diuina fauente prouidentia, hocce Nobiliſſimo hæreditario Regno, confectoque, contra Ottomannos, feliciter bello, in nuperrima generali Regni Diæta, multa, ſuffragantibus Statibus & Ordinibus, annuente Sacra Cæſarea Regiaque Maieſtate, in bonum huius Regni, tamquam perpetuæ felicitatis monumenta, fuere ordinata & conſtituta. Mens vero Suæ Maieſtatis, & Statuum animi, eo præcipue collimarunt, vt Iuſtitiæ adminiſtratio, Tribunalibus demandaretur; ea autem, quæ ad Statum Publicum pertinent, faciliori commodiorique cura ac ſtudio, tractanda venirent. Idcirco,* Conſilium iſtud Regium Locumtenentiale, *communi Statuum & Ordinum voto, a Sua Sacra Cæſarea Regiaque Maieſtate ſtabilitum fuit, cui* COMITEM NICOLAVM PÁLFFY, *Regni huius* PALATINVM, *Regiumque Locumtenentem, tamquam digniſſimum Præſidem, præfecit; Conſiliarios vero, generis nobilitate, moribus, doctrina & eminentia conſpicuos, quos hic præſentes dignoſcimus, delegit: Nobisque iniunxit, vt Excellentiſſimum Præſidem, Conſiliariis; illos autem, tanto Capiti exponeremus. Quia vero, in agendis regula præfigenda eſt,* Inſtructio *modo prælegenda, confecta fuit, ad quam obſeruandam, ſe iureiurando obſtringere, læto animo accingent. Ceterum, Sua Maieſtas Cæſareo-Regia, firmiſſima ſpe nititur, quod in hoc Inclyto Conſilio, ſumma animorum concordia, ſepoſitoque partium ſtudio, bonum publicum vnice reſpicietur. Hinc Eccleſiaſticis Dignitas, Magnatibus Prærogatiua, Nobilibus Iura, Ciuibus Commerciorum vtilitas, Ruſticis tuta agrorum cultura, vniuerſo denique Regno, ſumma felicitas, absque dubio obueniet, ita vt dici poterit, quod Pax & Iuſtitia ſe oſculentur.* Vt hæc dixit SINTZENDORFFIVS, tacita omnium adprobatio ſequuta eſt: obſtricti iureiurando Conſiliarii, quidque eos porro vellet CAESAR, traditis tabulis, *Inſtructionem* vocant, edocti ſunt. Iſta *Conſilii* inauguratio

a Comite Philippo Ludouico a Sintzendorff, *iuſſu Cæſaris peragitur:*

eius, in hoc actu, oratio:

tio fuit; cuius, in adminiſtrandis rebus auctoritatem, publicæ leges, *(n.)* ad hunc modum definiuerunt: *Præfatum Conſilium, a nullo dicaſterio aulico, ſed Sua Maieſtate Sacratiſſima, tamquam Conſilium Regium, dependebit; & ſi quid Maieſtati Suæ Sacratiſſimæ repreſentandum habuerit, illud medio demiſſarum litterarum ſuarum, repræſentabit, & Maieſtas Sua Sacratiſſima, benignam ſuam reſolutionem, aut per reſcriptum, aut per decretum Regium, pro varietate rerum & negotiorum, eidem Conſilio intimabit. Conſiliarii, pro vberiore informatione, ad Suam Maieſtatem Sacratiſſimam, præuia Conſilii repræſentatione, & approbatione Suæ Maieſtatis, vocabuntur. Quod vero, correſpondentiam cum vicinis regnis & prouinciis, adtinet, cum in iisdem regnis, & prouinciis, exiſtentia Gubernia & Regimina, in rebus Statum publicum concernentibus, ad inuicem non correſpondeant; ſed Suæ Maieſtati Sacratiſſimæ, demiſſas relationes præſtent; ideo, id ipſum in hoc quoque Conſilio Regio, obſeruandum veniet.* Iſte, Conſilii erga Regem, habitus eſt. Et ſequente *(o.)* ſanctione: *Vt Conſilium hoc Regium Locumtenentiale,* CONTRA POSITIVAS PATRIAE LEGES, NIHIL DETERMINET, *& Diætales concluſiones, per eos, quibus incumbet, effectui mancipari faciat; ac præterea, vt concluſa ſemel, per pluralitatem votorum in Conſilio, extra Conſilium, nemini immutare liceat, iuſtum omnino eſt.* Adſcribere hæc viſum eſt, exterorum maxime cauſſa, & ad quos, leges, & inſtituta gentis noſtræ, haud facile pertingunt. Sua præterea, *Conſilio* Cancellaria, & huius, ex Conſiliariis, *Director* eſt, *Secretarii* item, & qui eos ſequuntur, reliqui. De his lex: *(p.) Directorem Cancellariæ, ex Conſiliariis, vna cum Secretariis, Sua Maieſtas Sacratiſſima, denominabit; Regiſtratorem vero, Rationum exactorem, Expeditorem, & reliquos ſubalternos, ipſum Conſilium, obſeruata votorum pluralitate, conſtituet: ipſas vero expeditiones, Præſes, cum Cancellariæ Directore, & vno ex Secretariis, ſubſcribet. Conſilium vtatur ſigillo Suæ Maieſtatis Cæſareo-Regiæ, cum circumferentia aquilæ, in medio autem inſignibus regni; prouti hoc in aliis quoque regnis, & prouinciis hæreditariis, omni tempore vſitatum fuit.* Atque hæc quidem *Conſilii*, quod ob ſingularem eminentiam, *Excelſum* vocamus, inſtitutio fuit.

Conſilii Regii auctoritas:

Cancellaria, huius Director, Secretarii &c.

§. XI.

NOuennium, ad hunc modum rebus politicis, bellicis, & *(q.)* œconomicis, Conſilium præfuit; cum *Comes* NICOLAVS PÁLFFY, *Regni Hungariæ Palatinus, Locumtenens Regius, & Conſilii præſes,* ætate & morbis confectus, decimo tertio Calendas Apriles, anno MDCCXXXII. viuere deſiit. Non ea quidem ſummi viri mors, inopina fuit; ſed dedit tamen negotii quidpiam *Cæſari*, & huius adminiſtris;

Mortuo C. Nicolao Pálffy, *R. H. Palatino, Conſilii Præſide:*

n.) Anni MDCCXXIII. *Articulo* CI.

o.) Articulo CII.

p.) Articulo XCVIII.

q.) Vide eiusdem anni Articulos C. & CXV. ſeqq.

ſtris; quod eſſent, qui *Palatinum*, nouo indicto comitio, creandum putarent; non id eſſe opus, dictitarent alii; cum penes Regem ſit, ſeu *Palatinum* legi per *Status* velit, ſeu ipſe *Locumtenentem* Regium, nec conſultis Statibus, inſtituat. Neutri, quod a legibus patriis abſonum foret, conſulebant. Stetit tamen eorum ſententia, qui ſine comitiorum ſtrepitu, quæ indici oporteret, *Palatino* creando, *Locumtenentem Regium*, priuato Regis iure, inſtituendum exiſtimabant. Confirmata ſententia, cum nemo occurreret, ſiue dignior, ſiue ad referendam Cæſaris Regisque maieſtatem, aptior, STEPHANVS FRANCISCVS LOTHARINGIAE, & BARRI DVX, vir, regii ſanguinis, & Cæſari propinqua cognatione iunctus, ad eam dignitatem, ineunte menſe Aprili, a CAROLO VI. patre patriæ, ſublegitur. Vix tantæ rei fama, per Hungariam dicta eſt, cum voces congratulantium audiri, concurſare Ordines, & optima quæque, nouo regulo vouere. Redibat tunc ex *Anglico* itinere, per *Batauos*, iamque *Hanoueram*, & *Berolinum* emenſus, *Wratislauiam*, non corpore magis, quam animo vegetus, acceſſerat; cum primum, deſtinatæ ſibi nouæ *dignitatis* nuncium, acciperet. *Hæſit aliquantiſper Dux*, neque tam dubitauit, oblatum a Cæſare munus acceptare, quam cogitare ſecum, ad quæ tirocinia, regnorum poſtea adminiſtrandorum, numinis arbitrio euocaretur. Ergo, haud quidquam moratus, *Viennam* ad Cæſarem venit, benignitatem, qua abſentem proſequutus fuerat, gratus recognoſcit, totumque ſe *Cæſaris*, tamquam patris optimi, arbitrio permittit. At CAESAR, vti rem cœptam, ante iter *Pragenſe*, quod deſtinauerat, prorſus conficeret, litteris ad *Conſilium* dimiſſis, quid ſtatuerit, *Ordines*, toto, quam late patet, regno, edocendos iubet; STEPHANVM FRANCISCVM, Locumtenentem, regia auctoritate declarat; &, cum omnes, tum ſingulos, officii benignius admonet. Incredibile dictu eſt, quanta bonorum omnium adprobatione, Cæſaris hæc prouidentia, fuerit accepta. Ergo, nec exſpectato, Ducis, in Hungariam aduentu, *Ordinum* haud paucos, *Viennam* vſque, ſalutandi eius auiditas exciuit. Ille vero, vti eſt natura factus ad clementiam, aduentantes blande audire, de ſe optime ſperare, & omni cumulatos benignitate, dimittere. Cæſare poſtea, cum Auguſta, ad ſextum Calendas Iunii, *Pragam* digreſſo, *Dux*, teſtandæ pietatis cauſſa, *Cellas Marianas* profectus eſt; ſimul inde *Viennam* rediit, *Piſonium*, deſtinatam muneris ſedem, quamprimum adire, & manum clauo reipublicæ admouere ſtatuit. Fuit in magna exſpectatione eius aduentus, cuius ille, vti conceptam vulgo famam minueret, ad *octauum Idus Iunii*, vrbem, peregrino ſimilis, ingreſſus eſt; neque admiſit quidquam pompæ, quam quod euitari, in eo muneris aditu, haud potuerat. Aduentantem, duæ militum cataphractorum alæ, pro porta ſlumentanea, ritu militari, accepere. Hic, & vrbis magiſtratus conſtiterat, qui portam ſubiturum, pro more, conſalutaret. Vrbis plateas, qua erat tranſiturus, armati ciues, gemino ordine inſtruxerant. Putaſſes, ſeiugi &

Cæſar, Stephanum Franciſcum, Lotharingiæ & Barri Ducem, *in Locumtenentem Hungariæ, & Conſilii Regii Præſidem, elegit:*

Hungarorum, mira in Ducem propenſio:

eius Piſonium aduentus:

& facto ad oſtentationem carpento, ſubuectum iri Ducem, cum is, tribus admodum veredis vſus, citato gradu, vrbem transuectus, ante hoſpitium adtingeret, quam portas ſubiiſſe credidiſſes. Et accidiſſet facile, niſi tormentorum fragor, qui ter editus ex arce eſt, multitudinem exciuiſſet, vt nec aduerſus, vrbem tranſiiſſet. Hoc pompæ neglectu, tantam ſpectantium meruit adprobationem, quantam vix erat laturus, ſi adparatiſſimo vſus comitatu, in vrbem fuiſſet inuectus. Arx, hoſpitio deſtinabatur; ſed, quod difficiles, hieme potiſſimum glaciali, aditus haberet, prætorium *Pálffianum*, ad pedem arcis, amœno, & hortenſi loco poſitum, hoſpitem recepit. Quatriduo poſt, quam aduenerat, hoc eſt, quinto Idus Iunii, *Conſilio*, ritu vix alio adhibito, *præſedit*, quam quod Cæſaris ſe nutu, in hanc ſpartam veniſſe teſtatus, conſultandi mox initium fecerit. Nos, qua ſumus, in Regem, in patriam, & qui ad huius clauum ſedent, omnes, pietate, felix id CAROLO VI. fauſtum Hungariæ, Dvci denique ipſi, glorioſum vt ſit, toto animo comprecamur.

pompæ expers:

publico adplauſu excipitur:

Ducis ſedes:

magiſtratus exordia:

auctoris vota.

§. XII.

SEd, ne quid ſiluiſſe videamur, decretum, quo dignitatem eam, Dvci collatam, CAESAR *Conſilio* ſuo *Locumtenentiali* teſtatus eſt, exhibuiſſe iuuabit. Ita vero habet: *Reuerendiſſimi &c. Vacante Palatini, hæreditarii noſtri Hungariæ Regni, nec non Regii noſtri, per idem Regnum Locumtenentis, dignitate, clementer exiſtimauimus, magis conſpicuum teſtimonium vere paterni amoris noſtri, & Cæſareo-Regiæ benignitatis, qua erga præfatum noſtrum Hungariæ Regnum iugiter ferimur, exhiberi non poſſe, quam ſi Sereniſſimum Principem, Dominum* FRANCISCVM STEPHANVM, LOTHARINGIAE, AC BARRI DVCEM, *Conſanguineum noſtrum Chariſſimum*, prouiſorio modo, *& vſque dum generalis Diæta memorati Regni noſtri, Hungariæ, pro alterius Palatini electione, a Nobis indici, & publicari poſſit, in* REGIVM *noſtrum, per Hungariam* LOCVMTENENTEM, *benigniſſime nominemus; Prouti etiam ſuprafatum Lotharingiæ, ac Barri Ducem, peculiariter quoque de præfato hæreditario noſtro Hungariæ Regno, in antenatis etiam Suis, optime meritum, pro Regio noſtro per Hungariam* LOCVMTENENTE, *clementer nominauimus ac publicari iuſſimus. Quod ipſum, Fidelitatibus veſtris, non ſolum pro earundem notitia, verum etiam eo fine, per præſentes benigne intimamus, vt modalitate prædeducta,* prouiſorio *nempe* modo, *ac vſquedum generalis Regni Hungariæ Diæta, pro alterius Palatini electione, Fidelibus Statibus & Ordinibus memorati Regni noſtri, a Nobis indici & promulgari poſſit, factam prælibati Lotharingiæ, ac Barri Ducis, in Regium noſtrum per Hungariam Locumtenentem nominationem, per vniuerſos Regni Comitatus, mox publicent. In reliquo &c. manemus. Datum, in Ciuitate noſtra Vienna Auſtriæ, die quinta Menſis Aprilis, Anno* 1732. CAROLVS. *Comes Ludouicus de Batthyán. Petrus Végh.* De his, hactenus: iam porro pergamus.

Cæſaris, ad Conſilium litteræ decretoriæ:

PRAEROGATIVARVM VRBIS PISONIENSIS, ARTICVLVS V.

De *Aerario Regio, siue Camera Hungarica, Pisonium translata.*

PROOEMIVM.



Erarii procuratio, cum non ad opulentiam modo *Principis;* sed conseruandam etiam *Rempublicam*, in primis adtineat: pretium operæ feciſſe exiſtimandi ſunt Reges Hvngariae, *quando, poſt* conſtitutum regnum, id elaborauere, vt, & peculiares ſibi eſſent reditus, & horum rationes, rite ſubducerentur diſpenſarenturque. Fecere id quidem, vetuſtiſſimarum gentium exemplo; (*a.*) ſed ſibi tamen, in gente libera, eo magis neceſſario; quo difficilius eſt, ad cenſum vocare, hos, qui olim ex ſpoliis, ipſi cenſus faciebant plurimum. Et ſucceſſit omnino inſtitutum, lentis profectum initiis, dum inualeſceret adeo, vt Reipublicæ fundamentum, & apud *Hungaros*, dici potuerit. Enimuero, conſtat ſibi illud Ciceronis (*b.*): *Si vectigalia, neruos eſſe reipublicæ ſemper duximus; eum certe ordinem, qui exercet illa, firmamentum ceterorum ordinum, recte eſſe dicemus.* Geminam ærario laudem circumponit; quod, & neruos contineat Reipublicæ, & hi, qui ei adminiſtrando nauant operam, firmamentum ſint ordinum reliquorum. Atque hunc quidem ordinem, teſte Cicerone, honeſtiſſimum ornatiſſimumque, quia inter præcipua *Vrbis* noſtræ decora, iam pridem relatus eſt, nunc compendio exhibeamus.

SY-

a.) Vide, Ioh. Bodini de Republica Lib. VI. Cap. II.

b.) Pro lege Manilia, Cap. VII.

SYNOPSIS.

Aerarii *inſtitutum, vetus eſt apud Hungaros:* Theſaurarius *regius, & huius muneris rationes: ſedes* Budæ. §. I.

Poſt Ludouici II. *occaſum,* Piſonium *transfertur ærarium: ſimul Præſide, & Conſilio inſtituto:* Pemflingerus, *primus Cameræ Præfectus: Conſilii Cameræ Regiæ, in decretis mentio: omnia tributa in Cameram illata: Ordinum preces; vt Cameræ Præfecti, ex Hungaris deligantur: Cæſaris reſponſio: duo* Theſaurarii: *ex Hungaris, electi: & a Cæſare adprobati: ſecundus Cameræ Præfectus,* Albertus de Beregh. §. II.

Franciſcus Thurzo, *Tertius Cameræ Præfectus, ceſſantibus Theſaurariis: Cameræ Hungaricæ auctoritas, publica ſanctione ſtabilitur:* Iohannes Deſsőffy, *L. B. Quartus Cameræ Præfectus:* Iohannes ab Ujlak, *quintus: de Lucro Cameræ, motæ ſub eo difficultates: quemadmodum diſputatæ, relatæque in leges fuerint.* §. III.

Stephanus Radéczius, *ſextus Cameræ Præfectus; Septimus,* Stephanus *itidem,* Fejérköui: *noua, de circumſcribenda Cameræ Hungaricæ auctoritate, lex: tributis cogendis, & erogandis, triumviri conſtituti; ſed qui rationes Cameræ tenebantur reddere:* Commiſſariatus *procuratio, penes Cameram: primi* Commiſſarii *bellici, quando creati:* Stephanus Szuhay, *octauus Cameræ Præfectus.* §. IV.

Inſignis Cameræ Hungaricæ, poſt ſeculi decimi ſeptimi initia, conuerſio, & eius rei cauſſa. §. V.

Botskaiani, *quemadmodum Cameras, & horum præfectos, habuerint: eorum poſtulationes in Cameram, & horum præfectos, acerbæ: reſponſum Cæſaris: Botskaianorum intemperies: pace Viennenſi terminata: noua inde Cameræ facies: publica demum lege adfirmata:* Theſaurarius *inſtituitur.* §. VI.

Cameræ, ea reformatio, haud fuit diuturna: reducuntur Præfecti: auctoritas Cameræ, iterum adſerta: ingens, ex adtributis Triceſimis, acceſſio: quomodo perturbata, iterumque redintegrata fuerit: nouæ difficultates. §. VII.

Qui ſe mutuo Præfecti exceperint: recidit ea dignitas in Epiſcopum, Leopoldum a Collonitſch: *id quod abrogatum eunt Ordines.* §. VIII.

Qui ſub Carolo VI. *Cameræ ſit habitus: verbis decreti docetur.* §. IX.

A quibus administretur hodieque Camera: Præsidis præcipua est auctoritas: in iis eligendis, priscorum regum adcuratio: fuit in maximis regni dignitatibus: quam ob caussam? verbis diplomatis Matthiæ Coruini *docetur: est iam quoque insignis prærogatiuæ munus:* Szuhaii, *&* Micatii *casus, nil quidquam ei derogarunt: sed nec lex anni MDCLXXXI. quippe, abrogata postliminio, cum edita sanctione; tum exemplo, ad posteritatem valituro:* hodierni Cameræ Præfecti, *laus: munera Cameræ reliqua:* caussarum *regalium* Director, *& huius aduocati.* §. X.

Catalogus Præfectorum *Cameræ Hungaricæ.* §. XI.

Index Consiliariorum, *inde a primis Cameræ Pisonienſis exordiis.* §. XII.

§. I.

Aerarii *institutum, vetus est apud Hungaros:*

NOn est tam recens AERARII PVBLICI, seu CAMERAE, apud *Hungaros* institutum, quam id nonnulli existimarunt. Iam tum S. STEPHANI ætate, exstitisse *Fiscum Regium*, eius decreta loquuntur. *Volumus*, inquit *(c.) vt, sicut ceteris facultatem dedimus, dominandi suarum rerum; ita etiam res, milites, serui, & quidquid ad nostram regalem dignitatem pertinet, permanere debet immobile, & a nemine quid inde rapiatur, aut subtrahatur, nec quisquam (d.) in his prædictis, sibi fauorem acquirere audeat.* His demum vestigiis institere sequuti reges; dum consolidata magis magisque republica, redituum quoque regiorum, adcuratior haberi cœpit ratio. Nota sunt, ex diplomatibus *(e.) Summorum Comitum Camerarum* nomina. Decretum certe CAROLI I. totum fere isthuc comparatum est, vt *Lucrum Cameræ*, rite constituatur. Eodem & LVDOVICI I. sollicitudo pertinuit, peculiari sanctione, anno MCCCLI. *(f.)* expressa. Postea, sub SIGISMVNDO, & MATTHIA I. *Thesaurarii* nomen, inualuit: quæstorem latini vocant. Quid eorum fuerit muneris, LVDOVICI II. decreta *(g.)* in primis docent. *Huiusmodi Thesaurarius Regius*, verba sunt decreti, *super eo iuramentum præstare teneatur: quod vniuersos regios prouentus, e manibus quorumcunque, cum auxilio Regiæ Maiestatis, sine fauore extorquebit, suisque manibus adplicabit, riteque & commode dispensabit, neminique dispensationem indulgebit: & si forent dissipatores, Regiæ Maiestati, & Consiliariis manifestabit; nihilque cuipiam indignum concedet, sed omnia, quæ perperam aguntur, Regiæ Maiestati, & Consiliariis, significare curabit.* Proinde, *Budæ* eum degere, neque abesse *(h.)* a rege, oportuit: vt in promtu semper esset, qui accepti, & expensi, rationes subduceret.

Thesaurarius *Regis, & huius muneris rationes:*

sedes Budæ.

§. II.

AT enim vero, funestus LVDOVICI II. ad Mohácsum occasus, vti vniuersam Hungariam, sic & rationes muneris huius, confudit; coegitque regem FERDINANDVM I. vti hanc quoque Budensis vrbis prærogatiuam, *Pisonium* transferret. Rem gestam, ad annum MDXXXI. annales Aerarii meminerunt; silent eius anni *Decreta*. Prima, *Cameræ Pisonienſis* sedes, in ædibus *Christophori Maixneri*, fuit, ciuis non plane gregarii, annuo, *duodecim florenorum* pretio, parata, auctaque *dein in florenos sedecim:* dum anno MDXLIX. ab eodem possessore, *mille viginti quinque* florenis, *in perpetuam* sedem, redimeretur penitus. *Instructio Cameræ*, quam vocant, Anno MDXXXI. secundo *Iulii* die, a FERDINANDO I. *Budenitzii* signata est. Tunc vero primum, quod vnius olim muneris fuit, inter plures dispertitum est, atque more Germanico, *Consiliarii Cameræ*, delecti fuere: præside constituto, qui rebus, cum auctoritate moderaretur. Primum in his fuisse, *Stephanum Pemflingerum, Liberum Baronem a Zichan & Kö-chelburg*, passim in catalogis legas. Anni supra millesimum quingentesimum quadragesimum, *decreta (i.)*, luculentam *Consilii Cameræ Regiæ*, mentionem habent: quippe cui, quidquid toto regno tributorum, ex legum præscripto, cogebatur, reddendum erat. Quæ postea lex, instaurabatur, *(k.)* sæpius. At, cum in Tyrnauiensi comitio, quod anno MDXLV. celebratum est, id rogarent *(l.)* Status: *vt administrandis* Regis, & MARIAE reginæ prouentibus, *non officiales, seu personæ alterius nationis; sed de medio Hungarorum, vnus Thesaurarius, persona idonea & fidelis, quæ etiam bonis, & auctoritate valeat, habeatque pignus satisfaciendi, (si male dispensauerit) eligatur;* ita responsum *(m.)* a Rege est; vt, cum sibi, tum MARIAE sorori, liberrimam adsereret facultatem, quos vellent, reditibus suis administrandis, præficere. Itaque, quidquid, siue tributorum decretum postea est, siue ex *bonis fisci*, quæ vocant, redibat, in *Cameram* id *Regiam, Pisonium* inferebatur. Haud tamen cessauere Ordines, quin rogatis legibus, eo inducerent FERDINANDVM vti accipiendis tributis, duos ex Hungaris, *Thesaurarios* constitueret. Exstat ea rogatio in *Decreto* Tyrnauiensi, anni MDXLVII. *(n.)* vbi *Episcopum Nitriensem*, tunc *Fran-*

Post Ludovici II. *occasum, Pisonium transfertur aerarium:*

simul Præside, & Consilio constituto:

Pemflingerus, *Præsidum primus:*

Consilii Cameræ Regiæ in decretis Regni mentio:

omnia tributa in Cameram illata:

Ordinum preces, vt Cameræ præfecti ex Hungaris deligantur:

Cæsaris responsio:

duo Thesaurarii ex Hungaris electi:

c.) Decretorum Lib. II. Cap. VI. *Regalia, & res Fisci sint intactæ.*

d.) Adde, eiusdem Decreti Cap. XLII.

e.) Ita in Aurea, *Belæ IV.* Bulla, quam ecclesiæ *B. Mariæ Virginis Præpositurae Thurocziensis* impertiuit, *Csákii*, meminit, *summi Camerarum*, & *Comitis Sopronienſis*, ad An. MCCLII.

f.) Articulis IV. & V.

g.) Anni MDXXVI. *Articulo* III. seqq.

b.) WLADISLAI Decret. VII. Artic. LXVIII.

i.) Vide, *Artic.* VII. & sequentes.

k.) Anni MDXLV. *Artic.* X. XI. & XI.

l.) Artic. XLII.

m.) Exstat id ad *Decreti* eius anni calcem p. 371. seqq.

n.) Artic. IX.

& a Cæsare probati:

Franciſcum Thurzo, & *Sigismundum Forgách*, virum nobilem, electos ad obeundum munus illud, legas. FERDINANDI verba *(o.)* ſic habent: *Electionem duorum Theſaurariorum (durante noſtro beneplacito) clementer admittimus: ita tamen, vt his, ex Camera noſtra aliquem idoneum & ſufficientem virum, adiungamus, qui vna cum eisdem Theſaurariis, ſingulis menſibus, gentes ipſas, ſub vtroque Capitaneo, fideliter recenſere, & luſtrare debeat: ne quis defectus, vt hactenus ſæpe factum fuiſſe ſcimus, in conſeruatione gentium ipſarum, committatur, & regnum ſuis pecuniis & defenſione, fruſtretur.* Præfuit tunc Cameræ, *Albertus de Beregh, Præpoſitus Quinqueeccleſienſis.*

ſecundus Cameræ præfectus, Albertus de Beregh.

§. III.

Franciſcus Thurzo, tertius Cameræ Præfectus, ceſſantibus Theſaurariis:

HAc *Theſaurarii* muneris occaſione, factum puto, vt *Alberto de Beregh*, in præfectura Cameræ, *Franciſcus Thurzo*, ſuccederet. Neque enim Theſaurariorum, in comitiis, annorum, MDXLVIII. & MDL. ſed ſolius *Cameræ (p.)*, quæ neruum belli recipiat, mentionem reperias: quin, & anno MDLII. omnis tributorum, per ſingulos Comitatus, *perceptio*, vnice ad *Cameram (q.)* adtinuit. quæ demum colligendi ſubſidii ratio, ſingulis, quæ ſequuta ſunt, comitiis, adprobata eſt. In primis, anno MDLIV. auctoritati *Cameræ Hungaricæ*, conſultum iuere *Status* & *Ordines*, cum ei *Triceſimatores* & *Officiales* reliquos, prorſus ſubiiciendos ſtatuerunt: *Officiales*, inquiunt, *(r.)* & *Triceſimatores externi, ſiue etiam Hungari de negotiis in Hungaria geſtis, ad externos Camerarios, & eorum iudicia, vbi quid iudicandum contingit, ſeſe non referant, ſed Maieſtatis eius Regiæ præfectum, & conſiliarios eius Cameræ Hungaricæ, audire eisque obedire teneantur. Quodſi non paruerint, Maieſtas eius Regia, ipſos pro demeritis eorum puniat, ſeu per officiales eius, puniri faciat.* Nempe, adhuc *Cameræ* moderabatur *Franciſcus Thurzo:* proinde non putabat committendum, vti, ſeu Ordinum, ſeu conniuentia ſua, auctoritati *Cameræ*, derogaretur quidquam. Ei demum, *Liber Baro Iohannes Deſsöffy* ſurrogatus in præfectura eſt. Nihil ſub eo, circa res ærarii, magnopere memorandum accidit. Nam, & tributorum cogendorum in *Cameras*, eadem adhuc ratio obtinuit; neque conſtitutum fuerat publice quidquam, quod increſcentem in dies *Cameræ* auctoritatem, vel diminueret, vel circumſcriberet. Vt vero, *Iohannes ab Ujlak, Epiſcopus Váczienſis*, Cameræ præfecturam, volente ita FERDINANDO, adiit, de *Lucro Cameræ*, peculiari Regum Hungariæ reditu, obortum difficultatis eſt quidpiam. Poſcebat nempe, *Cæſar*, vti & tunc ad *Cameram* penderetur *Lucrum*, cum decernebantur, ſolita in bellum ſubſidia.

Iohannes Deſsöffy *L. B. quartus Cameræ præfectus:*

Iohannes ab Ujlak *quintus:*

de lucro Cameræ, motæ, ſub eo difficultates:

o.) Reſponſo Regis, ad eius anni *Decretum.* p. 399.

p.) Artic. XXIII. & anni MDL. *Artic.* XXII. & XXIII.

q.) Legeſis *Artic.* IV. Adde A. MDLII. *Artic.* XIV. An. MDLV. *Artic.* III.

r.) Artic. XI. fine. Confer. Anni MDLV. *Artic.* IX.

ſidia. Res, ad comitium anno MDLXIII. delata, ad hunc modum diſputata *(s.)* eſt: *De Lucro Cameræ, quod Sacra Maieſtas Cæſarea, proprium Coronæ prouentum, ſingulis in poſterum annis, ſiue decretum fuerit ſubſidium, ſiue non, iuxta veterem morem, continuo exigendum, decerni poſtulat: Viſum eſt Statibus & Ordinibus regni, quod, quamuis non ignorent, Lucrum hoc Cameræ, ſpecialem & ordinarium eſſe Regum Hungariæ prouentum; quia tamen a multis inde annis, ita ſemper obſeruatum fuiſſe recordantur, vt oblato per regnicolas, Regibus ſubſidio, Lucrum Cameræ ſemper intra illud fuerit computatum, & nunquam ſeorſim, cum ſubſidio exactum; eos, ne nunc quidem quidquam a veteri iſta conſuetudine, immutare poſſe. Atque propterea Sacræ Maieſtati Cæſareæ, humillime ſupplicauerunt, dignaretur ipſos, in veteri iſto more, clementer conſeruare, ipſumque Lucrum Cameræ, intra dicam oblatam computatum, acceptare; id quod Maieſtas ſua Cæſarea clementer admiſit. Ita tamen, vt in poſterum id lucrum ſingulis annis, iuxta antiquam conſuetudinem exigatur, ſi quando contingeret, quod proxime præterito quadriennio contigit, per annum quempiam, vel per plures annos, nullam dicam publicari.* Quæ lex, *ne obliteraretur lapſu temporis*, repetita fuit *(t.)* ſæpius. Proinde, & quæſtores ipſi, leges patriæ, *Dicatores* vocant, *Cameræ* fuere obnoxii, quorum inſolentiam compeſcendam *Status* volebant, &, ne a *Camera*, ſed a publicis comitiis, præſcriptum, ſeu *Inſtructionem* cogendorum ſubſidiorum acciperent, ſerio *(u.)* cauebant. Immo, per *Cameram* fuiſſe ordinatos, *Dicatores*, punitosque, ſi fide mala agerent, ſanctiones, *(v.)* ſemel iterumque perlatæ, loquuntur.

quemadmodum diſputatæ; relataque in leges fuerint.

§. IV.

Stephanus Radéczius, *ſextus Cameræ Præfectus:*

HIc, *Cameræ Hungaricæ, ſub* FERDINANDO I. MAXIMILIANO filio, & nepote RVDOLPHO, habitus fuit. Exceſſerat interim e viuis, *Iohannes ab Ujlak*, Váczienſis Epiſcopus: itaque, *Stephanus* ei *Radéczius*, itidem præſul Váczienſis, ſurrogatus eſt. quem poſtea, *Stephanus Fejérkövy*, Epiſcopus Nitrienſis, excepit: ſub idem fere tempus, cum de conſtituenda *Cameræ Hungaricæ* auctoritate, legem rogauere Ordines, quæ iſtiusmodi fuit: *(x.) Qua ratione regii prouentus in poſterum melius adminiſtrari, atque erogari poſſint, quæue auctoritas Hungaricæ Cameræ eſſe debeat, inquiſitione omnium rerum peracta, atque informatione accepta, & vti par eſt, atque omnino neceſſe, in maturam deliberationem, ipſo trimeſtris conſilii (y.) tempore deducta, Sua Cæſarea Maieſtas, vel Sua Serenitas, audita & perpenſa Hungarici Conſilii ſententia, quæ maxime conſentanea videbuntur, conſtituat.* Colligere hinc poſſis, non ea, qua decuiſſet, adcuratione, prouentus regios

Septimus, Stephanus *itidem* Fejérkövy:

noua, de circumſcribenda Cameræ Hungaricæ auctoritate, lex:

s.) Articulo IX.

t.) Anno MDLXVI. *Artic.* IX. & A. MDLXVII. *Artic.* XV. A. MDLXIX. *Artic.* XVI. A. MDLXXII. *Artic.* IV. A. MDLXXXIII. *Artic.* I. &c.

u.) Anno MDLXVI. *Artic.* VI.

v.) Vide, Anni MDLXIX. *Art.* XI. XIV. & XV.

x.) Decreto Anni MDLXXXVII. *Artic.* IV.

y.) Vide, *Artic.* III. antegreſſum.

fuisse administratos, ac fortassis plusculum sibi vindicasse *Cameram* auctoritatis, quam par erat. Sed, quomodo res ea fuerit disputata, & quibus legibus circumscripta *Camera*, nusquam reperio. Illud constat, anno MDXCIII. subsidia, quæ destinabantur ab Ordinibus, *non* iam *per Cameram, sed per ipsorum Statuum homines (z.)* accepta erogataque fuisse. Erant hi, in Hungaria superiore, *Sigismundus Rákóczi*; in cis, & trans Danubianis partibus, *Stephanus Illyésházy*; denique in Sclauonia, *Nicolaus Istvánffy (a.)*. Verum, hi quoque, ad reddendas *Cameræ* rationes *(b.)* obstringebantur. Tunc, & sauciatorum militum cura, *Cameræ* iniuncta *(c.)* fuit. cui sustentandæ, destinatam, a singulis *portis, decem denariorum* eleemosynam, a nobilibus vltronee pendendam, in acceptis referre oportuit. Ergo, tota *Commissariatus bellici*, quam dicunt, procuratio, penes *Cameram* hucusque fuit. Nam, peculiares quidem *Commissarios*, eosque *Hungaros*, anno demum MDXCVIII. creatos fuisse, ex eius anni *Decretis (d.)* constat. qui, & belli neruum, quem pendendum censuerunt Ordines, cogerent, dissoluerentque militum stipendia; &, quoties erat necesse, lustrarent exercitum. At enim, non hæc diuturna fuit constitutio: quippe quam, anno MDC. antiquatam fuisse, ex *decretis (e.)* quæ tunc perlata fuerunt, colligere possis. Ergo, intemerata semper mansit, *Cameræ Hungaricæ* auctoritas. Atque, tunc quidem *Stephanus Szuhaj*, Episcopus Vácziensis *(f.)* Aerario præfuit; sed quam funesto euentu, ex his, quæ iam dicemus, adparebit.

tributis cogendis, & erogandis, triumuiri constituti:

sed qui rationes Cameræ tenebantur reddere:

Commissariatus *procuratio, penes Cameram:*

primi Commissarii *bellici, quando creati:*

Stephanus Szuhaj, *octauus Cameræ Præfectus.*

§. V.

Accusabantur, post seculi decimi septimi exordia, criminis læsæ maiestatis, duo viri senatorii, *Stephanus Illyésházy* alter; alter, *Iohannes Ió.* quorum ille, *Magister Aulæ*; hic vero, litibus diiudicandis prætor constitutus, tribunali regio, quam *Tabulam* vocant, præerat. Illum, ærario præfecti aduocatique, probrosis libellis bifariam scriptis, Cæsarem incessisse, ideoque lege Iulia, maiestatis crimine teneri, deferebant. Ergo, Cæsar, iacta in se probra, in cognitionem vocari iubet. Dicitur *Illyésházyo* dies; disputatur caussa; neque ille se ipsum deserit; quin dictis factisque, excusationem conciliaret. Diu lis in vtramque partem agitata, a plerisque tandem senatoribus ita terminata est; vt *Illyésházyus*, criminis læsæ maiestatis damnaretur. Senatus hoc decretum, simul *Pragam*, ad Rvdolphvm dimissum est, *Nicolaum* ille *Istvánffyum*, eo tempore, *pro-Palatini* fungentem dignitate, ad se euocat, & sententiam aduersus reum, palam ferre

Insignis Cameræ Hungaricæ, post seculi decimi septimi, iuitia, conuersio; & eius rei caussa:

z.) Verba sunt *Artic.* III.

a.) Ibidem *Artic.* VIII. X. XII.

b.) Anni MDXCVI. *Artic.* XVIII.

c.) Ibidem, *Artic.* XXX. Vide, Anni MDXCIX. *Artic.* XXII.

d.) Artic. X. Adde, A. MDXCIX. *Articul.* XXIV.

e.) Artic. III. adde, A. MDCI. *Artic.* II. & VII. item A. MDCIV. *Artic.* II. & V.

f.) Vsque ad A. MDCIV.

ferre iubet. Sed *Nicolaus*, patriis legibus, quibus extra Hungariæ fines, ferri aduersus ciues, sententia caueatur, se prohiberi, egregio ad posteritatem exemplo, nec cunctatus respondit. Adhæsit ergo, cum sententiæ promulgatio, tum *exsecutio* etiam. Aegre id ferebat *Camera* collegium: quippe quod, *Illyésházii* fundos, quos amplissimos habebat, fisco iam destinauerat. His rebus, exasperatus animo Stephanus, *Iónium*, iniquum caussæ suæ, vti rebatur, iudicem, præcipitem daturus, litteras protulit, ex quibus illum, multo maiora & atrociora, in Cæsarem, ac fratres eius, probra coniecisse, ideoque sententia multo, quam se, rigidiore, dignum esse, adpareret. Hoc facto *Illyésházyus*, cum pridie *Nonarum Nouembris*, in curiam vocaretur, a nonnemine periculi clam admonitus, *Trentschinum* primo, arcem suam, inde, conuasatis thesauris, in *Poloniam* euasit: *Iónius* contra, loco & dignitate motus, sigilloque Cæsaris priuatus, quod *iudiciale* vocatur, cum litteras, manu sua scriptas, negare haud posset, *Viennæ* custodiæ traditus est. Iste, viri vtriusque casus, magnos postea, ac difficiles ad componendum motus dedit; *Cameram* autem *Hungaricam*, propemodum subuertit. Recitabimus, ea de re, verba Istvánffii: *(g.) Quod posteaquam factum fuit*, inquit, Lvpvs Vnferzagtivs, *Cameræ, seu ærario præfectus, vtriusque bonis & fortunis*, (Illyésházii & Iónii) *auide inhians, vt iis, per auctionem diuenditis, æs alienum publicum, quod creditoribus*, & Lasaro, *in primis*, Henckelio, *prædiuiti mercatori, debebatur, vel cum iniuria & acerbitate aliorum dissolueret: conuento Cæsare, quum, ob rem pecuniariam, quam fisco, ex eorum damnatione obuenturam sperabat, scripta vtriusque præue detorqueret, eius sententiæ auctor fuit, vt Viennam ambo acciti, a* Matthia *principe, lata seueriore sententia, capti custodiæque traditi, bonis & fortunis, multarentur.* Serpsit mox latius malum. *Per eundem modum*, habet porro Istvánffyvs, Georgio *quoque* Homanniano, *arx Terebesia, extraordinario iure, ademta;* Valentinvs *eius frater patruelis, iudicio capitis & bonorum arcessitus;* Franciscvs Magocivs, *ad necessitates amittendi Regéchii, adductus; permultique alii, intentatis actionibus, in forum citati. Quæ omnia, ciendis inuidiæ & impatientiæ tempestatibus, opportuna ac valida, alienandarum voluntatum instrumenta, ab ærario præfectis iniecta atque proposita, Cæsar, absque discrimine, admittebat.* Profecto, eædem hæ iniuriæ, inter caussas seditionis *Botskaianæ*, quæ anno sequente, Hungariam permiscuit, relatæ sunt: credo, quod *Szuhaius*, rationibus *Vnferzagtii* non vndiquaque æquis, præter quam voluissent *Hungari*, sese innexuerit.

ex Istuánffio *recitantur.*

§. VI.

Inualescente tumultu, *Botskaiani*, bellum *Cameris*, non tam indicunt, quam faciunt. Certe, *Cassouia* dedita, vis omnis ærario, & huius præfecto, incubuit. *Præfectus ærario*, Nicolavs Micátivs,

Botskaiani, *quemadmodum Cameras,*

g.) Lib. XXXIII. p. 798. 25.

& harum præfectos habuerint:

TIVS, *Episcopus Váradiensis, captus, & direptis omnibus rebus, sub arctissima custodia detentus: collegæ eius, Georgius Capronicius, & Nicolaus Orleius, (nam Georgius Hoffmannus, in Transiluania aberat) sacramento, ad illius fidem adacti.* quemadmodum meminit ISTVÁNFFYVS *(h.)*. Eadem iniuria adfecti, & qui metallicas *Cameras*, procurabant: alii enim, a stationibus depulsi, *Viennam* excedere cogebantur; pauciores, iureiurando in fidem accepti, ne deessent, qui operis reditibusque fodinarum adtenderent. Pertigit demum, eadem *Botskaii*, & qui cum eo faciebant, acerbitas, ad *Pisonienses* quoque *Cameræ* præfectum, iuxta & administros. Enim vero, non dubitabant inter pacis conditiones, hanc, *numero quintam*, perferre: *Camera* (Pisonienses puta, & Cassouienses) *sentina malorum, aboleatur, & Thesaurarius constituatur.* Satis profecto nefandi conuitii! Ea demum res, multis disputationibus, locum dedit. *Sigismundo* certe *Forgách*, qui cum *Botskaio*, tunc *Carponæ* agente comitium, pacis sanciendæ leges, iussu Cæsaris, examinabat, semel iterumque ferocius responsum fuit *(i.)*: *Aboleri omnino debere Cameras; præfectos*, Szuhai, & Micátium, *tamquam proditores patriæ, exsilio plectendos; arcendos in posterum a Cameris Episcopos:* nec quidquam proficiente *Forgáchio*, qui pro Cæsare spondebat, fore, vt reformaturus sit *commissos defectus*. Atque, concessit omnino, pacificatione Viennensi, CAESAR, postulationibus *Botskaii*, locum, vti Cameræ, *Thesaurarius* sufficeretur; in *Szuhaii* tamen exsilium, haud omnino consensit: *Quod*, inquit, *(k.) Reuerendissimum Dominum Agriensem, indicta caussa, in exsilium mitti postulant; id iuris ratio non dictat; cum nemo inauditus, & non conuictus, condemnari, multo minus plecti debet. Sed, si qui sunt, qui contra eum criminaliter procedere existimant, id, in futura Diæta liceat illis, iuris ordine seruato, citatione præuia, coram Statibus & Ordinibus regni, facere prosequi, si ante Diætam componi non posset; ita tamen, vt & illi, defensiones suæ, quæ iuris naturalis sunt, aliaque adminicula iuris, minime denegentur.* Retulit hanc Cæsaris voluntatem ad Botskaium, *Illyésházyus*; sed quam pessime accepere *Hungarorum* nonnulli, *(l.)* dirissimam, in Agriensem laturi sententiam, nisi mitior multo *Botskaius*, animorum eos motus, in comitio, quod *Cassouiæ*, ad XII. Mai. celebrabat, quomodocunque sedauisset: satis habiturus *(m.)*, si eos Cæsar, regno exesse iusserit. Proinde, confecta, iterato congressu,

eorum postulationes in Cameram, & harum præfectos, acerbæ:

responsum Cæsaris:

Botskaiânorum, *intemperies:*

h.) Loco cit. p. 815, 48. adde, *Eruditos Cassouienses*, in *Cassouia Vetere & Noua.* Parte II. Cap. vltimo, p. 147.

i.) *In Actis Comitiorum Carponensium*, quæ manu exarata possidemus, *Sessione I.* ad d. XXIV. *Nouemb.* Anno MDCV. *Art.* V. Adde ibidem, ad XXXIX. Nouemb. *Declarationem C. Forgách.*

k.) In *Actis Pacificationis Viennensis* A. MDCVI. mense Ianuario institutæ, *Artic.* V.

l.) Prodidere illi, *Censuram Articulorum Viennensium*, extra modum acerbam. qua, & *Illyésházyum*, collegasque suos, liberius insectabantur, & rem omnem rigidius concinnandam, existimabant. Est penes nos in *MScto.*

m.) Acta eius comitii, hanc pœnæ caussam, reddunt: *Hogy egyebek is tanúlyanak példájokból. Vt eorum exemplo, alii quoque discant; ne vnquam regni tranquillitatem, perniciosis studiis, exagitent, & Regis personam, odio regnicolarum exponant.*

pace Viennensi, terminata:

noua inde Cameræ facies:

publica demum lege adfirmata:

gressu, *pace Viennensi*, lex ista, de Cameris, lata est: *vt Thesaurarius, siue perceptor prouentuum regiorum, siue præfectus, aut quouis alio nomine adpelletur, cum aliis sibi adiunctis, in nullam partem gubernationis regni sese immisceat; sed regios duntaxat, & Coronæ prouentus, curet. Quinimmo, vt deinceps natiui Hungari, semper seculares, eligantur, concluſum est; sicut etiam ad contributiones publicas, ad modum antea consuetum, perceptores, seu dicatores, quos volunt habere, eligere possunt.* Ad hanc formam, tunc *Camera* redacta fuit; de præfectis autem prioribus, *Stephano Szuhai* altero, altero *Nicolao Micácio*, statutum est: *Quod ambos Reuerendissimos Episcopos, Agriensem, nempe, & Varadiensem concernit, isti interim a regno abstinebunt, donec eorum caussa decisa, vel alias composita fuerit.* Neque satis habuere Hungari, inter pacis conditiones, *Cameræ* hanc conuersionem retulisse; publica eam sanctione, repetitam voluerunt: *Generalis Regni Thesaurarius, qui secularis sit, a Sua Regia Serenitate, iuxta conclusiones Viennenses, ex consilio Hungarico, sub præsenti adhuc Diæta, eligatur, atque, vt externæ nationes deinceps, in nullos omnino regni, partiumque ei subiectarum prouentus, sese ingerant, neque a Cameris, Aulica vel Austriaca, vllam plane dependentiam habeat, decretum (n.) est.* Simul hæc sancita fuere, operam dedit MATTHIAS, vti voluntati *Statuum* & *Ordinum*, satisfieret. Legebatur ad id munus, *Comes Georgius Thurzo*; sed qui, abdicata nuper, militari, cis-Danubianæ regionis, præfectura, induci haud potuit, vti acceptorum datorumque magistrum ageret. Itaque, *Thomas Vizkeleti, Lib. Baro*, eo munere ornatus est, lege, de eius auctoritate, anno MDCIX. *(o.)* perlata: *auctoritas Thesaurarii regni, eique adiungendorum consiliariorum, secundum conclusiones Viennenses, & anni præteriti, constituatur; qui habeant bonam correspondentiam cum Domino Palatino, & Camera Aulica; non tamen dependentiam.* Iisdem comitiis *(p.) Nicolaus Micátius*, exsilii pœna exemtus est.

Thesaurarius *instituitur.*

§. VII.

Cameræ ea reformatio, haud fuit diuturna:

AT enim vero, *Cameræ* isthæc reformatio, diuturna esse nequiuit, siue id temporum habitus, siue hominum ingenia sic tulerunt. Certe, *Articulos*, de auctoritate *Thesaurarii* instauranda, recognosci oportuit denuo. Neque deerant querelæ horum, qui, sine *processu iuris*, in bonorum possessione, a *Camera* perturbarentur. Vtrumque, anni MDCXVIII. Decretum *(q.)* loquitur. Erat tunc *Ladislaus Pethe de Hetes*, *Lib. B.*, præses Cameræ. quem fere biennio post, *Casparus Horváth de Vegla L. B.* excepit. Quin & *Camerarum*, Aulicæ, cum Hungarica, consensio, aut labis quidpiam passa fuerat, aut degenerauerat in obsequium. Hinc illa, Anni MDCXXII.

reducuntur præfecti:

lex,

n.) Anni MDCVIII. *Artic.* V. ante *Coronationem.*

o.) Artic. XXI.

p.) Artic. LXXI.

q.) Articulo XV.

auctoritas Cameræ iterum adserta:

lex, *(r.)* qua, *Cameræ Hungaricæ* intemeratam auctoritatem, adsertum ibant Ordines. *De Cameræ Hungaricæ, cum Aulica, correspondentia, & non ab eadem dependentia, Articulus anni MDCVIII. ante coronationem, ad V. & MDCIX. Articulus XXI. renouantur, qui quidem articuli, vt iuxta genuinum eorundem sensum intelligantur, ad praxinque reuocentur, & realiter obseruentur, statutum est.* Multum postea *Cameræ Hungaricæ*, conciliatum prærogatiuæ fuit, quando *Triceſimæ* omnes, quæ *Pisonio*, vsque ad *mare Adriaticum*, constitutæ sunt, & harum reditus, eidem accensæ sunt: præfecturæ autem, natiuis *Hungaris*, sed bene de rege, & patria meritis, adtributæ fuerunt. id quod, ex anni MDCXXV. sanctionibus *(s.)* condiscas. Verum, hæsit institutum; credo, eorum cunctatione, ad quos eius rei adtinuit procuratio: dum anno MDCXXX. lex ea instauraretur *(t.)* denuo. *Iudæos* certe, lege eadem, a præfecturis Triceſimarum & teloniorum, arcere visum est *Ordinibus*; ob gentis lucripetæ, in exigendis vectigalibus, malignitatem. Nempe, *Camera Aulica*, triceſimarum prouentus, in rationes suas referre solebat. Ergo, multum elaborandum *fuit*, vt inde reciperati, *Hungaricæ* huic, redderentur. Huc pertinet, publici comitii decretum *(u.)* illud, quod anno MDCXXXV. edidere Status: *Quia triceſimæ, antea, ad Cameram Aulicam perceptæ, ad Cameram Posonienſem sunt applicatæ, concluſum est; vt talis applicatio, realiter, & cum plena directione, eiusmodi Cameræ Posonienſis, perseueret.* Hactenus Comes *Paullus Pálffy ab Erdöd*, inde a vicennio, *Cameræ* moderabatur. At, *Triceſimator Ouárienſis*, id sibi porro sumebat, vt, quæ redibant vectigalia, Austriacorum rationibus, idque ad eius regionis monetæ valorem, vltro, immo dedita opera, permitteret. Itaque, summa cura in id incubuere *Status*, vt, & sanctionibus annorum superiorum, suus vigor, & *Cameræ*, quæ ei debebatur, auctoritas, redintegraretur. *Cum nonnulli Triceſimatores (v.) & præsertim Ouárienſis, ab eadem Camera Hungarica, Sua quoque Maiestate ita adnuente, immediate dependeant, rationesque suas, ibidem rectificare, & prouentus eo administrare debeant ac teneantur &c.* Immo, nouas quoque, per Turcica collimitia, *Triceſimas* condendi facultas, *Cameræ Hungaricæ*, sub idem tempus, adtributa *(x.)* legitur. Vix hæc, Præside *Casparo Lippai*, L. B. adserta *Cameræ* fuerunt, cum noua opus fuit prouidentia, ne *Hungarica* Posonienſis, rationibus *Aulicæ* innecteretur denuo. Exstat in eam rem, lex *(y.)* anni MDCLV. Nempe, nolebant *Ordines*, conuelli Cameræ auctoritatem; sed nec increscere, nimia *Consiliariorum* multitudine. quod vtrumque, sollicite cauendum fuit, ne derogaretur quidquam prouentibus regiis.

ingens ex adtributis Triceſimis accessio:

quomodo perturbata:

iterumque redintegrata fuerit:

nouæ difficultates.

§. VIII.

r.) Articulo XVIII.
s.) Artic. XXXIII.
t.) Artic. XV.
u.) Artic. XXX.
v.) Anno MDCXLVII. *Artic.* LXXXVIII.
x.) Eodem anno, *Articulo* sequente.
y.) Articulo XI.

§. VIII.

Qui se mutuo præfecti excepe-rint:

recidit ea dignitas in Episcopum, Leopoldum a Collonitsch:

id quod abrogatum eunt Ordines.

SVccesserat in ærarii præfectura *Lippaio*, *Michael Majténi*, atque huic *Stephanus Zichy*, viri, non e procerum modo ordine, sed rebus etiam administrandis apprime idonei. Hoc demum magistratu decedente, *Comiti Leopoldo a Collonitsch*, Episcopo Nitrienſi, dignitas ea fuit adtributa. Grauius id tulere *Ordines*. Quocirca, cum ad comitia anni MDCLXXXI. conuenerunt, curandum putabant omni studio, ne præter, quam id ferrent leges, in *Episcopos* iterum recideret *Cameræ* administratio. Exstat luculenta eius anni sanctio, *(z.)* in hæc verba: *Cum his reuolutionibus, contra expressas regni leges, signanter vero Articulum V. anni MDCXVIII. ad V. anni MDCVIII. nec non pacificationis Viennenſis Articulum V. officium thesaurariatus Regni, non seculari, sed Eccleſiasticæ personæ, collatum fuisset. Ideo, renouatis iisdem legibus, cum benigna Suæ Maiestatis annuentia, statuitur; vt pro eo officio, stante præsente Diæta, indigena secularis persona, ac de patria bene merita, denominetur, quæ loco moderni præsidis, primo quoque tempore constituatur, atque vt idem officium a modo in posterum, semper personæ seculari conferatur.* Tunc, & eæ leges renouabantur *(a.)* iterum, quæ de *Cameræ Hungaricæ, cum Aulica, correspondentia, & non dependentia*, latæ hucusque fuerunt; tollebantur abusus omnes, contra memoratas leges, & iura regni, quoquomodo commissi; quin & *exteri*, ab administrandis *Cameræ Hungaricæ* muneribus, atque in his, præsidis *Pisonienſis* vicarius, & *administrator Cassouienſis*, aliique inutiles, ac superuacui, tametsi natiui essent *Hungari*, arcebantur; reuocabantur ad iustum numerum, consiliarii, *reliqua.* Itaque, decedendum ea statione fuit, *Collonitschio*, suffectusque, anno MDCLXXXII. fuit, *Comes Christophorus Antonius Erdödy*; cui postea *Alexandrum Erdödy* succeſſiſſe, adhuc meminit ætas nostra.

§. IX.

Qui sub Carolo VI. *Cameræ sit habitus:*

verbis decreti docetur.

AD hunc modum se habuit, *Camera Hungarica*, ad nostram vsque ætatem. Neque alia hodieque eius facies est: quin immo, non vna locupletatam accessione vidimus, primo CAROLI VI. Regis, omnium indulgentiſſimi, decreto *(b.)*. Exhibeamus sanctionem ipsam: *Ad demiſſam Statuum & Ordinum supplicationem & instantiam, sua Cæsarea Maiestas, omnem Cameræ Hungaricæ, a Camera Aulica Viennenſi dependentiam tolli, solam autem correspondentiam, in repræsentatione actorum & concluſorum, qua illius absentis, & alterius continuo ad latus Regis existentis, ad impetrandas, erga Cameræ etiam Hungaricæ opinionem, Suæ Maiestati Sacratiſſimæ, medio Cæsareo Regiæ Cameræ Aulicæ, repræsentandam, clementiſſimas reſolutiones, mane-*

z.) Articulo XIV.
a.) Articulo XIII.
b.) Articulo XVIII. An. MDCCXV.

manere debere, clementer resoluit. Cuiusmodi quidem Cameræ Hungaricæ, prout & Cancellariæ Aulico-Hungaricæ, instructionem, adhibitis suis Hungaricis Consiliariis, sibi referri curaturam, & si quid ei addendum, vel modificandum foret, ex auctoritate Sua Regia, prout æquitas & vtilitas publica suaserit, ordinaturam: neue legibus regni, aut ærario regio contraria sit; verum potius, rerum Hungaricarum Cameralium expeditio, eidem Cameræ Hungaricæ, salua maneat, eo accomodaturam, benigne adpromisit. Ceterum, vt eadem Camera Hungarica, eo vtilius seruitium regium promouere possit, Administrationem Scepusiensem, a modo in posterum, a Camera Hungarica dependere, ac insuper, Budensem, Eszekiensem, Aradiensem, Szegediensem, & alias omnes, sub Corona Hungariæ existentes administrationes, præfecturas, & prouisoratus, ad eandem, proximo, post finitam Diætam, tempore, adplicare; non secus, contrascribatus, dum ex vtilitate regia non fuerint, superfluosque Cameraticos tollere, clementer statuit. Palam hæc loquuntur, quo iam sit habitu, *Camera Hungarica:* nempe, quo post hominum memoriam, vix vnquam fuisse credi potest. Sed, *Instructio Cameræ*, cuius meminit articulus, siue, quod bellum intercessit *Turcicum*, siue, quod caussæ aliæ, remoram posuerunt, hærescens, noua lege, *(c.)* in Comitiis anni MDCCXXIII. adurgebatur: *Regiæ Cameræ instructionem, ad normam articuli XXXVIII. anni MDLXIX. & XVIII. anni MDCCXV. Sua Maiestas Sacratissima ordinabit; quæ vlterius etiam, cum Camera Aulica habebit correspondentiam. Bonorum & prouentuum regiorum exarendationes, quemadmodum ab arbitrio Regiæ Maiestatis dependent; ita nationalium, hoc in passu, specialis ratio habebitur. Ad præcauendos nihilominus quosuis Arendatorum excessus, legibus & constitutionibus regni, subesse dedebunt.* His ergo legibus constituta, *Camera Hungarica*, floret hodieque, magno vrbis nostræ, & ornamento, & præsidio. Vnicum ei derogatum ornamentum doleas; puta: *Rem monetariam*, seu auri argentique signandi exercitium; quod nostra hac ætate abrogatum, meminimus. Aiunt vero, spem ostendi, fore, vt insignis ea prærogatiua, reddatur *Cameræ* postliminio.

§. X.

A quibus administretur hodieque Camera:

Præsidibus, præcipua est auctoritas:

SVpereſt, vt de horum dignitate, dicamus aliquid, penes quos, *Cameræ* esse consueuit, administratio. Princeps in his est, *Aerarii Præfectus*, quem olim *Thesaurarium*, vocabant, BONFINIVS latine, *quæstorem* dixit; hodie *Præsidem*, adpellamus. Insigne dignitatis nomen: quippe quæ, priscis temporibus, quarto, inter optimates, loco, habebatur. Proinde, grauissimos quosque viros, ad tanti muneris procurationem, magna, in delectu adhibita adcuratione, Reges eligebant. Vnicum, ex MATTHIAE *Coruini* temporibus, adnotauisse exemplum, *(d.)* suffecerit. *Cum*, inquit, *de creando quæstore decer-*

c.) Articulo XVI.

d.) Exstat id, apud BONFINIVM, Decade IV. Lib. V. p. 608.

in iis eligendis priscorum regum accuratio:

decerneretur apud principem, variis aliquantisper sententiis disceptatum est. Quæsturæ, duo competitores erant: vnus VRBANVS, *qui proquæstor fuerat;* DOMINICVS, *præpositus Albensis alter. Patrocinia, magna vterque, pro virili sua, sibi comparabat, vt, quæ* IN REGNO MAXIMA EST, DIGNITATE *fungeretur. Prudentes ambo habiti, & ad gerendum hoc munus, accommodati. Dominicus ambitiosius; cautius & modestius, Vrbanus, sibi honorem postulabat: plura ille suffragia, præposituræ amplitudine habuit; pauciora iste, qui mitiori videbatur ingenio, & sacro munere longe inferiore: notam item ambitus apud principem formidabat. Placuit tandem Regi, plus ambitione, modestia* VRBANI. Tanta tunc diligentia, præfecti ærario, legebantur. Fidem propemodum excedit, quod dignitatem hanc, *maximam in regno*, dicat historicus: cum constet apud omnes, extra *Baronum Regni*, numerum, hoc, quidquid est, muneris, semper fuisse censum. Nempe, non id vult BONFINIVS, vt antecessisse dignitate, seu *Palatinum*, seu *Iudicem Curiæ regiæ*, dicat quæstorem; sed, quod ardua & maxime difficilis, atque ideo anteponenda reliquis fuerit, muneris huius procuratio. Ita *(e.)* MATTHIAS ipse, de *Iohanne Ernst*, thesauri sui præfecto: *Maxima*, inquit, *in illo homine virtus est, qui cum sincera fidelitate, se clarum reddere summa ope nititur. Quam virtutem, egregius vir,* IOHANNES ERNST, *Thesaurarius, & fidelis noster dilectus, sectatur, & supra suas quodammodo vires dirigit, cum summa fidelitate, negotia nostra, fidei suæ commissa. Ad hæc, siquidem noctibus diebusque curam gerit, peruigilque est, & ita prudenter res nostras dispensat, vt status noster, siue videlicet exercitum ducamus, siue aliud, pro vtilitate regni nostri, exerceamus, cum honore perduret, nec deficiat necessariis sumtibus. In qua quidem re, ipsum,* CVRARVM ET LABORVM NOSTRORVM QVIETEM, *merito nominare possumus, & vocare. Cuius viri sollicitudinem, fundamentum omnium egregiorum facinorum iudicamus, sine quo nec ipsa, nec alia negotia, commode geri siue tractari possunt.* En! caussam, ipsius confessione regis, expressam, cur munus quæstorium *maximam dignitatem*, adpellarit historicus. Nescio, an quidquam dici queat honorificentius, quam *curarum regis & laborum, requiem*, adpellari. Neque minor, apud sequutos reges, muneris huius existimatio fuit: quod iam excutere cessamus. *Præfectorum* certe *Cameræ Pisonienſis*, inde a primis exordiis, vsque ad nostra hæc tempora, ea fuit dignitas, quam quæ potest esse maxima. Derogatum ei tunc nonnihil visum est, dum *Stephanus*, quem meminimus *Szuhai*, cum proquæstore, *Nicolao Micátio*, exsilio sunt mulctati; sed, quod res illa ciuilis belli iniuriis, ac forte præfectorum etiam culpa, procurata fuit; nihil quidquam inde noxæ, muneri ex se illustri, potuit hærescere. Istud, plus valiturum erat ad præfectorum contumeliam, quod anni MDCLXXXI. comitiis, lex *(f.)* fuit rogata, *ne Præses Cameræ Thuroczienſis*, confert. cuius ἀπόγραφον possidemus.

fuit in maximis regni dignitatibus:

quam ob caussam? verbis diplomatis Matthiæ Coruini *docetur:*

est iam quoque insignis prærogatiua munus:

Szuhai, & Micátii *casus, nil quidquam ei derogauit:*

e.) In *Diplomate*, quo ei arcem *Szklabinya*, & cum hac, honorem *Comitis Supre-*

f.) Articulo XXXV.

sed nec lex anni 1681.

quippe abrogata postliminio, cum edita sanctione:

Cameræ Hungaricæ, simul Sacræ Coronæ conseruator esse possit; nisi abrogassent postea sanctionem eam *Ordines.* Sic enim in decretis *(g.)* anni MDCCXV. legas: *Quia officium Præsidis Cameræ Hungaricæ, nullam cum officio, conseruatoratus Sacræ Regni Coronæ habere videtur incompatibilitatem; & aliunde Articulus XXXV. Anni MDCLXXXI. eatenus in realem vsum haud venisset; hinc, quatenus Præsides quoque Cameræ Hungaricæ, attamen Hungari, ad præfatum conseruatoriatus officium, non obstante tenore prænotati articuli trigesimi quinti, præuia per Maiestatem Regiam legali candidatione, eligi possint; conclusum est.* Datus legi suus vigor, cum anno MDCCXXXI. *Comes* Georgivs Erdődy *de Monyorókerék,* pluribus retro annis, *Cameræ Præses*, in custodem *Sacræ Coronæ*, sublectus est, fungiturque gemino hoc munere; magna, & Regis Optimi, & Ordinum omnium adprobatione. *Feliciter!* Reliquum collegium fere duodecim viri absoluunt, gentis vtriusque, *Hungaricæ*, & *Germanicæ;* sed rebus gerendis idonei. *Consiliarios Cameræ* vocant. Est quandoque, & proquæstor, qui vicarias præsidis partes obeat. Hos, duo commentarienses, siue *secretorum* arbitri, *Hungarus* alter, alter *Germanus*; quique, accepti & expensi *rationes* designent; referant in tabularium actus; perscribant & expediant consulta decretaque, excipiunt. Perpetua istis apud *Cameram* occupatio est. At Fiscus Regius, *Caussarum Regalium Directorem*, leges patriæ nuncupant, foris, iuribus Regis inuigilat. Duo ei, quandoque plures sunt aduocati, qui, quod est Regis, iure, coram iudicibus, disputent adserantque. Nos columini huic, *Principis, & Reipublicæ*, pacem, opulentiam, perpetuitatem, vouemus ex animo.

tum exemplo, ad posteritatem valituro: hodierni Cameræ Præfecti *laus:*

Cameræ munera reliqua:

caussarum regalium Director, *& huius aduocati.*

§. XI.

Catalogus Præfectorum *Cameræ Hungaricæ.*

IVuat nunc, coronidis loco Praefectorvm Camerae, quorum sparsim mentionem habuimus, catalogum adtexuisse. Quod eo facimus alacriores, quo benignius, singulorum, & nomina, & administrati huius muneris, tempus rationesque, Inclutum Cameræ Hungaricæ, Consilivm, nobiscum communicauit. Ita vero ordo eorum habet:

I. Stephanvs Pemflinger, L. Baro in Zitschan & Kochelberg, fit, ita volente, Ferdinando I. primus Cameræ Hungaricæ Poson. Præfectus.
Anno 1531.
Administrabat Præfecturam, Annis *sex.*
Moritur Anno 1536.

Al-

g.) Articulo xxxviii.

II. Albertvs de Beregh, Præpositus Quinqueecclesiensis. Fit Præfectus Inclutæ Regiæ Cameræ Hungaricæ, indulgentia Ferdinandi I.
Anno 1537.
Præfuit Aerario Annis *duodecim.*
Desinit in viuis esse; A. 1548.

III. Comes Franciscvs Thvrzo de Bethlehem - falva, Episcopus Nitriensis. Creatur Præfectus Inclutæ Regiæ Cameræ Hungaricæ, per Ferdinandvm I.
Anno 1549. Cal. Ianuarii.
Præfuit rebus, Annis *octo.*
Fato suo fungitur A. 1556.

IV. Iohannes *Deseöffy, de Czernek*, ornatur ea dignitate a Ferdinando I.
Anno 1557. Cal. Ian.
Moderabatur Aerario, Annis *vndecim.* Mensibus *sex;* diebus XXII.
Immoritur muneri, die XXII. *Iulii*, An. 1568.
Sepultus apud Conuentum R. R. P. P. *Franciscanorum Posonienssium.*

V. Iohannes ab Vylak, Episcopus Váczienſis. *Adit* præfecturam, iubente Ferdinando I.
Anno 1561. xvi. Cal. Septemb.
Administrabat id muneris, Annis *septem;* Mensibus *nouem;* Diebus XV.
Abdicat se magistratu, A. 1569. Calend. Maii.

VI. Stephanvs Radetivs, Episcopus Varadiensis, Maximiliani II. beneficio, eodem munere donatur.
Anno 1569. Cal. Maii.
Præfuit Aerario, Annis *sedecim;* mensibus *nouem;* diebus *quatuor.*
Concedit naturæ, Pridie Nonar. *Februarii*, A. 1586.

VII. Stephanvs Fejérkövy, Episcopus Nitrien-

trienſis. Indipiſcitur id muneris iubente RVDOLPHO II.

Anno 1587.

Moderabatur rebus Aerarii, Annis *nouem*; menſibus *tribus*, diebus *nouem*. Idibus Ianuariis.

Deſinit viuere A. 1596. XIII. Cal. *Decembris*.

VIII. STEPHANVS SZVHAY, Epiſcopus Váczienſis. Fit Præfectus Cameræ, RVDOLPHI II. mandato.

Anno 1598.

Præfuit ærario, Annis *decem*, menſe *vno*, diebus *duobus*. III. Cal. Octob.

Emoritur Prid. Calend. *Nouemb.* An. 1607.

IX. THOMAS WIZKELETHY, Lib. Baro, fit Adminiſtrator, ſeu Theſaurarius *ſub* MATTHIA II.

Anno 1609.

Adminiſtrabat rem, annis *duobus*, menſibus *tribus*, diebus *viginti ſeptem*. III. Idus Maii.

Soluit naturæ debitum, ſeptuagenario maior, A. 1611. V. Calend. Octobres.

X. LADISLAVS PETHE de *Hethes*, Conſiliarius Regius, & Supremus Comes Comitatus Barſienſis. Fit Cameræ Præfectus, MATTHIA II. rerum potiente.

Anno 1612.

Geſſit eum magiſtratum, Annis *ſex*, menſibus *octo*, diebus *nouemdecim*. XVI. Cal. Maii.

Exceſſit e viuis, A. 1618.

XI. CASPARVS HORVÁTH, de WEGLA, Liber Baro, Eques Auratus, & Conſiliarius Regius. Fit, Præfectus Aerarii, poſt longiorem eius magiſtratus vacationem.

Anno 1619.

Præfuit rebus ærarii, Annis *ſeptem*, diebus *totidem*. VI. Idus Iulii.

Decedit vita in Thermis Stubnenſibus, XVII. Cal. *Aug.* A. 1624.

PAVL-

XII. PAVLLVS PÁLFFY ab *Erdöd*, Comes, Camerarius & Regni Hungariæ *Patriota* (ſic eum diploma Regium vocat) a FERDINANDO II. in ærarii præfectum creatur.

Anno 1625.

Capeſſit magiſtratum eodem anno, pridie Idus *Auguſti*. V. Nonar. Iulii.

Sponte eo decedit A. 1646. Prid. Non. Maii. Demum III. Calend. Iunii *Iudex Curiæ Regiæ* factus.

Moderabatur Aerario, Annis *viginti*, menſibus *decem*, diebus *quatuor*.

Deſiit viuere, vt PALATINVS Regni Hungariæ, A. 1655.

XIII. CASPARVS LIPPAY de *Zombor*, Lib. Baro, Conſiliarius, & Regni Hungariæ *Patriota*. Surrogatur Comiti *Paullo Pálffy*.

Anno 1646.

Adit ſolemni ritu, id muneris, XVIII. Cal. *Iunii*. Prid. Nonas Maii.

Adminiſtrabat Præfecturam, Annis *octo*; menſibus *ſeptem*, diebus *octodecim*.

Eximitur rebus humanis, A. 1654. menſe *Decembri*.

XIV. MICHAEL MAITHÉNY, Liber Baro de *Keſelökeö*, Adſeſſor Tabulæ Iudiciariæ, & Conſiliarius. Datur priori ſucceſſor.

Anno 1655.

Inauguratur ex more VII. Cal. *Febr*. XVII. Cal. Ianuarii.

Præfuit rebus, *tribus* admodum menſibus, diebus itidem *tribus*.

Ceſſit fatis, X. Cal. *Maii*. A. 1655.

XV. STEPHANVS ZICHY, Dapifer, Præſidii Iaurinenſis *Vice-Generalis Capitaneus*, & Regni *Patriota*, eodem illo anno, quo, e viuis exceſſit *Majthény*, eo munere ornatus.

Anno 1655.

Iniit magiſtratum, V. Nonas *Iulii*. XII. Cal. Iulii.

Adminiſtrabat id muneris, luſtris fere *tribus*.
Morte ſua fungitur, A. 1671. Menſe *Decembri*.

XVI. LEOPOLDVS a KOLLONICZ, S. R. I. Comes, & Epiſcopus Neoſtadienſis; accepto, a LEOPOLDO M. diplomate, capeſſiuit magiſtratum.

Anno 1672. IV. Idus Martii.

Inaugurante eum *C. Ferdinando* ab *Hohenfeld*. S. C. M. Generali Commiſſario, &c.
Præfuit Aerario, Annis *vndecim*; *totidem* menſibus, diebus *nouemdecim*. Decedit magiſtratu, A. 1684. IV. Cal. *Septembres*.
Migrat e viuis, *Viennæ* A. 1707. XII. Cal. *Februarii*.

XVII. CHRISTOPHORVS ANTONIVS ERDÖDY, de *Monyorókerék*, Comes, Camerarius, Conſiliarius, & Cameræ Hungaricæ Vice-Præſes.

Anno 1684. Prid. Nonas Maii.

Inauguratur ei muneri, V. Calend. *Sept.* per *C. Iohannem Volckhardum* a *Concin*.
Præfuit Aerario, Annis *nouemdecim*, menſibus *decem*, diebus *ſeptem*.
Obiit diem, morte ſubita, A. 1704. cum ipſo die *Paraſceues*, e *Caluariæ* monte, quorſum religionis cauſſa profectus fuerat, rediiſſet.

XVIII. ALEXANDER ERDÖDY de *Monyorókerék*, Comes, & Conſiliarius S. C. R. Mai. Fit Præfectus Aerarii, IOSEPHO I. indulgente.

Anno 1709. IX. Cal. Ianuar.

Capeſſit munus, anno ſequente, IV. Nonas *Ianuarii*; inaugurantibus eum, Comite Ottone Chriſtophoro Volckra, *Vice-Præſide*, & *Iacobo Mesko*, Cameræ Aul. a Conſiliis.
Decedit munere, poſt adminiſtratum fere vicennio Aerarium.

XIX. GEORGIVS Comes ERDÖDY de *Monyorókerék*, Camerarius, Conſiliarius Intimus, ac Comitatus Barſienſis Supremus Comes. Fit ex propræfecto, Inclutæ Regiæ Cameræ Hungaricæ, indulgentia CAROLI VI. Præfectus Aerarii.

Anno 1720. XVII. Cal. Iunii.

Inauguratur ritu ſolemni, *Pridie Nonas Iunii*; Iohanne Ignatio a Viechter, id miniſterii obeunte. *Feliciter!*

Atque hi erant, qui duobus retro, & quod excurrit, ſeculis, Aerario Regio Hungarico, quod *Piſonii* eſt, cum laude moderabantur. Digna *profecto* nomina, quæ recognoſcat non ingrata poſteritas.

§. XII.

VIdimus PRAEFECTOS CAMERAE. Iam & hos, qui ei a CONSILIIS, inde ab Anno MDXXXI. fuerunt, par eſt recenſuiſſe: ne ignorent futuri homines, quorum induſtria ſeruatum ſit Regis Aerarium; poſteri autem, auctoramenta hinc *capiant*, ad æmulandam *maiorum ſuorum virtutem*. *Fuere* vero:

Index Conſiliariorum, *a primis* Cameræ Piſonienſis *exordiis*.

Anno
1531. *Franciſcus Sibrik.*
Franciſcus Serény.
Wolffgangus Puttler, Pemflingero, Præſidi, collegæ dati.
1532. *Blaſius de Varadino-Petri*, acceſſit ad *Conſiliariatum* Cameram Hungaricam, Sub titulo, *Magiſtri Cameræ*, *Perceptorem* agens.
1536. *Stephanus de Rayck.*
Franciſcus Polyány.
Thomas Franciſci.
1537. *Georgius Raicherſtorffer.*
1538. *Franciſcus de Kis-Serény*, Conſiliarius ſimul & *Rationum Magiſter*.
1539. *Georgius Vernherus.* (g.)
1549. *Gregorius Sibrik.*
Sebaſtianus Sirmienſis, Conſiliarius, ſimul & a Secretis Cameræ.
Iohannes Deſeöffy.
1553. *Thomas de Thapolscán.*
1557. *Georgius Hoſzúthóty.*

Anno

g) Fuit vir, ſingulari præditus doctrina: id quod libello: *De Admirandâ Hungariæ Aquis*, teſtatum fecit. qui paſſim obuius eſt.

Anno

1558. *Iohannes Zermegh*, Conſiliarius & *Rationum Magiſter.*
1559. *Thomas Brandorffer*, Conſiliarius & Supremus *Triceſimator* Poſonienſis.
1560. *Sigismundus Thorda*, de *Gyalu.*
1562. *Paullus Chriſtophorus Armbruſter*, *de S. Georgio*, Conſiliarius & *Perceptor.*
1565. *Iohannes a Sintzendorff*, in *Goggitſch*, & *Feyeregg.* Abit Viennam 1568.
Iohannes L. Baro a Karlingh, *in Nondorff.*
1568. *Sigefridus Ribiſch.*
1572. *Petrus Vsály.*
Iohannes de Anckeraith, Eques Auratus de Anckeraith.
Franciſcus Kamper.
1577. *Stephanus Illyésházy*, poſtea R. H. Palatinus.
Georgius a Noſticz.
1579. *Clemens Bezenzy.*
Valentinus Ernleittner.
1586. *Valentinus Baranyay.*
Ladislaus Kubiny.
1589. *Matthias Ebeczky.*
1594. *Nicolaus Sándorffy.*
1595. *Carolus Nutzl a Sonderspichel.*
1596. *Franciſcus Loránth*, *de Inke*, Conſiliarius, ſimul & Secretarius.
1597. *Paullus Armbruſter*, Conſiliarius & Rationum Magiſter.
1601. *Henricus Porſio.*
Iohannes Wolckhardus Witmayer.
1602. *Nicolaus Perekedy.*
1603. *Carolus Imhoff.* I. V. D.
1604. *Philippus Iacobus de Dulersberg*, Conſiliarius & Supr. Annonæ Præfectus.
1610. *Franciſcus Nagy-Mihály*, de *Petrócz.*
Leopoldus Beck, Conſiliarius & Perceptor.
1613. *Matthias Andreaſicz*, de *Nováky.*

Anno

Anno

1616. *Iohannes Kerekes*, Conſiliarius, ſimul & Secretarius.
Franciſcus Hermanus.
1618. *Iohannes Kittonicz*, de *Koſztanicza*, antea Director cauſſarum.
1621. *Menoldus Hillebrandes*, de *Harſens.*
Iacobus Szentkereſzty, antea Secretarius.
1622. *Caſpar Partinger*, antea *Perceptor.*
Georgius Hoffmann, Adminiſtrator Scepuſienſis. ſimul & Inclytarum Camerarum, Poſonienſis, & Scepuſienſis, Conſiliarius.
1624. *Emericus Ebeczky*, Conſiliarius & *Perceptor.*
Georgius Szombathely.
1626. *Caſpar Ordódy.*
1627. *Iohannes Dubniczay*, Conſiliarius & Rationum Magiſter.
1628. *Sigismundus Péchy*, Adminiſtrator Scepuſienſis, & Inclytarum Camerarum Poſonienſis, & Scepuſienſis, Conſiliarius.
1630. *Stephanus Nagovicz.*
Georgius Rakoviczky.
Alexander Paczoth, *de Boky*, Adminiſtrator Scepuſienſis, & Inclytarum Camerarum Poſonienſis & Scepuſienſis, Conſiliarius.
1631. *Paullus Hirſch* ab *Hirſchenfeld.* Conſiliarius, & Supremus *Triceſimator* Ovárienſis.
Iohannes Corbelly, Conſiliarius & *Perceptor.*
1633. *Emericus Berscény*, Sacri Sepulchri Saluatoris Eques Auratus. Fit Capit. Præſidii Neográd. 1638. in bello contra Suecos traiectus globo.
1635. *Iacobus Piſpeky.*
Lucas Ecker.
Iohannes Törös.
1636. *Michael Maythény*, de *Keſſelökö.*
1639. *Emericus Modoſſy*, de *Báth*, Adminiſtrator Scepuſienſis, & Inclytarum Camerarum, Poſonienſis, & Scepuſienſis, Conſiliarius.

Anno

1640. *Martinus Szombathely.*
Wolffgangus Mórocz, de *Beketfalva.*
1642. *Andreas Szapáry.*
1649. *Lucas Vattay.*
1652. *Stephanus Aszalay*
1655. *Andreas Kerekes.*
Emericus Ordódy.
1657. *Matthias Szenkviczy.*
1660. *Michael Partinger.*
Marcus Szentbenedeky.
1669. *Georgius Horváth Kissevicz*, Lib. B. de *Lomnicza.*
1670. *Georgius Gillány* de *Lazy.*
1672. *Laurentius Mocz.*
1674. *Casparus, de Kunevald Coequolsqui*, Posoniensis, & Scepusiensis, Camerarum, Consiliarius.
1675. *Franciscus Bornemisza.*
Thomas Iohannes, ab *Eysforth*, Consiliarius, & *Rationum Magister* Germanicus.
Andreas Hartyány, Posoniensis, & Scepusiensis, Camerarum, Consiliarius.
Franciscus Bernhardus Wagele de *Walsegg*, Administrator Scepusiensis, & Inclytarum Camerarum, Consiliarius.
1676. *Thomas Angrány*, Consiliarius, & *Rationum Magister.*
1677. *Franciscus Melchior* L. Baro a *Gans*, in *Birckenhorn.*
1678. *Ludouicus Albertus a Thavonath*, de *Taubon.* Inclytarum Camerarum, Posoniensis & Scepusiensis, Consiliarius.
Paullus Mednyánszky, de *Megyes*, Consiliarius & Secretarius.
Gregorius Maythény, L. B. de *Keselökö.*
Andreas Madaráss, Inclytarum Camerarum, Posoniensis, & Scepusiensis, Consiliarius.

Anno

Gregorius L. B. *Maytény*, de *Kesselökö* Posoniensis, & Scepusiensis Cam. Consiliarius.
1684. *Michael Fischer*, Consiliarius Cameræ Montanæ Nouiszoliensis & *Perceptor.* Fit Administrator Cameræ Scepusiensis, & Inclytarum Camerarum Consiliarius.
1685. *Georgius Henricus Behr*, Consiliarius, & Secretarius.
Iohannes Franck, Consiliarius, & Perceptor.
1686. *Iohannes Michael Niederman*, de *Kuglstain.*
Sigismuudus Hollo, L. B. de *Krompach*, commendante Regina Poloniæ, Cameræ Posoniensis Consiliarius.
1687. *Wilhelmus a Seer*, L. B. Posoniensis, & Scepusiensis Cam. Consiliarius.
Wilhelmus a Schrötter, L. B. Posoniensis, & Scepusiensis Cam. Consiliarius.
1688. *Iohannes Iacobus a Löuenburg*, L. B. An. 1694. factus Comes.
Iohannes Christianus Comes a *Stubik*, Posoniensis, & Scepusiensis Cam. Consiliarius.
1689. *Philippus Renatus* L. B. a *Sbarra*, Posoniensis, & Scepusiensis Cam. Consiliarius.
1691. *Iohannes Georgius Szunnyogh*, L. B. de *Budetin.*
Iohannes Ignatius, L. B. de *Kurcz.*
1692. *Iohannes Franciscus* de *Olbern.*
Paullus Martinus de *Theilliers.*
1693. *Ladislaus* L. B. *Szentiványi*, Posoniensis & Scepusiensis Cam. Consiliarius.
Stephanus Tenturicz L. B. de *Gradistya.*
Ladislaus Várady, Consiliarius & Perceptor.
1694. *Gabriel Palugyay.*
1695. *Petrus Christophorus Dauber.*
Iohannes Bornemissa, Lib. Baro.
Dominicus Valentini.
Iosephus Dominicus, L. B. a *Talhaim.*

Anno

Franciſcus a *Fraienfels*, L. B. Poſonienſis, & Scepuſienſis Cam. Conſiliarius.
1696. *Stephanus Rutkay*, de *Felsö-Rutka*, antehac, Vice Comes Comitatus Trenſchinienſis.
Georgius Zbisko, Conſiliarius & *Rationum Magiſter.*
Philippus Iacobus, ab *Hirſchberg*, L. B.
1697. *Iohannes Ignatius Viechter*, de *Grueb.*
Bernardinus Venier, L. B. de *Lugos.*
Ioſephus Andreas Salvay.
Iohannes Richardus, de *Meſſin.*
Petrus Antonius Ratkay.
Iohannes Adolphus ab Engelshaim, Adminiſtrator Dominii Ovár & Conſiliarius Cam.
Leopoldus Ignatius Briean de Zalhauten.
1698. *Iohannes Paullus Brankovicz*, de *Iaycze* Comes. Poſonienſis & Scepuſienſis Cam. Conſiliarius.
Paullus Mednyanſzky de *Megyes* L. B.
Iohannes Franciſcus Pétterffy, Conſiliarius & Secretarius.
Iohannes Iacobus Rau.
Adamus Xaverius Schad.
1700. *Iohannes Georgius Reither*, de *Reitershaimb.*
1701. *Franciſcus Nakeveil*, Comes.
1702. *Petrus Antonius Hillebrand*, de *Brandau.*
Franciſcus Lindvay.
1703. *Georgius Stipticz.*
Georgius Bránck, de *Adlersberg*, Conſiliarius & *Regiſtrator.*
Philippus Iacobus de *Dullersberg*, ſupremus annonæ Præfectus, fit Conſiliarius Cameræ.
1717. *Iohannes Maythény*, Director & Conſiliarius.
1718. *Carolus de Montelli*, Primarius *Repræſentans Bancalis*, & Conſiliarius.
Franciſcus Mednyánſzky, L. B. de Megyes.
1720. *Thomas Maholány*, L. B. de *Pohrontz-Szeleptsény.*

Anno

Ferdinandus de Laffert, L. Baro.
Adamus Mecséry, Conſiliarius, & Director Cancellariæ.
Stephanus Ieſzenſzky, de *Nagy-Ieſzen.*
Sigismundus Iacobus Hangóſſy.
Ioſephus Hunyady.
Georgius Chriſtophorus Zennegg, de, & in *Scharffenſtain*, Conſiliarius & Diſtrictus Budenſis, Cameralis Inſpector.
1724. *Ioſephus* L. B. *Pétterffy* de *Somoskö.*
Gerhardus a *Vildenfels*, L. B.
1725. *Franciſcus Pongrácz*, de *Sz. Miklós*, & *Ovár.*
Ladislaus Okoliscány, de Eadem.
1726. *Iohannes Michael Tavonath*, de *Tauhon.*
Franciſcus Xauerius S. R. I. Eques, & Nobilis de *Veidingern.*
Franciſcus a Schmidling, L. B.
1727. *Antonius Graſſalkovicz*, L. B. de *Gajrak*, antehac Director, poſtea *Perſonalis Præſentiæ in Iudiciis Locumtenens.*
Ioſephus Maholány, L. B. de *Pohrontz-Szeleptsény.*
Ioſephus Mednyanſzky, L. B. de *Megyes.*
Michael Sigray, L. B. de *Fölsö-Surány*, antea, Officii Palatinalis Vice-Gerens..
Paullus Jáſzy de *Kutnar.*
1728. *Wolffgangus Conradus de Neffzern.*
Iohannes Franciſcus Sauska, de *Samberg*, Conſiliarius & *Rationum Magiſter*; poſtea *Excelſi Conſilii Locumtenentialis* Conſiliarius.
1729. *Iacobus de Neffzern*, L. B.
Michael Fiſcher, L. B. de *Nagy-Szalatnya*, Adminiſtrator Scepuſienſis, & Poſonienſis ac Scepuſienſis Cam. Conſiliarius.
1732. *Carolus de Keller*, Lib. Baro.
Iohannes Reviczky, de *Revisnyé*, Cauſſarum Director, & Conſiliarius.

Anno 1733. *Carolus Ludouicus Conckel*, Consiliarius, simul & Secretarius.
Iohannes Szendrey, de *Carlschilden*, Bonorum *Apaffiano-Fiscalium* in Transiluania, Administrator. Fit Consiliarius Cameræ Hungaricæ.

Hæc, de Incluta Camera Hvngarica, dicere habuimus. Nunc, quæ sunt Prærogatiuarum *Vrbis Pisonienſis*, reliquæ, haud parciore diligentia, recognoscamus.

PRAEROGATIVARVM VRBIS PISONIENSIS,

ARTICVLVS VI.

De *Sede Archiepiscopi Strigonienſis, Pisonii* collocata.

PROOEMIVM.



Rærogatiuæ Vrbis, quas vidimus hucusque, ab *Reipublicæ* habitu profectæ sunt. quæ nunc memorandæ erunt, a *Religione* eæ, & qui huic curandæ præsunt, Viris sacris, petentur. Non ausim adfirmare, suam *Pisonio*, ante *Hungarorum* aduentum, *Cathedram*, suos fuisse *Pontifices*; tametsi non desint, qui id eant adfirmatum. Certior Vrbis celebritas est, quam ei, seculo XVI. collocata isthic *Archiepiscoporum Strigonienſium*, iam & *Sacri Romani Imperii Principum*, *Sedes*, conciliauit. Ergo, quid hoc rei sit, quamque ad Vrbis decus adtineat, pro instituti ratione, breuiter iam exponemus.

SY-

SYNOPSIS.

Archiepiscoporvm *sedes, quando translata Pisonium?* Pavllvs de Varda, *primus iussu* Ferdinandi, *resedit* Pisonii: *eius natales, atque sacerdotia: creatur a* Iohanne *de Zápolya, Archiepiscopus Strigonienſis: quem postea coronat: & fortuna eius inclinante, deserit: atque,* Ferdinando *adhæret: a fluxæ fidei conuitio tunc liberandus.* §. I.

Eius iterata, ad Iohannem *defectio, culpa non caruit: in castra Solymanni aduentus: quomodo a tyranno acceptus sit?* Iohanni, *per* Solymannum *reconciliatus, qua sit vsus excusatione? redit iterum ad* Ferdinandvm. §. II.

Quam diu postea Pavllvs *Strigonii sederit: fit Locumtenens Regius: Cæsaris tabulæ, quibus ei confert dignitatem illam: moritur sexennio post,* Pisonii: *Istvánffii, de eius sepultura, error: parca eum laude prosequitur: fuit primus* Ujvarini *conditor.* §. III.

Post eius fata, triennio vacat Archiepiscope: Georgius Monachus, *ob redditam Transiluaniam, a Cæsare Archiepiscopus postulatur: at, cæde præuentus, ea dignitate, haud potitur: defertur* Nicolao Oláho, *summo viro:* Oláhi *natales; ad Valachiæ principes relati: iuuentutis studia: aulam* Wladislai *regis, frequentat: venit ad Szakmarium Episcopum Quinqueecclesiensem: fit Canonicus Quinqueecclesiensis: mox & Strigoniensis:* §. IV.

Increbrescente nominis fama: fit regis Ludovici, *& reginæ* Mariae *Secretarius: partes* Ferdinandi I. *amplexus: interest eius inauguratione: adhæret* Mariæ: *cumque ea, in Belgium, proficiscitur: quibus illic studiis fuerit distentus, vsus est* Erasmo *familiariter: eius, ad* Nicolaum *epistolæ:* Nicolai, *apud Belgas existimatio: apud reginam gratia: scribit inibi* Attilam. §. V.

Redit post octennium in Hungariam: iterumque reginam reuisit: arcessitur a Ferdinando: *fit episcopus Zágrábiensis: & Cancellarius regis: transfertur ad episcopen Agriensem: Turcarum, aduersus arcem eam, molitiones: obsidio irrita: quibus defendentibus:* Nicolai *sollicitudo: munera, inter nuncios victoriæ, distributa.* §. VI.

Creatur Archiepiscopus Strigoniensis: adprobatur a Pontifice, ob quæ merita: plausus eruditorum, & in his Istvánffii: redimit Præposituram Thúróczsiensem: eius rei occasio: cura, redituum

Archi-

Archiepiſcopatus: arcem Ujvár communit: Ieſuitas, *in Hungariam arceſſit: Synodum diœceſanam, Tyrnauiam indicit: eandemque iterat, quibus de cauſſis.* §. VII.

Celebritas Oláhi; *& in rebus gerendis, aſſiduitas, ſit Locumtenens: coronat* Maximilianvm: *tertiam Synodum Tyrnauiæ celebrat: vſum. S. Cœnæ ſub vtraque ſpecie, permittente Pontifice, iubente autem Cæſare, promulgat: denique, Abbatiam* Széplak, *pro Strigonienſi ſeminario, a Cæſare impetrat.* §. VIII.

Mors Oláhi: *eius encomium: Iſtvánffii, in laudando* Nicolao, *parcitas: epitaphium mortuo poſitum: epicedia.* §. IX.

Succedit Oláho: Antonivs Verántivs: *eius patria: obit* Iohannis *nomine, legationes varias: quomodo in Tranſiluaniam venerit, coniectura: fit epiſcopus Quinqueeccleſienſis: poſteaque Agrienſis:* Paulli Manutii, *ad eum, epiſtola.* §. X.

Mittitur a Ferdinando *legatus Conſtantinopolim: legationis eius difficultas: & rerum geſtarum ſeries: ſequuntur Solymannum legati vſque in Aſiam: quid illic, in vrbe Amaſia, geſſerint? verbis* Busbekii *docetur: labor legatorum illic fruſtraneus:* Busbekius, *cum litteris Solymanni, Viennam redit.* §. XI.

Verántius, *cum collega* Zayo, *Conſtantinopoli manet: dum rediret* Busbekius: *ſed, conatu irrito: Turcarum ferocia:* Verántius, *cum collegis ad Diuanum vocatur: durius inde habentur: Aly Eunuchi, aduerſus legatos, faſtus: noſtrorum reſponſio vatidica.* §. XII.

Legationis Verántii *annus quintus, ſine fructu: dimitti cum collegis poſcit: dimiſſionem obtinet: venit cum* Zayo, *Viennam: donatur, ob labores legationis, tiara Agrienſi: decennio poſt, iterum Conſtantinopolim mittitur* Verántius: *pacemque octennalem, conficit: atque redux* Oláho *in Archiepiſcope, ſuccedit.* §. XIII.

Quadriennio poſt, fit Locumtenens: *inaugurat* Rvdolphvm, *in regem Hungariæ: moritur Eperieſini, cum iuri dicundo, operam nauaret: eius epitaphium: paupertas.* §. XIV.

Vicennalis hinc Archiepiſcopatus iniit vacatio: Iongellini error, Radétium, *Archiepiſcopum facientis, notatur:* Stephanvs Teiérkövy, *poſt diutinas moras, menſtruo ſpatio, Archiepiſcopus: Succedit* Iohannes Kvtassy: *creatur* Locumtenens: *moritur Tyrnauiæ.* §. XV.

Poſt quadriennii vacationem, Franciscvs Forgách *Archiepiſcope potitur: eius parentes: virtus genitoris.* §. XVI.

Adoleſcentiæ ſtudia: initiatur ſacerdotio: qui ante eum, ex bellicoſiſſima gente, ſacrum vitæ genus fuerint ſequuti: fit Canonicus Strigonienſis: poſtea Epiſcopus Veſprimienſis: inde Nitrienſis: Cancellarius Hungaricus tandem. §. XVII.

Quando ad epiſcopen Nitrienſem venerit? diſputatur: eius actus, iſthic editi: & in arce, aduerſus Botskaianos *defenſanda, ardor: qua ideo, apud* Rudolphum, *gratia valuerit: odium Botskaianorum, aduerſus* Forgáchium *& eius cauſſæ.* §. XVIII.

Poſtulatur a Rvdolpho *Archiepiſcopus Strigonienſis: a Pontifice Romano ornatur purpura: qua fide in Cæſarem fuerit: iniuſſus ea propter* Matthiae *Archiduci: gratulantur ei purpuratam dignitatem, clientes: redit cum* Matthia *in gratiam: eo, in regem Hungariæ electo: eumque coronat: eius opera, familiæ, & Archiepiſcoporum opportunitatibus, impenſa: dies ſupremus: ſepultura & locus: epitaphium: elogium.* §. XIX.

Succedit Forgáchio, Petrvs Pázmány: *eius natales, patria, & generis antiquitas: de qua diſputant nonnulli.* §. XX.

Reſpondit in eo natalibus, præclara indoles atque educatio: ſtudia: religionis ſuæ amor: & in Proteſtantibus *alliciendis, ſtudium: atque ideo apud Cardinalem* Forgách, *gratia.* §. XXI.

Emergit his meritis, ad Archiepiſcopen Strigonienſem: Matthiae *Imperatoris, & Pontificis, in eam rem ſtudia:* Petri *cunctatio, & huius cauſſæ: tandem promulgatur Archiepiſcopus.* §. XXII.

Pázmáni, *in excelſo hoc munere, occupatio:* Ferdinandvm II. *inaugurat: fundationes ſacras inſtituit: recuperat* Piſeti *reditus:* Ieſuitas *latiſſime propagat:* Piſonienſe *collegium ad D. Martini, fundat.* §. XXIII.

Diploma, in eam rem, a Ferdinando, & Pázmáno, *editum.* §. XXIV.

Reliqui eius, pro religione, actus: Synodum Tyrnauiæ celebrat: Ferdinandus *purpuram ei impetrat: Romam iter ſuſcipit, quam ob rem? quanto adparatu vrbem ſubierit? Accipit ab* Vrbano *inſignia Cardinalitiæ dignitatis, titulosque: Pázmánus legationis reliquum exſequitur: Cæſaris in reducem benignitas.* §. XXV.

Purpuratus iam, nihil discedit ab ingenio : Academiam Tyrnauiensem *instituit : Bibliothecam condit , eamque reliquiis Coruinianæ illius, locupletare nititur : his editis facinoribus , moritur* Pisonii : *quomodo se humandum voluerit : epitaphium , viuus , mortuo sibi poni , vetuit : quod demum* Paullus Eszterházy *instruxit : eius laudes : fuit eloquentiæ Hungaricæ princeps : & in defensandis Archiepiscope prærogatiuis , heros : eius rei exemplum : Decreto Cæsareo firmatum.* §. XXVI.

De Lossio *pauca habet dicere auctor : minora eius sacerdotia : quando ad Episcopen Varadiensem accesserit : fit episcopus Agriensis : succedit Pázmáno : eius in Musas Tyrnauienses , propensio : perficit opera , quæ morte præuentus , nequiuit* Petrus : *Pisonii , seminarium* S. Emerici *excitat : fato suo fungitur.* §. XXVII.

Surrogatur in sedem, Georgivs Lippai : *nullo suo ambitu : eius ortus & adolescentiæ studia : prima sacerdotia : euocatur ad Archiepiscopen Strigoniensem.* §. XXVIII.

Quæ eum exceperit sollicitudo : patrocinatur omni studio Iesuitis : *successu felici : quos postea latissime propagat.* §. XXIX.

Synodum Tyrnauiæ cogit : quid illic actum : vocatur in ius sacrum Draskovitz , *Episcopus Iaurienſis : rei gestæ historia , ex* Rattkaio : *pœna ei irrogata :* Draskouitii *inquies : ac denique resipiscentia.* §. XXX.

Cur hæc adtexuerit auctor ? patres S. I. in V. Clero Regni Hung. referuntur : Lippaii *super ea re , diploma : Collegium Generale , Tyrnauiæ instituit Lippaius.* §. XXXI.

Fundationes Lippaii *reliquæ :* Leopoldvm , *diademate redimit :* Vjvarini *muniendi curam , in se recipit : quod Ordines , publicis comitiis , grati recognoscunt : an recte , amissi* Vjvarini *culpa impingatur* Lippaio ? *eius dies supremus.* §. XXXII.

Succedit Georgivs Szeleptsény : *natales eius , an reuera ita obscuri , sicuti perhibent nonnulli : fuit alumnus Pázmanianus in Romano Collegio : in altorem , eximie gratus.* §. XXXIII.

Redux in Hungariam , minora primum sacerdotia : dein Veszprimiensium : Nitriensem postea tiaram , capessit : simul Cancellariatu , & Archiepiscope Colocensi , ornatus : transfertur in sedem Strigoniensem : eius encomium : suo iure , in liberatoribus Viennæ censendus : moritur , nonagenario maior. §. XXXIV.

Georgii Szétsénii *laudes : Thúróczii verbis expromtæ : eius , mirifica liberalitas in rempublicam : facetum cum loculis colloquium.* §. XXXV.

Munificentia , in rem diuinam : quibus artibus tantum æris coegerit ? §. XXXVI.

Gradus Sacerdotiorum quos vsque ad sedem Strigoniensem fecit : eius mors : elogium. §. XXXVII.

Succedit Georgio , Leopoldvs Kollonitsch : *eius natales : educatio : sequitur militiam ordinis Melitensis : qua virtute : reducis inde , honores.* §. XXXVIII.

Adiicit animum ad sacerdotium : fit Nitriensis *Episcopus : qua dignitate abdicata , Cameræ Hungaricæ & episcopatui* Neostadiensi , *præficitur : qualem se isthic præbuerit : ineſt obsessæ* Viennæ , *magno vrbis commodo.* §. XXXIX.

Cæsaris , eam ob rem , gratus , erga Kollonitschium , *animus : purpuram ei Romanam procurat.* §. XL.

Ea accepta , qualem se gesserit Kollonitschius ? *proficiscitur Romam : adit Archiepiscopatum* Colocsensem , *& postea* Strigoniensem : *eius isthic facinora : in reduniendis græci ritus* Valachis , *studium : litteræ in eam rem scriptæ.* §. XLI.

Fato fungitur : eius laudes : honorarium epitaphium. §. XLII.

Quæ ornamenta adtulerit tiaræ Strigoniensi Christianvs Avgvstvs : *successoribus dignitatem S. R. I. Principum impetrat : Diploma , in eam rem , Cæsareum :* Ordinum , *pro tanta honoris accessione , gratus animus* §. XLIII.

Christiani Augusti natales : educatio : militiæ studia : amplectitur sacros ordines : eius pro religione catholica , zelus §. XLIV.

Fit Coadiutor Kollonitschii : mox & successor : primæ eius curæ : moderatur comitiis , quæ indixit Iosephvs : *qua fuerit indole ?* §. XLV.

Fides , in absentem regem Carolvm : *quem postea coronat , mox &* Elisabetham *coniugem : aulæ eius splendor excusatur : in vrbem nostram pietas.* §. XLVI.

Abitus eius Ratisbonam , *Pisonienſibus acerbus : concedit , fatis* Ratisbonæ : *sepelitur præter opinionem ,* Pisonii : *cippi facies : epitaphium.* §. XLVII.

Cæsaris , in creando successore , prudens cunctatio : eligitur Emericvs *e Comitibus* Eszterházy : *eius laudes , consulto silet auctor.* §. XLVIII.

§. I.

I. *Paullus de Varda.*



Archiepiscoporum *sedes, quando translata* Pisonium:

VNestum relatu est; sed fauſtum tamen, vrbi noſtræ: cladem patriæ & tot celeberrimarum vrbium occaſum, quidquid expromſimus adhuc decoris, atque ornamentorum, iſthuc coegiſſe. Interierat LVDOVICVS, iamque pereunte *Buda*, ad exitium vocabatur *Strigonium*, priſca illa & venerabilis Archiepiſcoporum ſedes: cum FERDINANDVS I. iniquioris fortunæ, in quam ſe induerat Hungaria, ſolertiſſimus reparator, PAVLLVM de VARDA, tunc Strigonienſem Pontificem, *Piſonium* ad habitandum acciuit. *Exceſſerat*, inquit, ISTVÁNFFYVS, *(a.) diu ante*, (Solymanni aduentum) PAVLLVS *antiſtes, vrbe, atque arce Strigonienſi: non metu* Solymanni, *de cuius aduentu & conatibus nondum quidquam comperti, aut explorati habebatur; ſed ſic volente* Ferdinando, *cui parere neceſſarium ducebat*, *ac* Poſonium *ad habitandum conceſſerat*. Hæc, prima translatæ ſedis Archiepiſcopalis, in vrbem Piſonienſem, mentio eſt. Sed, de VARDANO, dicendum erit, amplius. Fuit ille, vetuſta & celebri *Vardaiorum* gente, editus. Poſteaquam adoleſcentiam in optimarum litterarum ſtudiis, extraxiſſet, ſacerdotio initiatus, eo vſque emerſit, vt ad capeſſendam, tiaram *Agrienſem*, idoneus haberetur, LVDOVICI II. ætate, cum *Ladislaus Zalkanus*, ad Archiepiſcopen Strigonienſem transferebatur. Eo, cum rege, ad Mohácsium cæſo, dum ſusque deque ferrentur omnia, & IOHANNES de ZÁPOLYA, nuper in regem lectus, maturandam inaugurationem ſui, exiſtimaret: PAVLLVM, Archiepiſcopum Strigonienſem nominauit; feſtinato quidem ſed non infelici conſilio; quod euentus poſtea docuit. Prima ergo noui præſulis occupatio, ſiue, vt gratiam referret *collatori*, ſiue, vt pareret neceſſitati, hæc fuit, vt eundem *Albæ Regiæ*, in magna procerum ſolemnitate, in regem inungeret. *Condito*, inquit ISTVÁNFFYVS, *(b.) non abſque publico omnium luctu, & lacrymis, in æde D. Virginis Matris, regio funere, in qua alii quoque reges condi ſolebant, tandem coronatio peracta fuit, præſentibus fere omnibus proceribus, etiam iis, qui* FERDINANDO *Auſtriaco, Annæque coniugi eius, in occulto fauebant. Eam autem, ex pontificalibus libris depromtam,* PAVLLVS VARDANVS, *quem Vajuoda, Archiepiſcopum Strigonii declarauerat, ac Stephanus Brodericus, Epiſcopus Váczenſis, Iohannesque Statilius, quem ex Præpoſito veteris Budæ, Epiſcopum Albæ Iuliæ fecerat, ſolitis ceremoniis perfecere.* Hæc tunc VARDANVS. At, inclinante, immo conuerſa penitus, fortuna IOHANNIS ZÁPOLYAE, nec quidquam cunctatus, ſe, & *Strigonium*, aduentanti, cum exercitu, FERDINANDO permiſit. Rem ad hunc modum narrat ISTVÁN-

Paullus de Varda, *primus, iuſſu* Ferdinandi, *reſedit Piſonii:*

eius natales, atque ſacerdotia:

creatur a Iohanne de Zápolya, *Archiepiſcopus Strigonienſis:*

quem poſtea coronat:

& fortuna eius inclinante, deſerit:

a.) Lib. XI. p. 262. 5.

b.) Lib. IX. p. 135. 38.

ISTVÁNFFYVS: *(c.)* FERDINANDVS, *Iaurino, Comaromio & Tata, quam olim Theodatam fuiſſe dictam, quidam exiſtimant, ex itinere, facili negotio in poteſtatem redactis, Strigonium perrexit: exceptusque eſt a* PAVLLO VARDANO, *eius loci antiſtite, ſingulari, incertum tamen, annon ſimulata lætitia, vel metu tanti exercitus, perterrito, vel aliorum inſtabili exemplo.* Parum abeſt, quin fidem in VARDANO deſideret ISTVÁNFFYVS. quam ei intemeratam, SAMVEL TIMON *(d.)* e S. I. adſtruit: *Cum*, FERDINANDVS, inquit, *Strigonio adpropinquaſſet*, PAVLLVM VARDANVM, *ex animo amicum, vereque beneuolum, & fidelem ſibi reperit. Iam in clientela Ferdinandi Regis Archipræſul erat, qui veteri inſtituto & priuilegio Sedis Romanæ, poteſtatem habet vngendi reges Hungariæ*, cetera. Si quid interſerendum ſit, exiſtimarim, nequiuiſſe aliter facere VARDANVM: quippe qui, non factionem alterutram; ſed ſacratiſſimum, cui præfectus fuit, munus, tueretur. Non ergo vitii quidquam in iſta, ad accipiendum FERDINANDVM *Vardani* facilitate, ponendum eſt.

& Ferdinando adhæret:

a fluxæ fidei conuitio, tunc liberandus.

§. II.

HAbuerunt hæc legitimam excuſationem. quod ſequetur, culpa haud carere, non plane nulli, exiſtimant. IOHANNIS, qui in Polonia exſulabat obteſtatione, excitus iterum *Solymannus* Hungariam inuaſit, peruaſitque, eo ſucceſſu, vt nihil poſt ſe relinqueret, niſi redactum in poteſtatem. *In progreſſu*, vtimur verbis ZERMEGHII, *(e.) dum* Solymannus *Strigonio adpropinquat*, PAVLLVS *Archiepiſcopus, qui, vt dictum eſt, a* IOHANNE *defecerat, capto ex tempore conſilio, decreuit, ſeſe Cæſaris* (Turcarum) *clementiæ ſubmittere: præmiſſisque ad eum nunciis, (f.) liberum ſibi ad Cæſarem acceſſum obtinuit: ingreſſusque in caſtra, ad illum admittitur, & manus Cæſaris oſculatur; cum magna acclamatione totius exercitus*, Alla! Alla! *Gratulabantur enim, ſummum pontificem Chriſtianorum in Hungaria, Imperatori ſuo ſe ſubdidiſſe. quem Cæſar, Viennam quoque vſque, ſecum deduxerat, & penes ſe retinuerat, eique Iohannis regis gratiam conciliauerat.* ISTVÁNFFYVS *(g.)* auctor eſt; blando ſermone in tentorio adloquutum fuiſſe *Paullum*, & ne quid aduerſi ſuſpicaretur, ſperare, & caſtra ſequi iuſſiſſe, in quibus ei locus datus fuerit, non procul ab *Ibraimo*, principe purpuratorum, inter *Ianitſerorum* contubernia, præbita laute omnia, quæ ad victum pertinent; quin, retentum iisdem in caſtris toto tempore, quo *Vienna*, acerrimo, ſed irrito conatu, oppugnata fuit. Tanti eſt, ſe fortunæ permiſiſſe, vel commodaſſe tempori, vti ad hunc annum *(h.)* TIMON ait: Erant,

Eius iterata, ad Iohannem *defectio, culpa non caruit:*

in caſtra Solymanni *aduentus:*

quomodo a Tyranno acceptus ſit?

c.) Loco citato, p. 138, 40. Breuiter IOHANNES ZERMEGH, in Geſtis, inter Reges Hungariæ, FERDINANDVM, & IOHANNEM, p. 6. *Strigonienſis quoque Archiepiſcopus*, Paullus de Varda, *quem* IOHANNES *Rex, eo ſacerdotio donauerat, in partes* FERDINANDI *conceſſit.*

d.) In *Synopſi Nouæ Chronologiæ* Regnorum Hungariæ, &c. ad annum MDXXVII.

e.) Eodem loco. p. 49.

f.) ISTVANFFYVS Lib. x. p. 157, 47. *Nicolaum Gothoium*, & *Ladislaum Geſtinum* fuiſſe, memorat.

g.) Loco nunc citato, p. 159, 3.

h.) Puta MDXXIX. poſt diem, natalibus, *B. V. Mariæ*, feſtum.

in comitatu *Vardani*, trecenti pedites, totidemque equites, plerique nobilium filii, qui pro veteri more, in aula metropolitæ, verſabantur. Fertur, *(i.)* dum commendatus a *Solymanno*, IOHANNEM conueniſſet *Vardanus*, plorabundum, inter ſalutationis, ac mutuæ beneuolentiæ officia, dixiſſe: *Fateor, o Rex! metu me adactum, multum aduerſus te deliquiſſe: at,* DEVM *immortalem obteſtor, ne Virginem Matrem quidem æque luxiſſe filium, ſalutis noſtræ auctorem, vti ego te proſecutus ſum, euntem in exſilium.* Cui Rex: *Fieri,* inquit, *hoc, quod dicis, potuit: Diua tamen Virgo, ad crucem vſque filium proſecuta eſt; tu, quod vltimum amicitiæ munus regi deberes, qui inſigne amoris monumentum in te conſtituiſſet, vt eum, ad ſupplicii vſque locum deduceres, non potuiſti a te impetrare; immo, quod grauius flagitium eſſet, vix nuncio accepto, nec quidquam cunctatus, ad communem hoſtem transfugiſti. Facit tamen ætas tua, & Solymanni commendatio, vt priſtinum apud me locum obtineas.* Ac patuit omnino breui, tempori ſeruiſſe *Vardanum.* Quid enim, in ea tempeſtate, & acerbitate rerum ageret? vbi a FERDINANDO vix quidquam præſidii, vltima quæque a *Solymanno*, exſpectanda erant. Ergo, rediit, nec inuitus, ad officium, cum ſoluta Viennenſi obſidione, anno ſequente, *Budam*, auſpiciis FERDINANDI tentandam ſuſcepit *(k.) Rogendorffius. Cum Strigonium peruenisſet* Rogendorffyus, PAVLLVS *Archiepiſcopus, anno ſuperiori, a Solymanno, ad* IOHANNEM *perductus, eique commendatus, cum ſe Turcicæ ſocietatis vincula ex profeſſo abhorrere, adſirmaret, ad Ferdinandum iterum rediit, eiusque copias, conſilio opibusque, & commeatu iuuandas exiſtimauit:* quemadmodum meminit ISTVÁNFFYVS *(l.).* Has tunc conuerſiones, PAVLLVS ſubiit.

Iohanni, *per* Solymannum *reconciliatus, qua ſit uſus excuſatione:*

redit iterum ad Ferdinandum.

§. III.

TVta hinc PAVLLO ſedes *Strigonii* fuit, quam præſentia ſua, FERDINANDVM honeſtauiſſe, TIMON, litterarum, quas illinc rex exarauerat, indicio, non ab re monet: FERDINANDVS *Rex, hoc anno MDXXXIX. aliquamdiu Strigonii, apud Archiepiſcopum Vardanum, diuerſatus eſt. Nam litteris, ex arce datis, iuſſit, per conuentum Sághienſem, admoneri Chriſtophorum Turrianum, (vulgo de Turri) adminiſtratorem arcium reginæ, vt redderet* VRIELI MAITENIO, *Præpoſito Thuroczienſi, pagum (m.) Szelniczam.* Hæc ille. *(n.)* Vt male eius, *Piſonium* demigratio, ad annum MDXXXI. a nonnullis referatur;

Quam diu poſtea Paullus *Strigonii ſederit:*

i.) TIMON, dicto loco, PETRVM de REVA, auctorem, ridiculi huius dicterii, citat; cum idem, ante *Révaium*, meminerit ZERMEGH p. 50. & poſt eum WOLFFGANGVS BETHLEN, ad eundem illum annum.

k.) Auctumno anni MDXXX.

l.) Lib. XI. p. 169. 42. adde, ZERMEGHVM p. 58. vbi refellendus error eſt, quum *Budam* a FERDINANDO ductu ſuo obſeſſam ait: *Rogendorffii* ea expeditio fuit. Item, TIMONEM, ad hunc annum.

m.) Vicus eſt *Comitatus Zolienſis*, ſupra *Vetuſolium* ſitus.

n.) Ad eundem annum.

tur: quippe quæ, ad annum demum MDXLIII. quo *Strigonium* interiit, referenda eſt. Tunc *(o.)* vero *Alexio Turzone* mortuo, *Locumtenens Regius* creatus eſt, ſede apud *Piſonienſes* accepta. De ea re TIMON: *Alexio Turzoni, ſuppoſitus eſt in magiſtratum, Locumtenens,* PAVLLVS VARDANVS, *Archipræſul Strigonienſis; Franciſcus Réuaius factus Pro-Palatinus, ſiue Locumtenens Palatinalis; Michael Mereius Locumtenens Perſonalis Præſentiæ.* Non pigebit, huc tranſcripſiſſe tabulas, quibus eam dignitatem, *Paullo*, adtribuebat Cæſar. Nos FERDINANDVS, &c. *recognoſcimus per præſentes, quod Nos, perſpecta, iam pridem, & cognita fide ac diligentia, & rebus noſtris tractandis ac rite concludendis, ſolertia & integritate, Reuerendiſſimi in Chriſto patris,* domini Pauli de Várda, *Archiepiſcopi Eccleſiæ Strigonienſis, &c. eundem, in abſentia noſtra præfecimus & conſtituimus in Locumtenentem noſtrum, in prædicto regno noſtro Hungariæ, conditionibus infra ſcriptis. In primis, vt omni illa auctoritate & facultate fungatur, qua prædeceſſorum noſtrorum, atque noſtro tempore, ceteri Locumtenentes, pro tempore conſtituti, vſi ſunt: Videlicet, quod habeant facultatem adminiſtrandi iuſtitiam, citra omnem appellationem: Quod poſſit indicere conuentum particularem, requirente neceſſitate, omnibus Statibus, pro commodo noſtro, dictique regni noſtri: Quod habeat auctoritatem mandandi omnibus confinia tenentibus, & officialibus, ceterisque fidelibus noſtris, in omni publica adminiſtratione: Quod habeat ius conferendi omnibus perſonis dignis, bona, ad triginta duos colonos ſe extendentia, quæ ad collationem noſtram legitime ſpectarent: Quod habeat ius conferendi Eccleſiaſtica beneficia, in omnibus Eccleſiis, in quibus Prælati, ius patronatus non habent: exceptis tamen Abbatiis, Præpoſiturisque maioribus: Quod habeat facultatem & auctoritatem plenam, omnibus reſipiſcentibus, & ad obedientiam noſtram ac ad ſinum gratiæ & clementiæ noſtræ, redire volentibus, noſtra in perſona, gratiam impertiendi. In omnium igitur horum teſtimonium præmiſſorum, & robur, præſentes litteras noſtras, manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro conſignatas, eidem Domino Paullo Archiepiſcopo, dandas duximus & concedendas. Datum, &c.* Neſcio, quid ad conſummatiſſimam dignitatem, cumulari potuiſſet amplius. Sexennium ei muneri præfuit VARDANVS: quippe, anno dein MDXLIX. quarto Idus Octobris, *Piſonii*, vbi ſedem fixerat, fatis concedens, ibidemque, in *Aede D. Martini*, ſepultus. Vt mirum ſit, ignorare potuiſſe ISTVÁNFFYVM *(p.)* mortis, iuxta, & ſepulturæ, locum. *Dum hæc geruntur,* inquit, *Paullus, Archiepiſcopus Strigonienſis e viuis excedit: ac Tyrnauiam delatus, quo collegium Sacerdotum, poſt amiſſum Strigonium, tranſtulerat, ſimplici, & tumultuario ſepulchro, conditur.* Certiora ſunt, quæ nobis, manu exaratum idque coæuum *Nicolái Oláhi* chronicon, ſuffecit: *Eodem anno MDXLIX. Dominus Paullus de Várda, Archiepiſcopus Strigonienſis, duodecima die Octobris, annum agens ſexageſimum*

fit Locumtenens Regius:

Cæſaris tabulæ, quibus ei confert dignitatem illam:

moritur Sexennio poſt Piſonii:

Istvánffii, *de eius ſepultura, error:*

o.) IONGELINVS, anno demum MDXLIV. ea dignitate donatum fuiſſe, in *Catologo Palatinorum*, auctor eſt.

p.) Lib. XVI. p. 290, 22.

ſimum ſextum, Poſonii mortuus eſt, ibidemque ſepultus. Concordat, cum hoc noſtro, TIMON, *(q.)* doletque impenſius, parca ISTVÁNFFYVM, laude, virum grauiſſimum fuiſſe proſequutum. *Fuit*, inquit ISTVÁNFFYVS, *vtraque in fortuna, variis modis exercitus, liberali ingenio, & ſemper iucundus. Ei* FERDINANDVS, *tanta honoris & beneuolentiæ ſigna deferre erat ſolitus, vt eundem, ſecum menſæ adhibere, conuiuioque excipere, non dedignaretur; eumque aliquando ſomno grauatum, in ſuo cubili quieſcere, haud grauatum permitteret.* Inter eius opera, quæ tutandæ reipublicæ Chriſtianæ cauſſa, poſt amiſſum *Strigonium* excitauit, arx *(r.)* *Ujvárienſis* fuit, *Ersek-Új-Vár*, hoc eſt, *Archiepiſcopalis Neapolis*, ideo dicta: nam ante inerme fuit oppidum.

parca eum laude, proſequitur:

fuit primus Ujvarini, *conditor.*

§. IV.

II. *Nicolaus Oláhus.*

Poſt eius fata, triennio vacat Archiepiſcopo:

TRiennio, poſt fata PAVLLI, Archiepiſcope *vacauit*, non, quod *non* eſſent, qui ei præficerentur; ſed quod ea fuere tempora, quibus maior fere regionis, quam religionis cura habebatur. Reduxerat ad obſequium Tranſiluaniam, *Georgius Martinuſius*, Varadienſis Epiſcopus, arte non minus, quam indefeſſo labore. hanc eius ſolertiam, & præclara de ſe merita, vti remuneraretur FERDINANDVS, præter dignitates, quas ſub *Iſabella* geſſerat, ei adfirmatas, in *Cardinalium* numerum, commendante Cæſare, relatus, & in Archiepiſcopum *(s.)* Strigonienſem, poſtulatus fuerat. At enim, quod nouarum rerum ſuſpicionem, apud *Caſtaldum*, belli in Tranſiluania ducem, ſibi collegerat; ſublatus e medio ante eſt, quam tiaram capeſſeret. Proinde, violenta hæc præſulis, vndiquaque celeberrimi, mors, nouæ locum fecit electioni. Multi ſe offerebant, tanto digni faſtigio; ſed NICOLAO OLÁHO, Epiſcopo Agrienſi, dignior nemo. Vir erat, iam pridem, humanarum diuinarumque rerum cura ſubactus, FERDINANDO autem, non vno fidei, prudentiæ, pietatis item, atque eruditionis experimento, cognitus. Ergo, quam de ſummo viro, conceperat opinionem, anno MDLII. ipſis Nonis Maii profeſſus, *Nicolaum* Archiepiſcope, an Archiepiſcopen *Nicolao*, exornat. Probauit ſe ſummis & imis, ea FERDINANDI optio; *Piſonio* maxime, cuius ille commoda, qua ſe dabat occaſio, profuſa beneuolentia, curare fuerat ſolitus. Iuuat, tanti præſulis memoriam, inde, a primis eius incunabulis recoluiſſe. Sequemur autem breue quoddam ipſius, *Nicolai* chronicon, *(t.)* quod manu exaratum, in cimeliis habemus. Natus eſt OLÁHVS Cibinii Tranſiluanorum, anno ſupra milleſimum, quadringenteſimum, nonageſimo tertio, menſe Ianuario. Ita ſuum ipſius chronicon: NICOLAVS OLÁHVS, *Archiepiſcopus Strigonienſis, natus eſt Cibinii, ciuitate principali Saxonum Tranſiluaniæ, Menſe Ianuario, anno DMCCCCXCIII.* Sunt, qui nihil dubitent adfirmare, e principibus *Valachiæ* ortum, indolem traxiſſe prorſus admirabilem. *Sanguinis ei claritatem, celſiſſimum principum Valachiæ ſtemma dedit, vt intelligeret orbis, non immerito tam nobilem animum, tam illuſtri corpori, a beneficentiſſimo Deo incluſum fuiſſe: inquiunt eruditi (u.) Tyrnauienſes.* Huc adluſiſſe putandus eſt, HVBERTVS LEODIVS, Friderico Comiti Palatino a ſecretis, qui *Nicolao*, in Brabantiam ad MARIAM reuertenti, cum alia fauſti ominis, tum iſtud occinit: *(v.)*

Oláhi *natales; ad Valachiæ principes relati:*

Regius ſanguis, NICOLAVS *ille*
Noſter OLÁHVS *rediiſſe fertur,*
Nunc Brabantinas, auibus bonis &
Sanus ad vrbes.

Oláh certe vocabulum eſt, quod Hungaris *Valachum* notat: vt de Valachica origine viri ſummi, nihil ſit dubitandum. Audiamus *Nicolaum* ipſum, gentem ſuam natalesque, *(x.)* expromentem: IOHANNIS HVNYADIS, *Vaiuodæ Tranſyluani, poſtea vero Gubernatoris Hungariæ tempeſtate*, Dragula *Vaiuoda, partim interfectis, partim expulſis his, qui e* Dani *erant ſanguine, Regnum occupauerat:* Mamzillæ *ab Argyes, ex vxore* Marina, *eiusdem* Ioannis *Vaiuodæ ſorore, duo erant inter alios filii: vni nomen fuerat* Stantzul, *qui* Danum & Petrum *filios ſuſcepit; alteri* Stojam, *hoc eſt* Stephanus. *Is me, & Matthæum, filios; Vrſulam & Helenam filias, genuit. Potitus igitur rerum* Dragula, *Stantzulum patruum meum, inſidiis interceptum, ſecuri percuſſit.* Stephanus *vero, puer adhuc,* DEO *ſibi propitio, illius euadens tyrannidem; confugit ad* MATTHIAM *Regem. qui, vt ab ipſomet patre, &* Ioanne Bornemisza, *ac* Ambroſio Sárkán, *Comitibus in Hungaria, qui cum patre, vna ſub rege militabant, poſtea audiui, decreuerat eum ſæpe numero, ad regnum, cum exercitu reducere; ſed pater videns rerum mutationes, quæ imperii gratia illic fiunt, periculoſas eſſe; maluit in Tranſyluania, matrem meam,* Barbaram Hunzár *ducere vxorem, vitamque agere priuatam, quam in tyrannide, & imperio, mille periculis ſubiecto, inſtar maiorum ſuorum, interfici.* En! non quidem genus, ſed quandam

Georgius Monachus, *ob redditam Tranſiluaniam a Cæſare, Archiepiſcopus poſtulatur:*

at, cade præuentus, ea dignitate, haud potitur:

defertur Nicolao Oláho, *ſummo viro:*

q.) Ad annum eius emortualem.

r.) Vide ISTVANFFYVM. Lib. XIX. p. 355. 6. *Noua*, inquit, *arx, quam* Paullus Vardanus, *ad Nitriam flumen ædificauerat.* Nimirum, exſtabat iam tum oppidum, quod ille, aggeribus circumactis, ob ſitus opportunitatem, communiuit.

s.) Factum id fuit eo tractatu, qui *Georgio*, cum Ferdinandeis legatis, *Nicolao Comite Satmenſi*, & *Sigismundo Herberſteinio*, in oppido *Báthor*, anno MDXLIX. VIII. Septemb. de tradenda *Tranſiluania*, primo omnium, interceſſit BETHLEN. Lib. IV. p. 148.

t.) Eius omnino eſſe, docuit nos SAMVEL TIMON, in Synopſi Nouæ Chronologiæ, ad annum MDXXXI.

u.) In Progreſſu *Almæ Archiepiſcopalis S. I. Vniuerſitatis* Tyrnauienſis, p. 14.

v.) Apud laudatum SAMVELEM TIMON, ad annum MDXL.

x.) In HVNGARIA ſua, quam nunc primum, dum hæ operæ feruent, e tenebris, duorum fere ſeculorum protractam, luce publica donamus, Cap. XII. §. III. p. 23. POSONII, A. MDCCXXXV. fol.

iuuentutis studia:

dam, cum regio, MATTHIAE CORVINI, sanguine, cognationem: vt habeant omnino, quod rodant os, NICOLAI æmuli. Posuit vero OLÁHVS. elegantiorum litterarum tyrocinia, apud Transiluanos, exhibuitque ea senilis animi, in adolescentia, specimina, vt facile adpareret. quantum olim virum in eo habitura sit Hungaria. E litteraria palæstra egressus, id dedit operam, vti inter aulæ WLADISLAI regis, familiares, reciperetur. Iam tum enim præcipiebat animo, quantum regi, quantum deberet patriæ: id vero, nuspiam se melius, quam in regia condiscere posse, sagaciter perspiciebat. Ergo, anno MDX. annos natus decem & septem, aulam *(y.)* adiit, breuique ita se, non aulæ modo primoribus; sed regi ipsi adprobauit, vt iam tum, rebus summis administrandis olim, haud vanis auguriis, destinaretur. Sexennium ei, inter hæc aulicæ vitæ rudimenta, abiit, cum mortuo, anno MDXV. WLADISLAO, vitæ illud genus, permutandum statuit. Magna tunc virtutis existimatione, *Georgius Szakmári*, Episcopus Quinqueecclesiensis & regni Hungariæ Cancellarius, floruit. Itaque, hunc sibi delegit *Oláhus*, cuius auspiciis, & sacris initiaretur, & rebus gerendis. *Ac primo quidem inter familiares adscitus*, biennio *(z.)* a secretis præsuli fuit. *Hoc, vbi singulari omnium* adprobatione extraxit, totum se tradidit sacerdotio, idque apud *Szakmárium*, continentia vitæ, & diuinarum humanarumque rerum scientia, meruit, vt anno MDXVIII. inter *(a.) Canonicos Quinqueecclesienses*, referretur. Mortuo demum *Thoma Bakacs*, Archiepiscopo Strigonienſi, cum ad eandem sedem transferretur *Szakmáry*, *Nicolaum* quoque secum traxit, & inter *Canonicos Strigonienses*, haud sine omine, anno MDXXII. *(b.)* retulit.

aulam Wladislai regis, frequentat:

venit ad Szakmárium, Episcopum Quinqueecclesiensem:

fit Canonicus Quinqueecclesiensis:

mox & Strigoniensis.

§. V.

Increbrescente nominis fama:

LAtuit hucusque NICOLAI virtus, si latere est, versari in sacerrimorum munerum procuratione. Didita, interim, nominis eius fama, effecit breui, vt, quæ sui in priuato documenta exhibuerat, in omnium ore esse, vulgarique passim, inciperent. LVDOVICO certe regi, siue a *Zalkano*; iam enim *Szakmárius* diem obierat; siue a proceribus aliis, tanta cura commendatus est, vt nihil dubitarit, eum in Secretorum arbitrum, conscisere. Quod æmulatam reginam, eodem illo anno regi funesto, MDXXVI. ipse *Nicolaus* memorat. *(c.)* Vix autem munus illud capessiuerat OLÁHVS, cum

fit regis Ludouici, & reginæ Mariæ Secretarius:

y.) Ita *Nicolai* Chronicon: *Dictus* Nicolaus Oláhus *anno* 1510. *in mense Maio, venit ad aulam* WLADISLAI *Regis.*

z.) Iterum Chronicon illud. *Anno* 1516. Nicolaus Oláhus *factus est Secretarius* Georgii Szakmár, *Episcopi Quinqueecclesiensis.*

a.) Idem Chronicon, Nicolaus Oláhus, *Anno* 1518. *creatus in Canonicum Quinqueecclesiensem, mense Iulii.*

b.) Sequimur & hic fidem Chronici sui: Nicolaus Oláhus *An.* 1522. *creatus est in ecclesia Strigoniensi Archidiaconus Comaromiensis, & Canonicus Strigoniensis.*

c.) *Dictus* Nicolous Oláhus 16. *Martii, anno* 1526. *creatus est in Secretarium & Consiliarium* LVDOVICI *regis, & postea, eiusdem regis voluntate, similiter* MARIAE *reginæ*, 21. *Martii.*

cum vrgentibus fatis, LVDOVICVS, ad Mohácsum trahitur. Interfuisse pugnæ, non lego: vt pronum sit coniicere, cum *Thoma* Veszprimiensi Episcopo, *Alexio Turzone*, & *Iohanne Bornemissa*, MARIAE reginæ, Budæ adfuisse. quam postea, *Pisonium* comitatum, idonei auctores *(d.)* perhibent. Profecto, in eo comitio, quo FERDINANDVS in regem Hungariæ eligebatur, partes suas egregie obibat OLÁHVS. Nam, in iis omnino primoribus, censetur ab ISTVÁNFFYO *(e.)* qui spreto IOHANNE, FERDINANDO suffragabantur. Atque ISTVÁNFFYVS quidem, *Præpositum* Albensem adpellat; TIMON *(f.) Thesaurarium*; ipse noster, quem citamus sæpius, *Custodem: Eodem*, inquit, *anno* MDXXVII. NICOLAVS OLÁHVS, *factus est Custos & Canonicus, Ecclesiæ Albæ Regalis.* Fas ergo est existimare, adhibitum fuisse pompæ, cum FERDINANDVS, in regem Albæ Regiæ inaugurabatur. Siue enim *Præpositus* fuit eius Ecclesiæ, siue *Custos*, siue *Thesaurarius*; non potuit non, in ea solemnitate adesse. Nam, *Præpositi* quidem *Albensis* partes, præcipuæ fuerunt, post Archiepiscopum Strigonienſem, si corona rediendus *fuit princeps*; *Custos* autem, eo minus abesse a cerimoniis potuit: quo magis constat, sacram supellectilem, eius cura adseruari & promi debuisse, *cum erat necesse.* Postea, perpetuus reginæ, *Lincii* agenti, frequens præterea FERDINANDO, adhæsit; dum MARIA vidua, ad gubernandum Belgium, ita volente CAROLO V. dimitteretur. Ea de re Chronicon OLÁHI: *Anno MDXXXI. Serenissima regina* MARIA, *voluntate* CAROLI V. *Imperatoris, fratris sui, ex Lincio fuit profecta in mense Martio, ad gubernationem Flandriæ suscipiendam: cum qua, etiam* NICOLAVS OLÁHVS, *simul profectus fuit.* Non ergo ea profectio in annum MDXXXIII. incidit, sicuti volunt *(g.)* eruditi Tyrnauienses; TIMON idem, quod nos, *Oláhi* Chronicon *(h.)* sequutus: *Maria*, inquit, *Regina, vidua* LVDOVICI *R. H. profecta in Belgium, vt in gubernandis Belgis, Margaritæ, Maximiliani Cæsaris laudatissimæ filiæ, amitæque suæ ac Imperatoris Caroli, succederet:* vbi demum, eadem, quæ nos iam dedimus, verba OLÁHI, legas, annum item, & diem, Belgicæ demigrationis. Huc, vbi venit cum regina, NICOLAVS, adeo non defeciuit ab ingenio suo, *vt visus* etiam sit se ipsum superauisse: ita, & consilio promtus, & rebus administrandis, solers exstitit. Quod a publicis negotiis temporis fiebat reliquum, melioribus id studiis, & summorum virorum necessitudini litterariæ, tribuebat, vtebaturque, cum pluribus aliis, tum DESIDERIO ERASMO perquam familiariter. Exstant ERASMI geminæ litteræ, quas iam tum anno MDXXX. Friburgo ad OLÁHVM dedit, bonæ, de *Nicolao*, existimationis, plenissimæ. Adscripsisse vtramque, eo minus piget, quo sunt in popularibus nostris pauciores, qui eas lecturi essent. Ac priores

partes Ferdinandi I. amplexus:

interest eius inauguratione:

adhæret Mariæ:

cumque ea in Belgium proficiscitur:

quibus illic studiis fuerit distentus

vsus est Erasmo, familiariter:

eius, ad Nicolaum epistolæ:

d.) Eruditi Tyrnauienses, loco citato, p. 15.

e.) Lib. IX. p. 137. 8.

f.) Ad annum MDXXVII.

g.) Eodem loco p. 15.

h.) In anno MDXXXI.

res quidem ſic *(i.)* habent: ERASMVS ROTERODAMVS, NICOLAO OLÁHO, *S. Animum iſtum Tuum, humaniſſime* NICOLAE! *lubens exoſculor, tuum nomen, inter præcipuos amicos adſcripturus. Optimæ reginæ pietatem, & humanitatem ſingularem, frequenter mihi ſuis litteris deprædicauit Henkellus, cuius auctoritas plurimum apud me habet ponderis. Ceterum, reginæ nomine, ad me nulla venit littera, nec ipſius, nec aliena manu ſcripta. Si veniſſet epiſtola, fuiſſet mihi in moleſtiſſima valetudine, magno ſolatio. Ignoſce breuitati, adhuc tenellus ſum, & ſcribo multis. Sereniſſimæ reginæ precor omnia fauſta lætaque. Bene vale! Friburgi, ſeptimo die Iulii MDXXX.* Coniicias, ex litterarum argumento, reſponſorias eſſe, ad primas *Nicolai*, a quo monitus fortaſſe fuit, vt reginæ, a qua magni fieret, ſuum teſtaretur animum. Altera epiſtola, vti prolixior, ita argumenti inſignioris, iſtiusmodi *(k.)* eſt: ERASMVS ROTEROD. NICOLAO HOLÁHO *S. Non mediocri mihi ſolatio eſt, mi Nicolae! quod hoc ſeculo, quod nobis vndique tot gignit hominum portenta, quoque fides, caritas & humanitas, non modo friget, verum etiam prorſus extincta ſepultaque videtur, reperiuntur adhuc ingenia, ſincera candidaque; vnde ſpes eſt, aliquando fore, vt aureum illud genus mortalium ζωπυρέσθαι. Aliquot amicos habui ſic addictos iuratosque, vt, vel vitæ ſuæ diſpendio, meis commodis conſulturi viderentur, ſi res ita tuliſſet. quos nunc patior hoſtes, plus quam capitales, adeoque deſierunt eſſe amici, vt homines etiam eſſe deſierint. Nulla priſtinæ conſuetudinis, nulla meritorum memoria, nulla fidei religio, nullus humanitatis ſenſus, reuocat illos a maleficiis. Quæ res, vt mihi veteres amicos, qui in fide perſtiterunt, reddit cariores; ita nouos, ſi qui obtingunt, maiorem in modum commendat. Ipſe, ſimplici natus ingenio, delector candidis amicis. qualem tibi eſſe, tum ex litteris tuis, tum ex Quirini mei narratione, mihi videor liquido deprehendiſſe: vt tuis munuſculis, alioquin lepidiſſimis, mihique gratiſſimis, nihil fuerit opus. Penitius eſt impreſſum animo meo,* HOLÁHI *ſimulacrum, quam vt inde poſſit reuelli, aut aboleri: perquam grata fuit tamen, iſta tua ſuperuacua ſollicitudo; quippe quam, intelligo, ab amoris abundantia, proficiſci. Hoc quoque voluptatis adferet mihi, cochleare tuum & fuſcinula, quod hac certe ratione,* NICOLAVM *meum habiturus ſum conuiuam, ac ſubinde licebit amiculis dicere.* HIC EST MEVS ILLE HOLÁHVS! *quando reliquam vitæ conſuetudinem inuidere nobis fata. Libet autem vtriusque felicitati gratulari: tuæ, cui contigerit apud eam, qua inter principes feminas nulla eſt, neque humanior, neque moribus ſanctioribus, honorificum tenere locum: meæ, qui tam candidum habeam amicum, apud præpotentem dominam, cui magnopere velim eſſe commendatus. cuiusque in me fauorem optarim eſſe perpetuum. Ad id, quantum habeat momenti beneuolus conuictor, iam pridem experimentis compertum habeo. Et, ſi non mentitur vetus Græcorum prouerbium*

i.) Tomo III. Operum ERASMI, p. 994. editionis Baſilenſis *Hieronymi Frobenii* An. MDXL.

k.) Pag. 1024. ibidem.

bium, ſimile, ſimili amicum eſſe, non dubito, quin illi pro morum tuorum ſinceritate, proque ingenii candore, ſis egregie carus. Nec me fugit, quantum illa valeat, apud Germanos ſuos, Cæſarem CAROLVM, *& regem* FERDINANDVM. *Quorum fauor, ſi me deſtituat, non video, qui poſſim aduerſus tot portenta ſubſiſtere. Hactenus certe præſtiterunt, quidquid ab amiciſſimis principibus exſpectare debui. Supereſt, vt gratiarum auſpiciis, pulcherrimum hoc certamen inter nos decertemus. in quo, quo maiore contentione nitemur, hoc erit firmior amborum amicitia. Sanctiſſimæ reginæ* MARIAE, *precor felicitatem plurimam. Bene vale. Dabam apud Friburgum Brisgoiæ. Non. Octobr. Anno MDXXX.* Iſta, inter OLÁHVM, & ERASMVM, animorum fuit coniunctio, haud ea quidem temporaria: quod ex luctu *Nicolai*, coniicias, quem ERASMO, fatis concedenti impendit. Ita enim apud TIMONEM, ad annum MDXXXVI. legas:

Non DESIDERIO, *ſed fato eſt functus* ERASMVS;
Et tamen amborum nomine nunc gemitur.

Idem annus, fratri quoque ſuo *Matthæo*, emortualis fuit, viro, de *Százváraſienſibus*, quibus, Iudex Regius præfuit, ſingulariter merito. Ex epicediis, quæ *Belgæ* fatis functo ſcripſerunt, cognoſcas, quanti ab ea gente *Oláhus* ſit habitus. Nomina ſingulorum TIMON exhibet. Atque hac quidem exiſtimatione, foris valuit OLÁHVS; reginæ autem, cui a ſecretioribus erat conſiliis, tam erat acceptus, quam qui acceptiſſimus. *Petrus Nannius, Nicolai,* in reginæ miniſterio, collega, qui leſſum *Matthæo*, & ipſe cecinit, & lugubria aliorum carmina, vno faſce edidit, auctor eſt: MARIAM *Viduam, nulla alia lingua, cum Oláho, niſi latina, loqui ſolitam fuiſſe.* Iidem hi anni, quos apud Batauos OLÁHVS extraxit, ATTILAM ei peperere, opus ſcitum, & ad illuſtrandas res Hungaricas adtinens. De eo PETRVS idem NANNIVS: *De Tuo* ATTILA, *& Hungariæ deſcriptione, quid ſentiam, ſæpius litteris meis teſtatus ſum. Cuius me iudicii numquam pœnitebit; niſi quod malignius videor & nimis parce, rei laudatiſſimæ, laudes impertiiſſe. Olim, carmine teſtabimur, quantus mihi videare.* Interim, munerum quæ in Hungaria obtinebat OLÁHVS, fructus ſine ceſſatione percipiebat. Adhuc enim, *Archidiaconus Strigonienſis*, & *Albaregalenſis Theſaurarius* fuit; breui, opimiore loco reponendus.

Nicolai, apud Belgas, exiſtimatio: apud reginam, gratia:

ſcribit inibi Attilam.

§. VI.

OCtennium, in hac virtutis paleſtra, ſudauerat OLÁHVS, cum ad reuiſendam Hungariam, recolendaque Sacerdotia, Cæſare & Regina, permittentibus, animum adiecit. Ita de ſe ipſo in Chronico: *Anno MDXXXIX. Nicolaus Oláhus, rediit ex Flandria, Viennam, & Hungariam.* Vix annum iſthic exegerat, vbi redeundum iterum ad Reginam fuit fungendumque munere, a quo eum pe-

Redit poſt octennium in Hungariam:

iterumque reginam reuiſit:

arceſſitur a Ferdinando:

regrinatio auocauerat. Sed, quia ita in fatis erat, vt, quos dudum meruerat honores, tandem adgrederetur, relicta anno MDXLII. MARIA, vti voluntati FERDINANDI obſecundaret, in Hungariam rediit. E re eius acciderat, vt ſub idem fere tempus, *Simon Erdödy*, Zagrabienſis Epiſcopus, annis & morbis grauatus, vitam, cum morte commutaret, locumque adeo OLÁHI faceret dignitati. Enim vero, *eius Sacerdotium, quod felicioribus temporibus, admodum opulentum erat*, FERDINANDVS, Nicolao Oláho, *ſuo Cancellario, qui e Belgio* ab MARIA *Regina, paullo ante redierat, liberaliter donauit*; vti habet ISTVÁNFFYVS, *(l.)* *Oláhi* poſtea familiaris, an alumnus? qui, iam tum, *Cancellarium* FERDINANDI fuiſſe *Oláhum* ſcribit. Aliter de ſe ipſo NICOLAVS: *Sereniſſimus*, inquit, *Rex* FERDINANDVS, *nunc Imperator, eodem anno (MDXLIII.) & menſe Auguſti, creauit Nicolaum Oláhum, Pragæ, in Epiſcopum Zagrabienſem, & Cancellarium Hungariæ.* Niſi ita rem concilies, vt, quem ante, ad id muneris adhibuerit, tunc demum, dato diplomate, palam ſit profeſſus. Nam, diu in intimis a FERDINANDO habitum fuiſſe OLÁHVM, non vno conſtat indicio. Neque virtus viri, vndiquaque optimi, aliter meruit. Erant tunc periculoſiſſima tempora, quibus ille & conſilio, & ope, ita moderabatur, vt haberet, FERDINANDVS, cui penitiſſima quæque committeret. Ceterum, infulam eam, in hunc modum ISTVÁNFFYVS, *(m.)* OLÁHO gratulabatur:

ſit epiſcopus Zagrabienſis:

& Cancellarius regis:

Sed iam quindenos orbes ſol aureus alto
Voluebat cælo, & toties ſua ſigna remenſus
Adtulerat longos ægris mortalibus annos, &c.
Continuo Diuum templis ſacrisque regendis
Te vetus & turrita ſuum Zagrabia cepit
Pontificem, ac placidam cinxit prima infula frontem.

Præfuit gemino muneri, ſumma cum laude. FERDINANDVM profecto, præclaris, de ſe, & vtraque republica meritis, facile induxit, vt eum ex *Zagrábienſi* epiſcope, in opimiorem *Agrienſem* transferret. Memoriam beneficii, quod a FERDINANDO accepit, ipſe OLÁHVS, ad poſteros transmiſit, in breui ſuo chronico: *Eodem*, inquit, *anno MDXLVIII. creauit Sereniſſimus Rex* FERDINANDVS *Poſonii* Nicolaum Oláhum *in Epiſcopum Agrienſem, viceſima octaua Nouembris, & poſtea ibidem publicauit, duodecima Decembris*. hoc eſt, eodem prorſus tempore, cum eius anni comitia exierant. Vix eam tiaram capeſſiuerat OLÁHVS, cum *Turcæ* obſidionem *Agriæ* minari. Ergo, ad defendendam arcem, nouus ſe præſul comparat, immiſſoque acri præſidio, hoſtem, ſi venire contingeret, forti & impauido animo retundendum, ducibus mandat, ſuppetiasque pollicetur. Sed, *Turcæ*, deſtinata, anno demum MDLII. tametſi, quæ Dei fuit gratia, conatu irrito, exſequuti ſunt. Meminit eam obſidionem ipſe OLÁHVS: *Anno MDLII. capto fortalitio Zolnok, arx Agrienſis, per Ahmat Baſſam, & Beglerbegum, obſeſſa eſt &*

transfertur ad Epiſcopen Agrienſem:

Turcarum, aduerſus arcem eam, molitiones:

obſidio irrita:

l.) Lib. XVI. p. 274, 10.

m.) Apud TIMONEM, ad annum MDXLIII.

& oppugnata quadraginta duobus diebus; virtute tamen & fortitudine Stephani Dobó de Ruſzka, & Stephani de Mecske, *capitaneorum, & aliorum ſeruitorum* Nicolai Oláhi, *Epiſcopi Agrienſis; ceterorumque militum regiorum, viriliter defenſa.* Aberat tunc ab Epiſcope ſua NICOLAVS. Itaque, litteris *(n.)* eum *Dobó*, quin & regem ipſum, ſollicitabat, vti qua poſſet celeritate maxima, dubiis rebus ſuis ferret ſuppetias. Auxiliis ergo, quæ cogi poterant, immiſſis, quid ageret, quam vt pro auerruncando hoſte ab Epiſcope ſua, priuatim, & ad aras publice deprecaretur. Victoriæ certe nuncios, vti FERDINANDVS numis aureis centum; totidem argenteis MAVRITIVS Saxoniæ Dux; ita OLÁHVS, addito, ſingulis, poculo aureo, remuneratus eſt; deditque poſtea, operam, vt diſcedenti præfectura *Doboni*, *Georgius Litteratus* cum *Paullo Sárkándio*, Agriæ præficerentur.

quibus defendentibus:

Nicolai *ſollicitudo:*

munera, inter nuncios victoriæ, diſtributa.

§. VII.

Creatur Archiepiſcopus Strigonienſis:

His malis, præſule OLÁHO ſimul, defuncta fuit *Agria*, ad inſulam *Archiepiſcopatus Strigonienſis*, vir ſummus, FERDINANDI indulgentia voluntateque, euocabatur. Non poſſumus eius dignitatis mentionem habere adcuratiorem, quam ex chronico illo *Nicolai: Anno MDLIII. Septima die Maii, Sacra Maieſtas Romanorum, & Hungariæ Rex, Sopronii, in publica Diæta, creauit & publicauit* NICOLAVM OLÁHVM, *Archiepiſcopum Strigonienſem. Quo anno, vigeſima quinta Iunii, Sereniſſimam etiam Dominam Catharinam filiam ſuam, viduam Ducis Mantuæ, Sereniſſimo Regi Poloniæ, Sigiſmundo Auguſto, deſponſauit Viennæ, miniſterio ipſius Archiepiſcopi, in monaſterio Fratrum Beati Auguſtini.* Neque contraibat *(o.)* electioni huic ſummus Pontifex: quippe, quod cognitam habuit viri integritatem ac ſolertiam, quam is, ad *Concilium Tridentinum*, anno MDLII. miſſus, teſtatam ſedi Romanæ fecerat. Hauſimus rem, ex lucubrationibus Tyrnauienſium *(p.)* eruditorum: *Anno MDLII. ad Sanctiſſimum illud Patrum Eccleſiæ Catholicæ, Senatus-Conſultum, Tridentum euocatus, celebratæ ſeſſioni decimæ quintæ, interfuit. Quia vero, ob tumultus Germaniæ, antiſtites plerique ad tutandas Eccleſias ſuas, domum redire debuerant, ex adſenſu* IVLII III. *Pontificis maximi, concilii continuatio ſuſpenſa eſt, ad tempus quietius iterum reſumenda: Patres congregati, omnes ſunt dimiſſi, die XXVIII. Aprilis.* NICOLAVS *quoque noſter, Hungariam repetiit.* Id miror, nihil in breui ſuo chronico, hac de legatione, meminiſſe OLÁHVM. Certatim eruditi viri, plauſus edebant, quibus *Nicolai* Archiepiſcopatum adprobarent, gratularenturque viro, omnium meritiſſimo, ampliſſimum ſacerdotium. ISTVÁNFFYVS certe pluribus poſt annis, quid optarit præſuli, ad hunc modum cecinit:

adprobatur a Pontifice, ob quæ merita:

plauſus eruditorum, & in his Iſtvánffyi:

Poſt

n.) ISTVANFFYVS Lib. XVIII. p. 337. 43.

o.) Enimuero, confirmauit NICOLAO Archiepiſcopen, anno ſequente, MDLIV. tertio Nonas Auguſti.

p.) *Progreſſu Almæ Archiepiſcopalis Societatis Ieſu Vniuerſitatis Tyrnauienſis, &c.* p. 16.

Post etiam Auguſtus Cæſar, qui ſceptra gubernat
Pannoniæ, imperioque alios ſupereminet omnes:
Quique ſacer Romana tenet Capitolia Præſul,
Cui Tuſcus Tyberis, Tarpeiaque culmina parent,
Et victrix colles ſubmittit Roma latinos;
Concordes, iunctisque animis, Tibi iura dederunt
Strigonii moderandi ſoli, ritusque ſacrorum
Tractandos, ingens vitreis vbi voluitur vndis
Danubius, celeremque ſuo Granum excipit alueo.
Quæ Tibi ſceptra Tua inſignis prudentia virtus,
Nobilitas, cultum ingenium, probitasque fidesque
Ac conſtans pietatis amor, verique cupido
Addidit, & magnis longa experientia rebus. cetera.

redimit Præpoſituram Thúróczienſem:

Atque, eum ſe omnino præbuit Oláhvs quem præſagiebant futurum, non clientes modo, ſed etiam princeps. Initio ſtatim Archiepiſcopatus, *Præpoſituram Turóczienſem*, ære, quo erat obruta, fœneratoribus repræſentato, redemiſſe *Nicolaum*, Timon *(q.)* nos docuit, rei ſimul geſtæ, adſcripta occaſione. Ferdinandvs, inquit, *tertio die Nouembris, ibidem*, (Auguſtæ Vindelicorum) *contulit Præpoſituram Turóczienſem*, Thomæ Vardaio, *ea lege, vt intra vnum annum ſacris initiatus, habitum ordinis Præmonſtratenſis induat, pluresque in ordinem adgreget, qui functiones diuinas rite obeant. Quorum, cum ille nihil præſtitiſſet*, Nicolaus Oláhus, *Præpoſituram, ære alieno obrutam, poſt ſexennium, ſua pecunia redemit.* Creuit, hac liberalitatis ſignificatione, præſulis noui exiſtimatio. Neque minori ſtudio, in eam curam incumbebat Oláhvs, vt, ſubductos temporum iniuria reditus Archiepiſcopatus Strigonienſis, pro virili ſua, redintegraret. Et fuit omnino hæc eius diligentia, multi fructus. Enimuero anno MDXLIV. *(r.)* id æquiſſimis precibus, a Ferdinando obtinuit, vt præfectus ærarii Cibinienſis in Tranſiluania, *Ladislaus Vas*, id eſt, *Ferreus*, ſibi, vti Archiepiſcopo Strigonienſi, de more antiquo, ex vectigalibus regiis, demenſum penderet. Porro, arcem *Ujvár*, quam *Vardanus* communire cœperat, iis operibus, incinxit Oláhvs, vt vulgo, iam tum, *Oláh-Ujvár*, vocitari cœperit: quod nominis *Paullus* quoque *Gregoriantzius*, nihil dubitauit, in ſua commentaria, *(s.)* referre. Reliqua, ſummi viri, occupatio, eo pertinuit, vt cum Sacræ, tum ciuili reipublicæ, quam poſſet, diligentiſſime, velificaretur. Et anno quidem MDLIX. *Iohannem Victoriam, de Societate* Iesv, in Hungariam euocauit; dataque optione, *Tyrnauiæne*, an in *Præpoſitura Thúróczienſi*, quam redemerat, ſedem vellet ordini ſuo conſtituere; placuit *Victoriæ* Tyrnauia, quod & Scholis aperiundis videbatur accommodatior, & *Patribus* accipiendis, multo, quam arx illa, aut cœnobium,

eius rei occaſio:

cura, redituum Archiepiſcopatus:

arcem Ujvár communit:

Ieſuitas *in Hungariam arceſſit:*

q.) Anni MDXLVII. fine.

r.) Adi, ad hunc annum Timonem.

s.) Poſſidemus ea, manu exarata, ac propediem, in *Adparatu ad Hiſtoriam Hungariæ*, bono cum Deo, lucem adſpectura.

bium, opportunior. In diſpenſandis ſacris muneribus, non tam fauore vſum, quam iudicio, eius ætatis annales memorant. Vt autem in officio contineret *Clerum*, indicta, Anno MDLX. *Tyrnauiam*, in menſem Aprilem, *Synodo*, quam *Diœceſanam* vocant, multa de doctrina, deque moribus ſacerdotum, ſanciuit; quæ iam non vacat heic *(t.)* intertexere. Iterabatur, anno ſequente Synodus, eo quod, Pii Pontif. Max. legati, ad Cæſarem venerant, vti continuandi *Concilii Tridentini* rationes inirent. Eo, *Nicolaus* quoque, peculiaribus litteris inuitabatur. Proinde, vti maturius, & de legatis conſtitueret, & quæ horum ſint futuræ partes, profeſſa opera, & collatis Venerab. *Cleri* ſententiis, conſuleret; Synodum Tyrnauiam, menſe Aprili, edicit. Atque legatorum quidem munus, *Iohanni Kolosvári* Csanadienſi Epiſcopo, & *Andreæ Dudithio*, ſiue *Sbardellato*, Tininienſi præſuli, *(u.)* demandatum eſt, ſcriptæque iterum ſanctiones fuere, quibus mores *Cleri* emendarentur.

Synodum diœceſanam Tyrnauiam indicit:

eandemque iterat, quibus de cauſis?

§. VIII.

Celebritas Oláhi; & in rebus gerendis, adſiduitas.

His rebus geſtis, *in magna celebritate nominis*, apud omnes verſabatur Oláhvs; apud principem autem gratia, vnus omnium maxime valuit. Præterquam enim, quod perpetui ac ſummi *Cancellarii* munere, continuo fungebatur; inter eos certe, qui conſilio res Hungaricas moderabantur, primas tenuit, deditque, cum amoris in patriam, tum fidei in regem, documenta numquam intermoritura. Quibus rebus factum eſt, vt nihil vnquam de republica ſtatueret Ferdinandvs, niſi rogata *Oláhi* ſententia. Offenderat *(v.)* Cæſarem repulſa, quam a *Nádasdio* Palatino tulerat, cum filium Maximilianvm, fruſtra Hungaris, regem creandum, ſe adhuc viuo, commendauiſſet. Ergo, vt eum fata, odio gratiæue Cæſaris, eodem illo MDLXI. anno, quo deſtinata eius interuerterat, exemerant, id dedit operam Ferdinandvs, vt antiquato eo magiſtratu, *Locumtenens* iterum regius, crearetur. Tunc vero, ſiue eo munere dignior, ſiue ferendo aptior, Nicolao, occurrebat nemo. Proinde, dato diplomate, vicarias eum regiæ dignitatis partes, per Hungariam obire iubet. Mirum, nihil eius rei in litteras retuliſſe Istvánffyvm, *(x.)* qui his temporibus, a ſecretis *Oláho* fuit. Timon, eius dignitatis acceſſionem, ad annum MDLXII. refert, Iongellinvs, & cum eo Szentivány, anno ſequenti interſerunt, quo Maximilianvs, diademate Hungarico, inauguratus in regem fuit. Placet Timonis ſententia, cum rationi conſentaneum ſit, ante *Locumtenentem* inſtitui debuiſſe, quam

fit Locumtenens:

potue-

t.) Synodi Capita, peculiari libro deſignata, *Viennæ* demum, in Collegio Societatis Ieſu, per *Raphaelem Hohalterum*, typis expreſſa ſunt.

u.) Vide, præter Timonem, ad hunc annum, Istvanffyvm Lib. xx. extremo.

v.) Rem geſtam memorat Istvanffyvs Lib. xx. p. 406, 7.

x.) Libro quidem xxi. p. 422, 43. *Senatus principem* vocat, nuſquam *Locumtenentem*.

potuerit diademate, rex nouus, redimiri: quippe qui, *Palatini* partibus, in ea ſolemnitate, defungebatur. Diſerte TIMON: *(y.)* FERDINANDVS *Imperator, minus facilem in ſe, ac filium, expertus Palatinum, neglecto eo magiſtratu, vicarium in Hungaria ſuum,* NICOLAVM OLÁHVM *pronunciauit.* Poſtea, *Stephani Radetii*, Archidiaconi *Sasvárienſis*, verſus recitat, quibus ille, nouos honores, *Oláho* gratulabatur, qui iſtiusmodi ſunt:

Munera ſunt Diuum, (mundo ſapientia lux eſt)
Quidquid habent ſuperi, quidquid & orbis habet.
Ipſa quidem reges, regum quoque dirigit aulas,
Ipſa ſuos certis, legibus ire iubet.
Ipſa hominum lactat mores & regna gubernat,
Sola ſuper cunctos, ſceptraque ſola tenet.
Nil rectum cernas, deſit ſapientia rebus
Nil firmum ſtatuas, dum procul illa migrat.
Magna igitur laus eſt, Diuis pro munere tanto,
Magnus honos ſemper regibus eſſe ſolet;
Aſt illis, quorum ſapientia regna gubernat
Qualis honor merito, Cæſaris eſſe poteſt:
Namque ſuis Hunnis, magnum præfecit Oláhum
Virtus iam pridem, cuius ad aſtra nitet.
Non melior potuit regum contingere ſceptro
Non hominum quisquam conſociandus huic.
Viue diu Cæſar! viuas felicibus annis,
Atque Tuo felix præſule, ſceptra rege!

coronat Maximilianum:

Sed breuior honoris vſura, OLÁHO fuit, quam, ſeu clientelæ eius, quas ampliſſimas habebat, ſeu princeps optimus, voluiſſet. Inaugurauit tamen ritu patrio, in baſilica Piſonienſi, MAXIMILIANVM; regum omnino primum, qui iſthic coronabatur; deduxit FERDINANDI funus, pompa, quæ tantum regem decuit, maxima. Poſtea, in eam curam incubuit, vt coacta tertium, apud Tyrnauienſes, ſynodo, Eccleſiæ rebus conſuleret. NICOLAVS OLÁHVS, inquit TIMON, *pro ſua in ſedem Apoſtolicam obſeruantia, non aliam forſitan ob cauſſam, quam vt decreta Tridentini publicaret, Synodum Diœceſanam, quamprimum conuocandam eſſe cenſuit. Quoniam vero optabat, vt curiones montanarum ciuitatum, qui ſe a conuentu priore ſubtraxerant, adeſſent; miſit ad inuitandos pelliciendosque eos, Iohannem Seidelium Ieſuitam. Qui quidem prouinciam ſibi commiſſam, non ſine grandi vitæ periculo, ſuſcepit; ſed nihil, quod operæ pretium fuiſſet, fecit. Nam magiſtratus numquam ei concionandi, publiceque agendi facultatem dedere: in priuatis vero colloquiis, reiectus explosusque fuit. Ex ceteris oppidis atque pagis, frequentes in Synodo comparuerunt.* Hæc ille ad annum MDLXIV. vbi ſimul coniecturam eius legas, *Tyrnauiæ*, decreta concilii Tridentini promulgata tunc fuiſſe. quod non eſt noſtrum diſputare; cum ea quæſtio; *(z.)* etiamne in *Hungaria*, eius concilii ſanctiones, ſint promulgatæ acceptatæque, longioris & a noſtro inſtituto alieni ſit ſubſellii. Poſt eam Synodum alia cura diſtrinxit *Oláhum.* Indulſerat laicis, in S. Synaxi, calicis vſum, PIVS IV. voluitque, vti, id in ſua diœceſi, Strigonienſis promulgaret. MAXIMILIANVS proinde, id in mandatis NICOLAO dedit, vti rem ſacerrimam, qua poſſet, maxima diligentia, procuraret. Quin & vrbes, miſſis litteris, ſaluberrimi inſtituti CAESAR *(a.)* admonuit. quæ ſingula, quia expromſimus alibi, non eſt neceſſe, iſthic recognoſcere. Impetrauerant iam tum a FERDINANDO P.P. Ieſuitæ, *Abbatiam Széplak*, in Comitatu Abaujvárienſi ſitam; cuius eis poſſeſſionem, MAXIMILIANVS, dato ad prouinciæ magiſtratus, diplomate, ſuo loco, a nobis intertexendo, anno MDLXV. prorſus adſeruerat. At enim, quia *Societas* demigrare, biennio poſt, ex *Hungaria* cogebatur; eandem illam *Abbatiam*, alendo Seminario Strigonienſi, a Cæſare, OLÁHVS impetrauit. quod operum eius, vltimum fuiſſe crediderim.

tertiam Synodum Tyrnauiæ celebrat:

vſum S. Cænæ ſub vtraque ſpecie, permittente Pontifice, iubente autem Cæſare, promulgat:

denique, Abbatiam Széplak, pro Strigonienſi ſeminario, a Cæſare impetrat.

y.) Ad annum MDLXII.

§. IX.

Mors Oláhi:

NEmpe, vix inierat annus MDLXVIII. cum NICOLAVS, morbo, quem ſenectus extra modum auxerat, oppreſſus, naturæ debitum reddidit. IOHANNES KAZY e S. I. *(b.)* iſthoc eum encomio, proſequutus eſt. *Fuit vir,* inquit, *variis artibus, ac ſcientiis, ſane illuſtris, latinarum, æque ac græcarum* (litterarum) *cognitione præditus, atque in paucis non modo præſulibus, ſed cuiuscunque ordinis reponendus. Artes bonas, non tam diſciplina magiſtrorum, quam induſtria propria ac priuata, condidicit; ſicut ipſe cecinit, in epiſtola ad* Emericum Kálnaium *quondam data, ſequentibus metris:*

eius encomium:

Imbuit ingenium noſtrum non Itala tellus,
Græcia nec cultas præbuit ipſa ſcholas.
Non noſtros etiam mores Germania finxit,
Non vrbs, quæ a Gracchi, nomine dicta fuit;
Terra Brabanta dedit nullos mihi docta magiſtros,
Gallia nec Charites ingenioſa ſuas.
Si quid ineſt nobis, quod multum exile fatemur,
Hoc furtim taciti, me docuere libri.
Nulla igitur cauſſa eſt, cur *Iano* conferar abs te,
Pannonio, eſt cuius multus in ore lepos.

z.) Tractauit, eam P. SZENTIVÁNY, Diſſertatione Paralipomenica, Catalogo LXXVII. In *Decretis Regni*, nihil reperias, quo ſeu neges, ſeu adfirmes quæſtionem.

a.) Eſt in manibus noſtris, regium MAXIMILIANI diploma, quo *Pontificis* eam indulgentiam, palam promulgandam voluit; additis conditionibus, quibus tenerentur, *ſub utraque, communicaturi.*

b.) In *Breui Commentario* Rerum, in Hungaria, Croatia & Tranſiluania geſtarum, initio eius anni, p. 54. ſequ.

In prouehendis, cum omnium disciplinarum, tum præsertim Poeticæ, cultoribus, valde benignus fuit. Inter hos, primo loco habebat Nicolaum Istvánffyum, Stephanum Radétium, Zachariam Mosóczium: *quorum quidem primus, Mecænatem suum viuentem, ad astra tulerat, tumulato parum encomii adiecit.* Hæc illic legas. Itane vero, in laudando Oláho suo, parcus fuit Istvánffyvs? Profecto extra modum, neque id ex instituto, sed ob iter. *Non multo post*, inquit, *(c.) Cæsar, octennales inducias publicauit, ac comitia* Posonium *indixit, in quibus* Verántivm, *alterum ex legatis*, Nicolao Oláho, *Archiepiscopo Strigoniensi, viro* pio & docto, *dum Verántius Byzantii esset, vita functo, successorem constituit.* Satis quidem ad laudem, *pium* dici *doctumque*; quod *pietas* in Deum, virtutum omnium compendium est; doctrina autem, rerum gerendarum lumen; sed decuit tamen, virum, quo, non patrono modo, verum altore etiam vsus est Istvánffyvs, eo impensius posteritati commendauisse, quo magis perspectam eius virtutem, habuit. Enim vero:

Istvánffii, *in laudando* Nicolao, *parcitas:*

Poscunt fidem viuentes, at mortui exigunt.

Quid? quod *Coruinam* originem, derogarit mortuo, quam viuo adseruerat, venusto quodam poemate, vbi in hunc modum cecinit:

Atque licet tanta, ducas ab origine nomen,
Inclyte Mecænas, vt tantum tertius hæres
A magno sis Hunyade, (namque illius olim
Dia Soror, specie Nymphis æquata, Marina
Edidit hasce Tuum genitorem in luminis auras)
Te tamen haud veteris laudes, vel gloria stirpis;
Sed proprii dotes animi, sed feruida virtus,
Maximaque in cunctis semper constantia rebus,
Extollunt, famamque Tuam inter nubila condunt.

Nihil moramur illustres adeo natales, quos iure optimo adtribuit, summo ex se, Oláho: illud non caret adsentationis suspicione, quod mortuum, quam viuum, loco habuerit deteriore: cum laudes, respuant sæpe viuentes, mortui, suo quodam iure, a clientelis potissimum, deposcant. Conditus est *Tyrnauiæ*, in æde *Diui Nicolai*. quam primus, sedem Musarum fecerat, datumque *id* perpetuitati nominis, vt statua eius, sepulchro adstrueretur, cum epitaphio:

Epitaphium mortuo positum:

SEPVLTVRA REVERENDISSIMI ET ILLVSTRISSIMI IN CHRISTO PATRIS, ET DOMINI DOMINI, NICOLAI OLÁHI ARCHIEPISCOPI STRIGONIENSIS, LOCIQVE ET EIVSDEM PERPETVI, ET COMITATVS HONTENSIS COMITIS, PRIMATIS HVNGARIAE, LEGATI

e.) Lib. XXIV. p. 507, 25.

GATI NATI, SVMMI ET SECRETARII CANCELLARII, LOCVMTENENTIS, ET CONSILIARII PER HVNGARIAM, NEC NON COMPATRIS, DIVORVM FERDINANDI, ET MAXIMILIANI IMPERATORVM, ET HVNGARIAE REGVM. MORITVR ANNO DOMINI M. D. LXVIII. DIE XIV. IANVARII. VIXIT ANNIS LXXVII. DIES QVINQVE.

Infra pedes:

Conditur hoc moriens tumulo Nicolaus Oláhi,
Qui præsul viuens Strigoniensis erat.

Luxere mortem viri, summi imique; familiares sui potissimum. In his, *Zacharias Mosóczius*, quem, ob artem, qua excelluit, Poeticam, magni faciebat, hoc eum epicedio prosequutus est: *epicedia.*

Annis & virtute simul, iam plenus Oláhvs,
Omnibus & regni perfunctus honoribus, vt se
Sedibus ingereret superum, atque astra videret
Sub se, quo mentem semper direxerat altam,
Omnia cum mundo vana hæc mortalia temnens,
Spe veræ vitæ, hoc posuit sua membra sepulchro.

§. X.

III. *Antonius Verántius.*

Succedit Oláho:

EXemto rebus humanis Oláho, non est passus Maximilianvs, diu vacare sedem Strigoniensem: vt, quam hic facit lacunam, Szentivanyvs, ea post *Verántii* fata, reponenda sit. *Vacabat dein,* inquit, *(d.) Archiepiscopatus, per multos annos, & diœcesis, quoad spiritualia, administrabatur per vicarios.* Enim vero, diserte Istvánffyvs *(e.)* Antonius Verántius:

Verántium, alterum ex legatis, Nicolao Oláho, Archiepiscopo Strigoniensi, viro pio & docto, dum Verántius Byzantii esset, vita functo, successorem, Cæsarem constituisse. Quod quidem προέγμα, ipse demum auctor *(f.)* emendauit. Fuit vero, Antonivs Verántivs, gente *Dalmata*, patria *Sebeniczienſis*, quod loci nomen, laudato Szentiványio, egregie imposuit, vt *Cibinienſem*, forte Transiluanum, crediderit: geminum enim *Cibinium* est; maius alterum, in Transiluania, alterum minus, apud Sárosienses in Hungaria. Occasionem errori datam puto, quod Iohanni Regi, multam operam nauauit *Antonius;* vt crederent, natalium eius ignari, Saxonica *eius patriæ*

d.) Dissertatione Paralipom. Catalogo XII. p. 65.

e.) Loco supra citato.

f.) In continuatione Dissertationis Paralipomenicæ, §. III. Adnotationibus ad Catalogum XI. p. 65.

xonica gente, *Cibinii* editum fuiſſe. Enim vero, id in eius epitaphio quod infra dabimus, legas, multis variisque legationibus, ſtatim ab ineunte ætate, in primis quidem, nomine IOHANNIS, Regis Hungariæ, apud omnes fere Principes Chriſtianos, fuiſſe perfunctum. At enim, quomodo ex Dalmatia, in Tranſiluaniam delatus ſit, VERÁNTIVS, iuxta cum ignariſſimis ſcio. Si tamen coniecturæ ſit locus, *Georgii Martinuſii*, qui multum apud IOHANNEM valuit, procuratione, id factum exiſtimarim: ob inſignem viri doctrinam, & ad res, cum fide agendas, præclaram indolem. Neque magis liquet, quemadmodum, ad epiſcopen *Quinqueeccleſienſem* pertigerit: niſi velis credere, eiusdem *Georgii Monachi*, FERDINANDI partes amplectentis, patrocinio, ſtratos ei, ad dignitatem illam, gradus fuiſſe. Iam enim, an. MDLIV. tertio Nonas Auguſti, confirmatum in ea ſede, a Summo Pontifice fuiſſe, ſatis conſtat. Inde, quadriennio, Quinqueeccleſienſi dioecesi præfuit; ſed anne conſecratus nondum? quod vult SZENTIVÁNY *(g.)* non auſim adfirmare. Anno certe MDLVIII. tiaram *Agrienſem* capeſſiuit, biennio poſt, decimo Sexto Calendas Auguſti, a Romano Pontifice, adprobatus. Qua iam tum fama, quaque auctoritate floruerit, PAVLLVS MANVTIVS, data ad eum epiſtola teſtatus eſt. quæ, quod, neque nota multis eſt, & teſtimonium perhibet de viri laudibus, hic eam interſerendam putauimus; vt conſtaret popularibus, quos tunc præſules habuerit patria noſtra. Eſt vero iſtiusmodi: *Cum* (Dudithius) *tui ſtudioſiſſimus, præclaræ non ſolum indolis, ſed etiam virtutis adoleſcens, proxime reuerſus e Pannonia, tuo me nomine ſalutaſſet; atque hoc officium iis verbis, quæ facile tuum de me iudicium declarabant, ſubſecutus eſſet; cepi ſane voluptatem incredibilem, nec mediocres habui gratias Deo Optimo Maximo, cui ſoleo, ſi quid optabile contigit, acceptum referre, & a quo, ſi quid contra, ſperare meliora. Nec vero tua mihi quidquam amicitia, vel ad meam laudem illuſtrius, vel omnino amplius poſſum exiſtimare; cuius audio fortunam a multis ita laudari atque extolli, vt nemo tamen ſit, quin fortunæ virtutem anteponat. Atque ego te cum ante aliquot annos, commotus fama laudum tuarum, diligere & obſeruare cœpiſſem; animumque meum probare tibi litteris, vehementer vellem: pudor vetuit, non omnino fortaſſe improbandus; meque, ab hoc deterrere conſilio, & quaſi reprehendere, natura mea, maxime ſemper eſt viſa, quid? tune talem virum, grauiſſimarum rerum onera ſuſtinentem, deditum ſtudiis præſtantiſſimarum artium, inani ſcriptorum genere, adpelles? reuocabat ratio, & habendam mihi, tum dignitatis tuæ, tum modeſtiæ meæ, rationem intelligebam. Sed profecto, a rectis mentibus non ambitione, ſed officio incenſis, diuina nunquam benignitas abeſt. qualem enim ego certe vix vnquam ſperare auſus eſſem, ea mihi nunc a te ipſo oblata facultas eſt: cui, de mittendo ad me emblemate, elegantiſſime, & in quo ſummam laudem ſtatuo, admodum pie conſcripto, venerit in mentem. quo ſum dupliciter affectus officio: lætitia*

obit Iohannis *nomine, legationes varias:*

quomodo in Tranſiluaniam venerit, coniectura:

ſit epiſcopus Quinqueeccleſienſis:

poſteaque Agrienſis:

Paulli Manutii, *ad eum, epiſtola.*

g.) Diſſertatione Paralipomen. Catalogo XIII. pag. 70. num. 35.

tia primum ex ipſa re: debet enim iucunda vehementer eſſe amoris ac iudicii, a tali præſertim viro, profecta ſignificatio: deinde, moleſtia quadam, quod, qui humanitate vinci non facile patiar, nunc quidem, a te captus atque oppreſſus tantum in hac virtute, qua nulla magis hominem decet, tibi concedam neceſſe eſt, quantum in aliis, quibus te Deus ornauit, & induſtria tua, minime paucis: quarum fama non Germaniæ, aut Pannoniæ, continentium regionum ambitu terminatur, ſed Europam, quanta eſt, ac pæne terrarum orbem, iam peruolitat vniuerſum. verum tamen, ſi tibi, magnis locorum ſpatiis diſiuncto, ſingularem animi mei, ad te amandum colendumque, propenſionem oſtendere minus poſſum: apud eos ſaltem, qui meam vocem audiunt, meisque ſæpe ſermonibus interſunt, tuam doctrinam, eloquentiam, in primis vero, puram, ab omni labe, religionem, aſſidue prædicando, profecto ipſe mihi aliqua ex parte, ſatisfaciam. nec tamen ita ſterilem cognouimus induſtriam noſtram, licet mihi laudem ingenii nullam adſciſco, quin ea fructum aliquem, qui ad tuum decus pertinet, nec ſine tua gloria peruulgetur, aliquando ferre poſſit. quod adgrediar, ita libenter, & ita ſtudioſe curabo, vt euentus futuri lætitiam auide præripiam: deque eo, quod nondum præſtiti, iam nunc, perinde ac ſi præſtiterim, ipſe mihi gratuler, & huius quidem veluti prædem promiſſi, meæ teſtem voluntatis, hanc ad te mittendam epiſtolam putaui. Vale. Venetiis. Hæc ille, pro more ſuo, copioſe & eleganter, in laudem *Verántii*.

§. XI.

TAnti ergo viri operam, egregie in communem reipublicæ ſalutem vertebat FERDINANDVS, dum placando *Solymanno*, cum collega *Franciſco Zay*, legatum Conſtantinopolim mitteret. Nempe, *Temesváro*, & *Szolnoco* amiſſis, tametſi reiectus ab *Agriæ* obſidione fuerit Turca; metuebat tamen, reliquæ Hungariæ, Cæſar, ne eam hoſtis, tot elatus victoriis, prorſus corriperet. Rem, haud ſuſpenſis armis, per legatos agere viſum eſt. FERDINANDVS ergo, *(h.) cum mature facto opus eſſet, non diu moratus,* ANTONIVM VERÁNTIVM *Epiſcopum Quinqueeccleſienſem,* & FRANCISCVM ZAYVM, *claſſis Danubianæ præfectum, viros experientes, rerum & linguarum peritos, extraordinariæ legationis nomine, ad Solymannum, cum magnis muneribus mittendos deliberauit.* BVSBECKIVS, Verántium noſtrum, cuius poſtea, in ea legatione collega fuit, *Wrantzium*, ac præterea, iam tum Agrienſem epiſcopum vocat: FERDINANDVS, inquit, *(i.) pacta, quæ nec vi, nec dolo, cum Waiuoda inita fuerant, irrita fieri nolebat; neque Tranſiluaniam dimittebat. Quæ, vt Turcis probarentur, miſſi eo, Antonius* Wrantzius, Dalmata, *Epiſcopus Agrienſis,* & Franciſcus Zay, *earum nauium, quas Hungari Naſſadas vocant, Trierarcha: vterque propter fidem & induſtriam, in primis regi acceptus.* Non moror cogno-

Mittitur a Ferdinando, *legatus, Conſtantinopolim:*

h.) ISTVANFFYVS, Lib. XIX. initio.

i.) Epiſtola, de *Rebus Turcicis* I. p. m. 7.

gniomen; id non capio, quomodo iam tum, hoc eſt, anno MDLII. tunc enim Turcica legatio inierat, *Epiſcopum Agrienſem* dicere potuerit: idque ea epiſtola, quam BVSBECKIVS, Conſtantinopoli redux, anno MDLIV. Kalendis Septembribus, Viennæ dederat. *Franciſcus* certe *de Ujlak* antiſtes Agrienſis, *Oláho* ſuffectus, anno demum MDLV. Calendis Februarii, e viuis exceſſit. carebatque Agrienſis Eccleſia, triennio, præſule, dum *Verántius*, tiaram capeſſeret. Ceterum, legatio, quam apud tyrannum obibat, difficilis admodum fuit, & impedita. Ac primo quidem, exorandus erat *Solymannus*, vti *Iohannem Mariam Maluetium*, FERDINANDI oratorem, e carcere ſeptem turrium, dimitteret. Huc eum compegerat Turca, ob Tranſiluaniam a FERDINANDO occupatam, quod ille factum eſſe conſtanter negauerat. Cum poſtea, id, quod e dignitate principis ſui fuerat, vrgere inciperent legati, aſperius habiti, & cum exigua induciarum ſpe, in hoſpitia dimiſſi ſiint. *Maluetio* tamen, litteræ a *Solymanno* datæ, quas ad FERDINANDVM perferret, indeque redux, pace confecta, oratoris munere Conſtantinopoli, poſtliminio fungeretur. Confecit *ille iter*, iamque redibat *cum* FERDINANDI reſponſo, cum morbo primum, quem ex carceris moleſtiis contraxerat, *mox & fato*, *Comaromii* oppreſſus, *Busbeckianæ* legationi, locum relinqueret. Ne enim perferendis FERDINANDI litteris, mora iniiceretur, eum virum, nobilitate morumque elegantia, & litterarum cognitione inſignem, Byzantium mitti placuit, qui ſtudiis, cum *Verántio*, & *Zayo*, coadunatis, ſiue pacem procuraret, ſiue ea negata, inducias. Acceſſit ille Conſtantinopolim, decimo tertio Calendas Februarii, anno MDLIII. ibique collegas, quos diximus, reperit. Aberat eo tempore, cum exercitu, princeps Turcarum in Aſia: quod, vti remoram negotiis, ita legatis ipſis, neceſſitatem, in Aſiam traiiciendi, impoſuit. Transmittunt ergo fretum, Septimo *Idus Martii*, Amaſiam, Cappadociæ vrbem præcipuam, vbi erat *Solymannus*, acceptis ducibus profecturi. Longus eſt, in eo itinere deſcribendo, BVSBECKIVS *(k.)* quod hic non adtinet recognoſcere. Ventum eſt *Amaſiam*, ſeu, vt veteres numi habent, *Amazeiam*, Strabonis patriam, trigeſimo, quam Conſtantinopoli mouerant, die, hoc eſt, ſeptimo Idus Apriles. Iam, quid illinc actum ſit, ex BVSBECKIO, audiamus: *Venimus*, inquit, *Amaſiam, ad Supremum Baſſam Achmat, reliquosque, ſalutatum ducti ſumus. nam princeps ipſe aberat, egimusque de mandatis, quæ habebamus a Cæſare; Baſſis, ne cauſſæ noſtræ ſtatim viderentur iniquiores, haud admodum aduerſantibus, & totam rem ad principis ſui voluntatem, reiicientibus. Qui poſtquam venit, ſumus ad eum introducti; ſed ille, nec orationem, nec rationes noſtras, nec mandata, animo aut fronte, ſatis benigna ſuſcepit. Sedebat ipſe in ſolio perquam humili, ab humo haud altiore vno pede. Erat illud inſtratum pretioſiſſima plurimaque veſte ſtragula puluinisque, exquiſito opere elaboratis. Iuxta erant, arcus & ſagittæ. Frons, vt dixi, minime*

legationis eius difficultas: & rerum geſtarum ſeries:

ſequuntur Solymannum, legati, vsque in Aſiam:

quid illic, in vrbe Amaſia, geſſerint? verbis Busbeckii, *docetur:*

k.) Loco citato. p. 79. ſeqq.

minime læta, triſtisque in vultu, ſed tamen plena maieſtatis, ſeueritas. Singuli, vt ingreſſi ſumus, ad eum a cubiculariis eius deducti ſumus, brachia noſtra tenentibus. Ita enim fert eorum conſuetudo, ab eo tempore, quo Croata quidam, in vindictam domini ſui interfecti, Marci, Deſpotæ Seruiæ, petito colloquio, Amuratem occidit. Poſteaque veluti deoſculata eius manu, ad parietem oppoſitum, ceſſim ita ſumus reducti, ne illi tergum, aut vllam poſterioris corporis partem obuerteremus. Tunc ea me, quæ volui, dicentem audiuit. Sed cum exſpectationi eius non reſponderent; (erant enim Cæſareæ Maieſtatis poſtulata, plena dignitatis & libertatis, ideoque, ab eo, qui ſibi nihil negari debere putabat, minus æquis auribus accipiebantur) veluti faſtidiens, nihil aliud reſpondit, quam: Giuſel, Giuſel: *hoc eſt: pulchre! pulchre! Ita ſumus domum dimiſſi.* Hæc adſcripſiſſe placuit, vt conſtet, quo ritu, adiri ſoleant Turcarum imperatores. Sed hoc tanto itinere, atque faſtoſa adeo audientia, parum ad ſummam rei, *Verántius*, cum collegis profecit. Namque, pace *Amaſiæ*, cum Perſis, quos octennali bello fatigauerat *Solymannus*, compoſita, nihil, quod quidem æquitatis ſpeciem haberet, a Turcis *potuerunt impetrare: tantum de ſemeſtribus induciis*, dum deferri reſponſum referrique poſſet, conuenit. Proinde acceptis litteris, quas *Busbeckius*, ſecum aufferret, *Amaſia*, poſtridie Calendas Iunias, *Verántius*, Conſtantinopolim cum collegis, mouet, eoque die, menſis eiusdem vigeſimo quarto, pertingit. Huc, vbi ventum eſt, *Busbeckius*, a febre, qua per Aſiam adfligebatur, refectus, *Viennam* in iter ſe dedit: quod quale fuerit, ipſe, eleganti dictione, in litteras *(l.)* retulit.

labor legatorum, illic fruſtraneus:

Busbeckius, cum litteris Solymanni, Viennam redit.

§. XII.

MAnſit interea *Verántius*, cum *Zayo*, Conſtantinopoli, dum rediret *Busbeckius*: ſed quibus curis, quaque ancipitis animi exſpectatione, in illa barbarorum arrogantia, ſuſpenſus, vel cogitatu quidem difficile eſt. Iam enim tertius legationis annus inierat, cum *Busbeckius* referret, id quod a FERDINANDO repoſitum eſt, ad inſolentes Solymanni litteras. *Conſtantinopolim*, inquit ille, *(m.) veni initio Ianuarii, vnius de comitibus meis, defunctus iactura, quem febris ardentis impetus conſumpſerat. Collegas meos, (Verántium, & Zayum) offendi incolumes; ceterum, magnas in rebus Turcicis factas mutationes.* Vrſerat interea *Verántius*, cum *Zayo* Turcas, vti pacem, cuius cauſſa longas adeo moras nectebant, æquis conditionibus, maturarent. Sed adeo profecit nihil, vt viſi ſint barbari, in dies fieri tumidiores; quique, paci, quæ poſſent ſufflamina, ponerent, exquiſitiſſimo ſtudio. Increuit poſt *Busbeckii* aduentum, iniquiſſimæ gentis ferocia. Nam cum *Baſſæ*, vt eſt eorum mos, priusquam ad

Verántius, *cum collega Zayo, Conſtantinopoli manet:*

dum rediret Busbeckius:

ſed conatu irrito:

l.) Laudata epiſtola I. p. m. 121. ſequentibus.

m.) Epiſtola II. p. 137. Adde ISTVANFFYVM Lib. XIX. p. 355, 40.

Turcarum ferocia:

regem ſuum introducant, audire vellent, quid, nouo accepto nuncio, relaturi ad *Solymannum* eſſent; vbi viderunt, *Cæſarem* nolle de ſuo iure decedere; ſed cenſere æquum, ſeruari pacta, quæ neque vi, neque dolo, cum *Iohannis* vidua, eiusque filio, feciſſet; grauiter & indigne ferebant. Tantos, longinqui temporis felicitas, huic genti, ſpiritus fecit, vt nihil iniquum putet, quod velit, nihil æquum, quod nolit. Prolixum eſſet, minas, maleficentiſſimorum hominum adſcribere, quas ſcite proſequutus eſt *Busbeckius*, *(n.)* & ex eo ISTVÁNFFYVS. Vocabantur interim ad concilium purpuratorum, *Diuanum* adpellant, vti, quæ haberent, noua legationis capita, exponerent. Huc, cum collegis *Verántius*, ſolito amictus ſplendidius, comitatuque circumdatus faſtoſiore, dum acceſſiſſet; Turcis bilem mouit, munditiem eam cultumque, in *Solymanni* contemtum, interpretantium. Ab eo igitur tempore, durius tractare legatos, arctius incluſos tenere, neminemque pati introire, nulli, prodeundi poteſtatem facere, ac reliquis rebus omnibus, pene vt captiuos habere. Tulit eas iniurias, cum comitibus *Verántius*, eo excelſiore animo, quo maius in cauſſæ decore & honeſtate, ſolatium habebat repoſitum. Hæc, anno MDXLV. geſta cum legatis ſunt. Neque *mitior iis annus* ſequens fuit, ſi carceris illam ſpeciem demas. Parabat, iuſſu *Solymanni*, ad occupandum *Szigethum* expeditionem, *Aly-Eunuchus*. Is ergo, comparatis, quæ ad bellum erant neceſſaria, prius quam Byzantio abiret, legatos FERDINANDI ad ſe vocauit, quibus comiter habitis, ſe in Pannoniam, ad expugnandum *Szygethum* proficiſci, nequaquam diſſimulauit; tanta præfidentis animi iactantia, vt *Hungaros*, quorum vires atque vim, aliquot præliis eſſet expertus, non iam armis & gladiis, ſed tantum claua ferrea & fuſtibus, ſub iugum mittendos, iactabundus prædicaret, hortareturque, vt dilata omni mora, voluntati *Solymanni*, obſecundarent: ne, dum ipſi diſputando tempus, *inani* contentione, protrahunt, amiſſa patria, non habeant, quo reuertantur. Non ſibi temperarunt legati, quin forti animo eidem reponerent: *iret, quo haberet propoſitum, reperturus viros, qui clauæ ſuæ, non glandibus tantum eminus, ſed haſtis etiam, atque enſibus cominus, ſint occurſuri.* Vaticinatos dixiſſes legatos, ita ea expeditio, *Eunucho* male *(o.)* ceſſit.

Verántius, cum collegis ad Diuanum vocatur:

durius inde habentur:

Aly-Eunuchi aduerſus legatos, faſtus:

noſtrorum reſponſio vatidica.

§. XIII.

Legationis Veránti, *annus quintus; ſine fructu:*

IAm quintus legationis annus inierat, cum *nulla* ſe pacis, ſed ne induciarum quidem ſpes, oſtenderet. Moleſta ea mora, non *Verántio* modo fuit, & collegis; ſed *Cæſari* in primis, qui ſpe inducirum ſuſpenſus, hinc bellum patiebatur, illinc, reduce *Iſabella*, Tranſiluaniam amittebat. Proinde, dimiſſionem apud *Solymannum*, & purpuratos, omni admota ratione, legati quærunt. Rem ſic memorat

n.) Locis nunc citatis.

o.) Vide ISTVANFFYVM Lib. XIX. p. 359. ſeqq.

rat BVSBECKIVS *(p.)*. *Quum mei collegæ viderent, nos iam hic triennium (ſcilicet poſt reditum Busbeckii) operam ludere, neque de pace, neque de longioribus induciis, quidquam confectum eſſe, neque in poſterum magnam profectus ſpem oſtendi, niſi ſeram & longinquam; in id omni ſtudio incumbere cœperunt, vt dimitterentur: quumque eo res magno labore perducta eſſet, (neque enim, ſi quis huc ſe demiſerit, expeditum eſt, cum velit, reuocare gradum) vt* Suleimannus *deceſſioni adſentiret; tamen vna dubitatio relinquebatur, ipſine ſoli, (vt qui priores venerant) an omnes dimitterentur. Nam* Suleimannus, *ne videretur, ſi quem noſtrum retineret, pacis cupidior, eius rei optionem nobis relinquebat. Collegæ quidem, ad rem Cæſaris magnopere intereſſe putabant, remanere vnum; neque vero id erat obſcurum; neque mihi ſecus videbatur; niſi quod diſſimulandum & Turcos celandum arbitrabar. propterea, quoties eis præſentibus, fieret eius rei mentio, a manſione valde me abhorrere, præ me ferebam: fateri quidem veniſſe, vt oratoris ordinarii munere fungerer; ſed id, ſi de pace conueniſſet; incerta pace, non videre, qui manere poſſem, niſi aut contra, aut certe, præter domini mei voluntatem. Sic dimitti omnes verius,* (melius) *eſſe. Ita ego diſputabam, quo meliore conditione rogatus manerem.* Atque ita omnino euenit. *Augerius* enim *Busbeckius*, ingenio, fide, & ſolertia ſingulari, atque tanto par oneri, Conſtantinopoli relictus eſt, vt ad rem Cæſaris adtenderet. *Verántius* ergo & *Zay (q.)* conuaſatis reculis, anno MDLVII. exeunte Auguſto, iter adgrediuntur; nullum, tanti laboris periculorum, atque moleſtiæ fructum, alium relaturi, quam quod *Ruſtanes*, principis gener, qualemcunque induciarum ſpem, diſcedentibus iniecerit. Acceſſere *Viennam* extremo Octobri, ſub idem fere tempus, cum FERDINANDVS, iter, ad Germanica comitia adparabat. Accepti ſunt a Cæſare, benigne non minus, quam munifice. Nam *Verántius* quidem, ob exantlatos quinquennii labores, *Agrienſi* infula donatus eſt; *Zayus*, tardius licet, præfectura *(r.) Caſſouienſi.* Decennio poſtea, noua, ad *Selymum* legatione, *Verántio* defungendum fuit. Interierat, anno ſuperiore *Solymannus*; noſtri vero *Gyulam* hinc, illinc *Szigethum*, validiſſima propugnacula, amiſerant. *Selymus* ergo filius, ne quid paternæ famæ prodigeret, bellum & ipſe, aduerſus *Hungariam* comparat. Qua de re, ab *Alberto de Wüs*, oratore ſuo Conſtantinopolitano, qui *Busbeckio* ſucceſſerat, edoctus, ſuadentibus ipſis belli ducibus, pacem a *Selymo* petere conſtituit. Itaque, re, in comitiis, quæ *Piſonium*, ad Calendas Iunias anno MDLXVII. indixerat, publicis ſuffragiis comprobata, ANTONIVM VERÁNTIVM, Epiſcopum Agrienſem, antea quoque, quod prolixe diximus, eo munere, ſumma dexteritate functum, atque ex Germanis, *Chriſtophorum Tieffenbachium*, legatos *Byzantium*, cum muneribus & pecunia miſit. In iis, horologia erant, ſummo facta artificio, nec tunc vulgaria apud barbaros. Le-

dimitti cum collegis poſcit:

dimiſſionem obtinet:

venit cum Zayo, Viennam:

donatur, ob labores legationis, tiara Agrienſi:

decennio poſt, iterum Conſtantinopolim mittitur Verántius:

p.) Epiſtola III. p. m. 161.
q.) ISTVANFFYVS Lib. XX. p. 382, 18.
r.) Idem Lib. XX. p. 393, 9.

gatorum itinere cognito, *Selymus*, copias, quæ se ad expeditionem Hungaricam accinxerant, reuocat; quin & *Iohannem Sigismundum*, vti arma poneret, serio admonendum curat. Vt Byzantium delati sunt, pax octennalis non multo post, neque difficili negotio, innexis simul Transiluani rationibus, conficitur. cuius, cum aliæ fuerunt conditiones, tum hæc potissimum, *vt, quod quisque, bello superiore cepisset, id sibi haberet.* Redux ab ea legatione, *Antonius*, id præmii accepit, vt, quod iam memorauimus, *Oláho*, in Archiepiscope Strigoniensi, anno MDLXVIII. quem *Nicolao* emortualem fuisse diximus, sufficeretur. Nimirum, tantis, Verántivs, laboribus & periculis, aditum sibi ad cathedram Strigoniensem præstruxit, quantis, post eum, alius nemo.

pacemque octennalem conficit:

atque redux, Oláho *in Archiepiscope succedit.*

§. XIV.

Qvarto post anno, noua ei honorum accessio facta est, cum decedente *Locumtenentis* dignitate, *Paullo Abstemio*, Episcopo Transiluanienſi, administratore Nitrienſi, eodem magistratu, publico anni MDLXXII. comitio, a Maximiliano ornaretur. *Eodem tempore*, inquit Istvánffyvs *(s.) nondum soluto conuentu, Paullus Abstemius, Episcopus Nitrienſis, qui per quatuor retroactos annos, ab obitu Nicolai Oláhi, Archiepiscopi Strigonienſis, proregium in iure dicundo munus ac officium, gesserat; quod esset senecta ætate, annisque grauatus, (nam octogesimum septimum ætatis annum agebat) vehiculo in curiam vectus, sese magistratu abdicauit, eumque Cæsar,* Antonio Verántio, *qui Oláho succesſerat, contulit.* Gemino hoc, eoque summo, post regium fastigium, magistratu decoratus, Rvdolphvm Archiducem, in Regem Hungariæ inaugurauit: pro finibus regni, cum aduentaret, facunda oratione, cuius Istvánffyvs *(t.)* meminit, a se acceptum. Sub finem comitiorum, postulauerunt *Ordines* a Cæsare, vt circa sextum Calendas Maias, ad diem *D. Georgio* sacrum, *Eperiesini* ius dicendum iuberet, quod superioris Hungariæ incolis, longum & difficile iter *Pisonium* esset. Non negabat Cæsar æquissimæ petitioni locum, si iudices illud iter haud refugiant; quod neque a *Nádasdio* Palatino, neque ab *Oláho*, Locumtenente, impetrari potuisset. Cum igitur, ad *Verántium*, Archiepiscopum, qui summo eo magistratu, quem *Locumtenentem* vocant, fungebatur, & ceteros iudices *Tabulæ Regiæ*, (sic Hungari prætorium tribunal adpellare solent,) frequentes conuenissent, non magno labore obtinuere, vt *Eperiesinum* profecti, administrandis iudiciis se vacaturos, pollicerentur. In primis Verántivs, precibus nobilitatis obsequuturus, non senio, non viribus pepercit, quin muneri ei immoreretur. Cum enim sequentis anni MDLXXIII. vere, *Eperiesinum* accessisset, iamque dicundo iuri initium fecisset, febri, numquam non fatali senibus, correptus, anno ætatis sexagesimo

Quadriennio post fit Locumtenens:

inaugurat Rudolphum, *in regem Hungariæ:*

s.) Lib. xxiv. p. 523, 8.

t.) Lib. xxv. p. 530, 40.

mo nono, vitam cum morte commutauit. Istvánffyvs, tribus annis ætatem viri adauxit; sed præter rem. Corpus, loculo compositum, vti volebat moribundus, *Tyrnauiam* deuectum, conditumque est apud ædem *D. Nicolai.* Marmor tumulo instructum, hoc epitaphio hodieque conspicuum est:

moritur Eperiesini, cum iuri dicundo, operam nauaret:

eius epitaphium:

Antonio Verántio, Archiepiscopo Strigoniensi, Primati, Legato, Consiliario, Cancellario, ac Locvmtenenti Regio in Hvngaria: viro integritate, ac mvnificentia insigni: facvndia, rervmqve experientia, insigni, ceterisqve virtvtibvs ornatissimo: mvltis variisqve legationibvs, statim ab inevnte aetate, in primis qvidem nomine Regis Hvngariae, apvd omnes fere Principes Christianos, tvm vero vltimis dvobvs, nomine Serenissimi Imp. Ferdinandi I. ac Maximiliani II. apvd Solymannvm et selimvm, Tvrcarvm Principes, svmma fide ac solertia, atqve adeo, omnibvs reipvblicae cvris, honorificentissime perfvncto, de tota Christianitate optime merito, gratia postrema. Natvs Sibenicii. Obiit Eperiessii, annos natvs LXIX. dies XVI. MDLXXIII. XIII. Kalend. Sextiles.

Quanta, seu in coacèruandis reditibus fuerit temperantia, seu in erogandis munificentia, inde condiscas, quod grande æs alienum contraxerit. Salse id perstrinxit Kazvvs: *(u.) Propter æs ac pretiosam supellectilem, quam reliquisset* Verántivs, *parum, aut nihil fuit concertatum; nam nomina eius tanta erant, vt ad soluenda & infula, & pedum, vendi debuerint.* At enim, quas, Iohannis nomine, obierit legationes, *Antonius*, quarum meminit epitaphium, nuspiam reperio; neque eius apud *Wolffgangum Bethlenium*, qui res *Iohannis*, vnus omnium, diligentissime prosequutus est, quidquam exstat; vt procliue sit existimare, *Georgium Monachum*, vsum eius opera fuisse, in missionibus suis, quas & arcanas habebat, & multas.

paupertas.

§. XV.

Hinc vero demum, longa illa vacatio Archiepiscopatus iniit, quam passim queruntur scriptores Hungarici. *In Sacerdotio, apud Hungaros principe, nullus* Verántio *suffectus est, fortasse coronato* Rvdolpho, *florentissima ætate non necessarius; rei tamen catholicæ*

Vicennalis hinc Archiepiscopatus iniit vacatio:

u.) Loco cit. ad annum, eius emortualem, MDLXXIII.

tholicæ præcipitanti, ſubuenire decuiſſet. Sacra Archiepiſcopatus, NICOLAVS TELEGDINVS, *dum vixit, adminiſtrabat; bona, quæ ſolo continebantur, vectigalibus adiecta ſunt, œconomo Ladislao Zelemerio, vt liquet ex epitaphio eiusdem in templo Sárfienſi Comitatus Nitrienſis, poſt plures annos repoſito. quod tale eſt: Hic iacet nobilis vir Dominus Ladislaus de Zelemér, Cæſaris Maximiliani prouiſor in Archiepiſcopatu Strigonienſi, cum Domina Scholaſtica, ſua coniuge, filia Magnifici Marci Yaxit de Nagylak.* Verba ſunt laudati nunc KAZII. Nam, quod *Stephanum Radétium*, ſucceſſiſſe *Verántio* in Archiepiſcope, IONGELLINVS *(v.)* ſcribit, toto cælo errat. Legerat forte apud ISTVÁNFFYVM. *(x.)* CAESAR *Stephanum Radetium, Epiſcopum Agrienſem, ærariique præfectum, ei*, Verántio, *ſubſtituit, verum bonarum litterarum peritia, pariter & legum ſcientia inſignem. qui poſtea ſtatis temporibus, indicia Eperieſſi exercuit:* coniecit inde, ſucceſſiſſe eum in Archiepiſcope: quod non eſt ita; quippe, quod ea ſucceſſio ad ius dicundum, ſiue *Locumtenentiam*, haud vero ad eccleſiam adtinuit. Ceſſaſſe ergo dixiſſes, ſacerrimum munus, tam longa eius fuit vacatio; ſiue, id belli rationes ita ſuadebant, ſiue cauſſæ aliæ: quas iam non rimamur. Interim, *Nicolaus Telegdy*, Epiſcopus Quinqueeccleſienſis, idemque *Strigonienſis Præpoſitus*, dum in viuis fuit, id dedit operam, ne quid res diuina detrimenti pateretur.

Iongellini *error, Radétium Archiepiſcopum facientis, notatur.*

IV. Stephanus Fejérkövy.

Stephanus Fejérkövy, *poſt diutinas moras, menſtruo ſpatio, Archiepiſcopus:*

POſtea, in ſpem Archiepiſcopatus venit, STEPHANVS FEJÉRKÖVY, Veſzprimienſis præſul; ſed ſpem omnino, quam credi poſſit, longiorem. Viginti *(y.)* enim, & quod excurrit, annis, ſuſpenſus exſpectatione tenebatur, dum ipſo emortuali menſe, tiara illa, RVDOLPHI beneficio, potiretur.

V. Iohannes Kutassy.

Succedit Iohannes Kutassy:

PAruit proinde, *Piſonium*, eo vsque Pontificum Strigonienſium præſentia, dum IOHANNES KVTASSY, ex epiſcopatu Iaurienſi, in ſedem Strigonienſem, reponeretur. Ceperunt Turcæ *Iaurinum*, anno MDXCIV. præpropera, immo perfida *Hardeccii* deditione. Quare, exſulandum, ab ea cathedra tantisper fuit *Kutaſſio*, iam tum poſt *Draskovitſii* fata, regis Cancellario, dum meliore vſus fortuna, ad *Strigonienſem* tiaram, euocaretur. Acceſſit tantæ dignitati anno MDXCVII. *Locumtenentis* magiſtratus. quem ille, non minus, quam pontificatum, ſumma, & prin-

creatur Locumtenens:

v.) In *Catalogo Palatinorum*, & *Locumten.* quem errorem, & in eo catalogo videas, qui *Decretis Regni Hungar.* adnexus eſt.

x.) Lib. XXV. p. 532, 4.

y.) Vide SZENTIVANIVM in Catalogo Archiepiſcoporum, num. 43.

principis, & popularium adprobatione, adminiſtrauit. Enimuero, vir fuit, non minus eccleſiaſticarum rerum, quam vniuerſæ reipublicæ ſtudioſiſſimus. Profecto, tractationi pacis, quæ exeunte ſeculo decimo ſexto, in inſula *S. Andreæ*, medio, inter *Budam* & *Strigonium*, itinere, ſuſcipiebatur conatu irrito, cum *Nicolao Pálffyo*, *Nadasdio*, & *Péczio*, interfuiſſe, apud ISTVÁNFFYVM *(z.)* legitur. Exceſſit e viuis, anno MDCI. *Tyrnauiæ*, decimo quinto Calendas Octobres.

moritur Tyrnauiæ.

§. XVI.

VI. Franciſcus Forgách.

Poſt quadriennii vacationem, Franciſcus Forgách, *Archiepiſcope potitur:*

IN conſuetudinem fere abierat, vt migrantibus e vita Archiepiſcopis, vacare ſubinde ſedes cogeretur. Nunc certe, quadriennium abiit, dum ei pontifex daretur. Deſtinabatur interim ei faſtigio *Franciſcus Forgách*, Nitrienſis Epiſcopus, Cæſari, cum ſua virtute, tum procerum commendatione, *iam pridem cognitus. Atque maturius* eum ſuffectum fuiſſe credunt *nonnulli*, *niſi Botskaini* tumultus, deſtinationem regis, interpolauiſſent. Obſecundabimus mori noſtro, atque ita memoriam *Forgáchii* recolemus, vt a primis deductam incunabulis, per ſingulos vitæ & honorum gradus, in Archiepiſcopen, inde, in tumulum vſque, proſequamur. Natus eſt, patre *Simone I. Forgách*, matre *Vrſula Pemflinger*, anno poſt natum Chriſtum, MDLXVI. *(a.)* TIMON *(b.) Sigismundo Forgáchio*, ſatum ſcribit; recte, ſi auum intelligat; fuit enim *Simonis* pater, *Sigismundus I.* regni Hungariæ Theſaurarius, ſicuti habent anni MDXLVII. decreta *(c.)* Piſonienſia. Sequimur autem, tabularum gentis *Forgáchianæ* genealogicarum fidem, multo, quam auctorum quorumuis, certiorem. Hic vero ille *Simon* eſt, qui poſt prima militiæ tirocinia, anno MDL. in oppugnatione *(d.)* Lippæ, quæ *Georgii Monachi* & *Caſtaldi* ductu fiebat, inter cadauera noſtrorum & hoſtium, ſemianimis repertus, & in caſtra perductus, ægre poſtea conualuit. Crederes, hoc caſu monitum, relicturum fuiſſe caſtra; quod is quidem, non modo non fecit; ſed cepit etiam ex vulneribus, noua ad ſequendam militiam, auctoramenta. *Temeſuárum* certe, cui anno MDLII. oppugnando, imminebat *Achomates*, cum ſingulari equitum, quos ſuis ſtipendiis conduxerat, ala, ſeſe iniecit. *Simon Forgáchius*, inquit ISTVÁNFFYVS *(e.) iuuenis præſtantiſſimus, quem in oppugnatione Lippæ, multis ſuſceptis vulneribus, egregie virtutis laudem obtinuiſſe diximus, ſexaginta equites adduxerat.* Ac

eius parentes:

virtus genitorū.

z.) Lib. XXXI. p. 742, 49.

a.) Aliter recentiores *Eruditi Tyrnauienſes*, in *Progreſſu Almæ Archiepiſcopalis &c.* p. 58. vbi anno MDLX. natum ſcribunt; ſed præter rem.

b.) In *Purpura Pannonica*, ſiue Vitis & Rebus Geſtis S. R. E. Cardinalium, p. 54.

c.) Articulo IX. vbi *Egregius*, quod nobilium eſt epitheton, adpellatur.

d.) ISTVANFFYVS, Lib. XVII. p. 306, 45.

e.) Lib. XVIII. p. 324, 22.

Ac tolerauit omnino, acerrimam eam obſidionem, forti cum commilitonibus animo; quin *Loſontzio* etiam, poſt arcem traditam, a Turcis contra datam fidem circumuento, impauidus adſtitit. Iterum ISTVÁNFFYVS. *Quo animaduerſo, Losontzius*, (nempe, hoſtilia moliri Turcas) *Alphonſum in primis Perezium*, & Simonem Forgáchium, *qui eius tergo, pone adhærebant, alta voce adloquutus; hæc, inquit, Turcicæ perfidiæ ſumma, hic finis eſt, commilitones! Sed macti virtute, quod vnum ſupereſt, agite, expedite arma, ne inulti pereamus.* Miſcebatur inde prælium, non iam ſeu arte, ſeu virtute, ſed neceſſitate, aduerſus barbaricam feritatem, ſuſceptum. Cæſo, cum ſummis viris, *Losontzio*, Forgáchius noſter, multis confoſſus vulneribus, naſoque inter pugnandum mutilatus, ſemianimis, in manus hoſtium, incidit: rediitque poſtea, ſed naſo præſecto, deformatus, cum ſe, *Sabace* Turca Strigonii equitum præfecto, *Melchioris Balaſſii* captiuo, *(f.)* redemiſſet. Neque hæc ei mutilatio probro, ſed decori fuit; quod ſubiti periculi, & collatæ cum hoſte frontis, indicium præbuit; præſtruxitque, forti viro, aditum, ad ſummam in militia *Hungarica*, *(g.)* præfecturam. *Hæc ob iter dicenda erant, ne ignoraretur, tanti præſulis ſagatus parens.*

§. XVII.

Adoleſcentiæ ſtudia:

HIs editus maioribus, cum inter Muſarum tacitos receſſus, non pueritiam modo, ſed adoleſcentiam quoque, ſtrenuus exegiſſet, ſimul iuuenilem ætatem ingreſſus eſt, animum ad ſacerdotium adiecit; tertius, in veterrima familia, ſacros ordines ſuſcepturus. Nam, in tabulis quidem *Forgáchiorum* genealogicis, duos admodum reperio, qui e bellicoſiſſima gente, ſacrum vitæ genus, ante hunc noſtrum, elegiſſent. In his fuit IOHANNES I. Andreæ I. ſecundo genitus; primum, Capituli Strigonienſis *Canonicus*; deinde *Comes Capellæ* Regiæ LADISLAI IV. & *Archidiaconus Nitrienſis*; poſtea, *Archiepiſcopus Strigonienſis*; vtrobique eius nominis primus. De eo SZENTIVÁNY. *(h.) Hic de ſuo, Venerabile Archi-Capitulum Strigonienſe, prædiis multis locupletauit.* Secundus ab hoc, FRANCISCVS III. fuit, FERDINANDO I. a ſecretis, & conſiliis, *Epiſcopus* Varadienſis, & Poſonienſis *Præpoſitus*, vir magni, at varii animi: quippe qui, collecta qualicunque offenſiuncula, relictis MAXIMILIANI partibus, ad Tranſiluanum abiit. Sed ad *Franciſcum* noſtrum, eius nominis IV. veniamus.

initiatur ſacerdotio:

qui ante eum, ex bellicoſiſſima gente, ſacrum vitæ genus fuerint ſequuti:

f.) REVAIVS, ab auaritia hoſtium, multo argento, redemtum ait. Corona Hung. Cent. VI. p. 87.

g.) Vide ISTVANFFYVM ad annum MDLXXVI. Lib. XXV. p. 546, 31. & p. 547, 36. reliqua.

h.) Vide eiusdem Catalogos, quantum ad annos vtriusque Archiepiſcopatus adtinet, in *Iohanne* hoc, minus ſibi conſtantes. Nam, ſi idem ſit *Iohannes* Colocſenſis, quem domeſticæ *Forgáchiorum* tabulæ, anno MCCXXXIV. *Canonicum* fuiſſe aiunt *Strigonienſem*; cum *Iohanne* Strigonienſi Archiepiſcopo: oportet, vt ætas eius poſt *Stephanum* IV. vel *Benedictum*, reponatur. quod monendum putauimus, vt ſartum ſit, inclutæ genti, decus iſtud ſuum.

mus. Vix ſacerdotio initiatus fuerat, cum inter *Canonicos* Strigonienſes relatus, documenta ſui dare cœpit, quantus olim præſul eſſet futurus. Ergo, latere non potuit RVDOLPHVM virtus *Franciſci*. quæ ita eum, regi optimo inſinuauit, vt iam tum, anno MDLXXXVIII. epiſcopum *Veſprimienſem (i.)* eſſe voluerit; cum annum ætatis XXII. ageret. Præfuit ei eccleſiæ, annis fere nouem; ſed ea tempeſtate, qua tota dioeceſis, crudeliſſime a Turcis habebatur. Proinde, ne his malis, ætatem optimam detereret noſter, eiusdem RVDOLPHI indulgentia, ad *Nitrienſem Epiſcopen*, anno circiter MDLXXXXVI. translatus eſt. Nam, erat omnino, ob ſingulares animi dotes, in primis gratioſus apud Cæſarem. Quare factum eſt, vt non modo in ſanctius conſilium adſciſceretur; ſed ornaretur etiam *Cancellarii Hungarici* munere.

fit Canonicus Strigonienſis:

poſtea Epiſcopus Veſprimienſis:

inde Nitrienſis:

Cancellarius Hungaricus tandem.

§. XVIII.

Quando ad epiſcopen Nitrienſem venerit? diſputatur:

PORRO, quod ad Epiſcopen *Nitrienſem* adtinet, difficile eſt ad definiendum, *quo eam anno adierit.* Laudatus TIMON, vel quisquis eſt auctor purpuræ Pannonicæ, ita habet: *Mortuo Nitrienſium præſule*, Stephano Fejérkövio, RVDOLPHVS II. *merita, pro eo, ac debebat reſpiciens*, FRANCISCO, *infulam viduam dedit.* Nihil faceſſeremus negotii auctori, ſi concordarent catalogi, quos citamus ſæpius. Certum eſt, *Stephanum Fejérkövi*, cum in vicennali illa Archiepiſcopatus exſpectatione fuiſſet, ſimulque ærarii regii, quod eſt *Piſonii*, egiſſet præfectum, tam longas ſpes, partim *Veſzprimienſi*, partim *Nitrienſi*, epiſcopatu, ſuſtentauiſſe: vt recte omnino catalogo interſerendum putet, *Szent-Iványi (k.)*; Sed, quid quæſo, cum *Stephano Ierzeuiczio* feceris, qui *Fejérkövium* excipit, præcedit autem *Forgáchium?* nempe, credas oportet, tum demum veniſſe in Epiſcopen *Franciſcum*, quando *Ierzeuiczi*, fato ſuo functus eſt: nam *Fejérkövi*, poſt menſtruam *Archiepiſcopatus* vſuram, e viuis exceſſit: proinde, non huic, ſed illi, in *Nitrienſi* ſacerdotio, ſucceſſit *Forgáchius.* Annum & diem, quo id factum ſit, non reperio. Tanti vero eſt, in eruderandis rebus, caruiſſe diplomatibus! Profecto, de Epiſcoporum hiſtoria, nemo facile mereretur præclarius, quam qui, excuſſis archiuis, tabularia latine dixeris, diplomatum fide, in luce collocaret, cum mutuas eorum ſucceſſiones, tum exitus. Interim, fas eſt exiſtimare, pluribus ante ſeculi XVI. exitum, annis, ſede ea, *Forgáchium* fuiſſe potitum. Huc delatus, non tam dignitatis ſuæ, quam quæ ad munus præſulis adtinebant, curam habuit. Fouit enim, cum ſacerdotia reliqua, perquam liberaliter, tum in primis *Societatem* IESV, adſtrictius tunc, in oppido cis Vagano, *Sellye*, cum Scholis, diuerſantem.

eius actus iſthic editi:

i.) Mirum, nullam in *Tabulis Forgáchianis*, quas ſequimur, huius dignitatis mentionem; ſed nec in SZENTIVANII catalogo Epiſcoporum Veſzprimienſium, *Franciſci* nomen exſtare.

k.) Continuatione Diſſert. Paralip. ad Catal. XVII. p. 67.

ſantem. Sed neque potuit, quin prætorium epiſcopale, quod iniuria temporum partim, partim vetuſtate, vitium fecerat, cultu exquiſitiore, inſtauraret. Loquebatur, toto, plus ſeculo, *(l.)* hanc eius diligentiam, lapis memorialis, ſuper aditu inſtructus, cum verſibus:

Hanc ſibi, quam ſpectas, & ſucceſſoribus Aulam,
Excoluit varia Præſul Forgáchius arte.

& in arce, aduerſus Botskaianos defenſanda, ardor:

Erat ſuæ huius ſedis tam amans, vt ne propugnare quidem eam detrectarit, iis tumultibus, quos *Botskaius* conciuerat. Meminit rem geſtam Istvánffyvs *(m.)*, nos autem in arcis *Nitrienſis* hiſtoria, fuſe recognoſcimus. Nimirum, maluit intemeratam erga Cæſarem, tolerata obſidione, fidem adſeruare, quam factioſorum rationibus, quantumuis prima ſpecie lætis, innecti. Hæc *Forgáchii* fides, id ei auctoritatis apud Rvdolphvm conciliauit, vt, cum componendis turbis, Cæſaris mandato, manum admoueret Matthias Archidux, poſtea Hungariæ Rex, in magno Præſulum numero, qui de pace agerent, primas teneret Franciscvs Forgách, Epiſcopus, & Supremus Comes Nitrienſis; ſicuti videre eſt in pacificationis Viennenſis hiſtoria. *Princeps* Matthias, inquit Istvánffyvs, *(n.) adeſſe iuſſit ſummos viros:* Franciſcum Forgáchium, Epiſcopum Nitrienſem, Cancellarium Hungaricum; *Paullum Sixtum Trautſonium*, reliquos. Diligentem, eo tractatu, operam Cæſari locauiſſe oportuit *Forgáchium*, inde colligas, quod redux *Stephanus Illyésházyus*, vti vltimam manum imponeret conficiendæ penitus paci, admoneri Archiducem Matthiam, curarit, *ne* Forgáchivs *Nitrienſis Epiſcopus, in tractatum admitteretur, quod nuperrimo quoque in colloquio, multum ſibi negotii faceſſiſſet, iniecta etiam rebus inutili mora.* Atque ita profecto fieri oportuit. Redintegratis enim colloquiis, abeſſe cogebatur *Forgáchius:* cum ex Hungaris, *(o.) Thomas* admodum *Erdődy*, Thauernicorum, *Georgius Thurzo*, Dapiferorum, ac *Sigismundus Forgách*, Pincernarum Magiſtri, concilio interfuerint. Cauere tamen haud potuit *Illyésházyus*, aut certe votorum ex aſſe potitus, noluit, quin tabulis, quibus pacis leges continebantur, cum collegis, *Forgáchius* ſubſcriberet.

odium Botskaianorum, aduerſus Forgáchium, *& eius cauſſa.*

§. XIX.

Poſtulatur a Rudolpho, *Archiepiſcopus Strigonienſis:*

His *Franciſci*, bene de ſe meritis, quibus omnium maxime florebat, credo permotum Rvdolphvm, vt, quam ei toto quadriennio, tacitis conſiliis deſtinabat, *Strigonienſem Tiaram*, tunc demum deferret, cum profligato ciuili bello, an tumultu? requietam *Hungariam*, ſibi ipſi reddidit. Tunc enim, non Metropolitam modo

l.) An exſtet hodieque, poſt inſtauratum, funditus prætorium, non habeo dicere. Profecto, cum anno MDCCXXX. arcem *Nitrienſem* curioſus inuiſerem, nihil iſtiusmodi in oculos incurrit.

m.) Lib. XXXIV. p. 825, 27. ad annum MDCV.

n.) Lib. XXXIV. p. 840, 32.

o.) Vide Istvanffyvm, loco cit. p. 842, 28.

do Strigonienſem, datis tabulis pronunciauit; ſed curauit etiam ſollicitiſſime, vti a Pavllo V. ſummo pontifice, in purpuratorum numerum cooptaretur. Tanto beneficio deuinctum Rvdolpho, nullis ſuaſionibus, pollicitis nullis, illicere potuerunt proceres, Matthiae Archiduci, contra Cæſarem fratrem, intempeſtiuius forte, vti credebat, fauentes, quo ei dignitatem, cum inſignibus, regiam, elidendam e manibus, deferendamque Matthiae, adſentiretur. Diſerte Istvánffyvs *(p.) Adnitente modis omnibus*, Georgio Turzone, *cui res & conſilia omnia erant patefacta, omnes conſenſere; præter vnicum* Franciſcum Forgáchium, *paullo ante epiſcopum Nitrienſem; qui, vt Cæſarem repudiaret, aut diuerſas ab eo partes ſequeretur, nullo, nec minarum, nec acerbæ mortis periculo, terreri potuit: dicens; ſe ei nolle ingratum fore, qui ex epiſcopo Nitrienſi, epiſcopum primæ ſedis, Strigonienſis creaſſet; & inſuper, commendatione eius ſerio interueniente, S. R. E. Cardinalis eſſet declaratus.* Quæ *Forgáchii* conſtantia, indignationem ei, Matthiae Principis, collegit, haud quaquam ab eo diſſimulatam. Enim vero, cum *rubrum* pileum, a cubiculario ſummi Pontificis, Pavlli V. ritu ſolemni, in æde S. Martini accipiebat, Matthias, *ei celebritati intereſſe* noluit. Certatim eam *dignitatem*, *Franciſco*, clientes ſui gratulabantur: poetæ in primis, quibus hæc iſtiusmodi materies, optata eſſe conſueuit. In his verſus ſunt, quos nobis laudatæ ſæpius, domeſticæ *Forgáchiorum* tabulæ *(q.)* ſuppeditarunt:

a Pontifice R. ornatur purpura:

qua fide in Cæſarem fuerit:

inuiſus ea propter Matthiæ *Archiduci:*

gratulantur ei purpuratam dignitatem, clientes:

Cardinibus bene firma ſuis, Roma imbuit oſtro
Te, ſis vt patriæ, Tu quoque, cardo Tuæ.
Et per Te charæ pandatur porta quietis,
Hanc ſi pandere vis, ſpem ſuperare potes.

Item alii:

Purpura Romana Forgách *Tibi venit ab aula,*
Et coccum, & vellus, Patria vtrumque dedit.
Purpura Te circumfluit, eſt color aptus amanti,
Tu patriam primum, ſi quid amabis, ama.

Ceterum, facile cum Matthiae voluntate, ſtudia *Forgáchii* coaluere, cum reciperato, a fratre diademate, inuſitata omnium conſenſione, publicis anno MDCVIII. comitiis, in regem electum cerneret. *Non iam*, inquit Petrvs de Réva *(r.) per decurias, aut ſingulorum ſingula vota ac ſuffragia; ſed vna omnium voce, ac ſuffragio, veluti diuino inſtinctu conſentiente, in Regem electus eſt* Matthias, *ab electione* Matthiae I. *in regem Hungariæ, anno centeſimo quinquageſimo. Ac mox magno omnium deſiderio ac feruore, in arcem itum; vbi,* Cardinalis Franciſcus Forgách, *habita oratione, graui ac luculenta, exquiſito laudum*

redit cum Matthia *in gratiam:*

eo in Regem Hung. electo:

p.) Epitome Lib. XXXV. p. 840, 46.

q.) Indidem eos accepiſſe credo, auctorem *Purpuræ Pannonicæ:* eo, quod *nuper in lucem productos*, ſcribat, p. 56.

r.) In S. Corona Reg. Hung. Centuria VII. p. 126.

dum genere plena; quod MATTHIAS, *diuina bello parta tropæa consecutus, postquam optatissimam pacem, turbulentissimo tempore, Hungariæ, inter ciues primum, deinde inter barbaros, peperisset, libero & lubenti animorum consensu, in Regem electus esset, declarat, & proclamat, incredibili omnium procerum ac populi lætitia.* Nempe, viri sapientis esse putabat, *Forgách*, nolle dubiis se euentibus committere; sed certos sequi. Neque minori, seu alacritate, seu pietate, inter patrios sacrosque ritus, diademate postea MATTHIAM redimiuit. Quod in actibus *Forgáchii* reliquum fuit, Regi id sine offensa, patriæ, atque religioni defensandæ, propagandæque, vnice impensum est. Coegit anno MDCXI. Tyrnauiæ *(s.)* prouincialem Synodum, vt sanaret morum corruptelas, quæ sacerdotia peruaserant. Sed & familiæ, qua editus est, ornamenta, pro virili curabat. Duo huic castella, ab imis fundamentis, alterum in *Tavarnak*, ditionis Topolcsanensis; in *Komjátjy* alterum, idque superius, ditionis *Gymesiensis*, sua impensa, eduxit, instruxitque adparatu, ad commode habitandum, necessario. Quin & Archiepiscoporum auxit opportunitates. *Pisonii* certe, primus, hortum in suburbano posuit, adstructo secessu, vbi, a seuerioribus curis, animum laxaret: cum epigraphe, atque gentilitiis signis, quæ auctoris memoriam, apud posteros loquerentur, quæ ita habet:

eumque coronat:

eius opera familiæ:

& Archiepiscoporum opportunitatibus, impensa:

FRANCISCVS FORGÁCH DE GYMES, S. R. E. PRESBYTER. CARDINALIS STRIGONIENSIS, AMOENO POMETO, AC ROSETO, AEDIFICIISQVE, HOC RVS EXCOLVIT, DE S. CAROLO BOROMAEO NVNCVPATVM. A. MDCXIV. IMPERANTE MATTHIA I. SEMPER AVGVSTO.

Adiecit ornamenti quidpiam, vrbico quoque prætorio: illud autem *Tyrnauiæ*, ruinis deforme, prorsus instaurauit, & ad magnificentiam, dignam Strigoniensi metropolita, percoluit. Instruxit præterea, oppidum *S. Crucis (t.)* quod *Grano* adsedit, non ineleganti castello; quasi præcepisset animo, tecta ea, emortualia sibi futura. Enim vero, aduersa valetudine tentatus, cum ex medicorum præscripto, ad thermas *Vihnenses*, an *Szklenenses*, nescio, cælo incommodo proficiscitur, tum corporis temperamento, quod ad ardorem concipiendum erat aptissimum, tum aquarum caloribus inflammatus, in ardentem febrim incidit, atque inde in oppidum *S. Crucis*, cuius nunc meminimus, deportatus, inualescente morbo, naturæ debitum, anno MDCXV. decimo septimo Calendas Nouembres, requietus persoluit. Corpus exanime, tametsi id viuus vetuerat, *Tyrnauiam*, vrgentibus Canonicis, ac fratre *Sigismundo* præcipue, delatum, funebri pompa, in æde *D. Nicolai* conditum est. Epitaphium, quod marmor refert, tale est:

dies supremus:

sepulturæ locus:

ILLV-

s.) Eius *Decreta*, iussu & auctoritate, GEORGII SZLEPTSENY, Archiepiscopi Strigoniensis, excusa possidemus: lectu oppido digna.

t.) Hungari, *Szent-Kereszt*; Slaui, *Swatý Krize*, Germani, *Heilig-Creütz*, vocant. Est in *Comitatu Barschiensi*, duobus, infra *Cremnicium* milliaribus.

ILLVSTRISSIMVS, AC REVERENDISSIMVS DOMINVS FRANCISCVS FORGÁCH, DE GYMES, S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS, ET ARCHIEPISCOPVS METROPOLITANAE ECCLESIAE STRIGONIENSIS, LOCIQVE EIVSDEM COMES PERPETVVS, PRIMAS REGNI HVNGARIAE, LEGATVS NATVS, AC SACRAE CAESAREAE REGIAEQVE MAIESTATIS, SVMMVS SECRETARIVS, CANCELLARIVS, ET CONSILIARIVS ET CVBICVLARIVS.

epitaphium:

Cardinalis (ohe!) Comes Archiepiscopus isto,
Franciscus *tumulo* Forgách *iacet. Indue planctum*
Orba fides, luge pietas magis orphana, Mosen
Qualis Idumæas gemuit Iordanus; vt altos
Mœsta Sarepta polos scindentem fleuit Eliam.
Candida relligio, castus pudor, æthere mentem,
Euexere; colit famam mare, Tyrnauia corpus.

Ad Lectorem:

Nix, rosa, bulla, vapor, fulgor, sonus, aura, pruina,
Vita est; sic telum, nubila sic fugiunt.
Exue vana, breuis perpende nouissima vitæ,
Fac pia, disce Deo viuere, disce mori!

elogium.

Eruditi Tyrnauienses *(u.)* vt gratum animum, in Musarum eius vrbis, instauratorem, & post fata, testarentur, hoc eum sunt prosequuti elogio: *Nihil non magnum fuerat in* FORGÁCHIO: *sanguis, virtus, doctrina, sapientia, merita in religionem, Regem, & Patriam. Dignus erat immortalitate, nisi homo fuisset; viuit tamen etiam post funera, in animis bonorum omnium, in quibus, tantarum virtutum fama, colossum sibi perpetuo duraturum, excitauit. Sanguine erat, e vetustissima æque ac nobilissima, Comitum Forgáchiorum prosapia, oriundus; cuius maiores, a quadringentis, & quod excurrit, annis, non possessione tantum arcium, Ghymes & Gaách, sed facinorum etiam heroicorum, tum bello gestorum gloria, claruerunt.* Addunt, Historiam rerum Hungaricarum, quam laudat *Petrus de Réua*, conscripsisse *Franciscum*; sed quæ non adspexerit lucem; fuisse ei cum *Bellarmino*, *Nicio* item *Erithræo*, perpetua litterarum commercia: quod, sicuti eruditionem viri arguit, ita, quanti eruditos fecerit, etiam atque etiam condocet. Hæc *(v.)* de *Francisco Forgách.*

u.) In laudato sæpius opusculo, cui titulus: *Progressus Almæ Archiepiscopalis Societatis Iesu Vniuersitatis Tyrnauiensis, &c.* p. 57. vbi monendus est lector, arcis *Gaách*, quæ est in Comitatu *Neogradiensi*, possessionem, recentiorem *Forgáchiis* esse, quam vt queat referri, ad canam illam ætatem: quippe quam, *Sigismundus* II. *Forgách*, Cardinalis, natu maior frater, iure vxoris, *Catharinæ Losonczy*, ditioni *Forgáchiorum*, primus adiecit: id quod in arcis historia, docuimus.

v.) Qui plura volet, *Purpuram Pannoniæ*, & quos meminimus, *Tyrnauiensium Eruditorum* libellos adeat.

VII. Petrus Pázmány.

§. XX.

Succedit Forgáchio, Petrus Pázmány:

SVcceſſit *Franciſco*, ita volente MATTHIA II. adprobante autem PAVLLO V. Romano Pontifice, PETRVS PÁZMÁNY *de Panaſz*, vir, quod fatemur, noſtra oratione infinitis modis, ſuperior. Non eſt ergo animus, vt panegyricum ei ſcribamus; cum ea in re, ſumma ingenia ſciamus elaborauiſſe; ſed, vt tanti præſulis memoria, inter vrbis *Piſonienſis* decora exſtet, breui faſce id complectemur, quod profuſa diligentia pertractauerunt alii. Adſpexit primam lucem *Varadini*, vrbe, ſuperioris Hungariæ munitiſſima, quarto Nonas Octobris, hoc eſt, die S. FRANCISCI nomine inſigni, anno MDLXX. Pater, *Nicolaus Pazmány de Panaſz*, vetuſta Páznániorum familia ortus: mater, *Margaretha Maſſai* fuit, non minus virtutibus, quam generis nobilitate, clara: quippe quod, teſte PHILIPPO ALEGAMBE, *(x.)* ex Italicis *Maſſæ Marchionibus*, pridem in Hungariam delatis, traxerit. Non me præterit, eſſe, qui hanc familiæ claritudinem, negent *Pázmáno*; quod ii, inuidiane? an ratione faciant, non diſputo: cum certum ſit, iam tum, ſub ipſa regni Hungariæ exordia, gentem Páznán, in celebritate fuiſſe. *Adierunt etiam iſtis diebus*, inquit THÚRÓCZIVS, *(y.)* Hunt & Páznán, *qui* S. Stephanum *regem, in flumine Garam, gladio, Theutonico more accinxerunt. Iſtorum quoque generatio, ab iſtis nominibus diſtare non videtur. Iſtorum itaque comitum, Dux* GEYCHA, *cum S. rege* STEPHANO *filio ſuo; fretus auxilio, & diuino potius: quoſdam rebelles, armorum terroribus, nonnullos voluntarie conuerterunt ad baptiſmum. Quos quidem comites, tam dux* Geycha, *quam filius ſuus, latis & amplis hæreditatibus, pro ipſorum ſeruitiis, ditauere, prout apparet nunc manifeſte. Qui quidem temporis in proceſſu, Hungaris, per contractus matrimoniorum ſunt immixti. Iſtorum etiam conſilio & auxilio, ſuper Hungaros, Rex eſt conſtitutus.* En gentis *Páznán*, non antiqua modo, ſed præclaris etiam, de GEYZA & S. STEPHANO, meritis, inſignia exordia. At enim, obiiciunt illi: certa hæc eſſe exploratague; non item, gente eadem propagatum PÁZMÁNVM. Verum, non ſinit nos dubitare, CASPARVS DRVSBICKY S. I. *(z.)* qui citante eum auctore *Purpuræ Pannoniæ*, hos ortus, hos maiores, *Pázmániis* prorſus adſeruit. Verba eius, ſic habent: *Addit præterea mihi ſtimulum, tuorum, Comes Illuſtriſſime! maiorum, tam perantiqua, quam recentior claritudo, & multa, & magna. Nam, quid Hungariæ regnum habuit vnquam*, STEPHANO *rege, vel ob Chriſtianam ſanctitatem, vel regiam munificentiam, glorio-*

eius natales, patria, & generis antiquitas:

do qua diſputant nonnulli:

x.) De Scriptoribus *Societatis* IESV, ad *Pázmáni* mentionem.

y.) Chronico Hung. Part. II. Cap. XIII. p. 34.

z.) In epiſtola nuncupatoria, Libri, quem IESVM PASSVM, ad Comitem, *Nicolaum Pázmán de Panaſz*, PETRI, ex fratre *Georgio*, nepotem, inſcripſit A. MDCLVII.

glorioſius? iam tunc tamen Pázmánicæ familiæ procerem reperio, eidem STEPHANO, *militaribus ſuis copiis, auxiliantem, & virtutibus ſuis, in aula eius radiantem. Iam vero, quid habuit Hungarica Corona,* MATTHIA *Coruino rege, qua domi, qua foris, qua bello, qua pace, illuſtrius atque rarius? apud hunc,* Andreas Pázmán, *ob virtutem, delicium, ob fidem, oculus, ob res geſtas, patriæ princeps fuiſſe memoratur. Poſſem his addere,* Stephanum Pázmán, *regi ſuo* CAROLO, *ob fortitudinem bellicam, in primis charum. Poſſem, &* Iohannem Pázmánum, *cum Nicolao filio, Patris Cardinalis, progenitore.* reliqua. Non credo, quod aiunt nonnulli, ab adſentatione, hæc iſtiusmodi profecta eſſe; cum fas ſit exiſtimare, virum, non minus doctum, quam religionis laude florentem, in ſacro ſcriptionis genere, multum, ab eo vitio abfuiſſe. Ac profecto, eximit ea ſuſpicione *Drusbickium*, eximiæ fidei & auctoritatis, ICtus, IOHANNES KITHONICH *de Koztanicza*, qui loco *(a.)* prorſus opportuno, diplomatum fide, hanc generis antiquitatem, *Pázmáno* adſeruit; cuius ideo verba, heic adteximus: *Tibi quidem Archipræſul Ampliſſime! cuius, ſi genus & proauos, antiquiſſimamque proſapiam retexerim, facile omnibus teſtatam redderem, illuſtris ac generoſi ſanguinis tui claritatem. Vidi egomet, originales litteras,* CAROLI, *Regis Hungariæ, Anno* 1319. *datas, quibus Magiſtro* Stephano, *filio Comitis* Georgii *de genere* Pázmány, *ob impenſa maiorum, ac ſua obſequia, nominatim vero, quod Rex ipſe, haſtiludio, cum* Stephano Pázmány, *concurrens, tres illi dentes, fortuito excuſſerit, tres pagos;* Poſa, Somogi, Som, *regia libertate donauit, qui hodie quoque a familia Pázmániana poſſidentur. Vidi* MATTHIAE *primi, Regis fortiſſimi, litteras Anni* 1465. *quibus Abauo Tuo* Andreæ, *ac Fratribus illius, ob egregia illorum erga Regem & Coronam merita, accedente etiam interceſſione, Iohannis Archi-Epiſcopi Strigonienſis, bona omnia familiæ Pázmánianæ, in quorum poſſeſſione, progenitores ipſorum, ab antiquo perſtiterant, titulo nouæ donationis, contulit atque confirmauit. Matrem, ex qua Te,* Nicolaus *pater ſuſcepit,* Margaretam Maſſai *habuiſti, illuſtri illa* Maſſai *familia ortam, cui Marchiones Maſſæ, ex Italia in Pannoniam migrantes, originem dederunt. Auia,* Petri Pázmány, *viri magni coniux,* Catharina Csáki *fuit, germana ſoror Nicolai Csáki, filia Gabrielis, antiquiſſimæ nempe ac clariſſimæ familiæ ſurculus: ex qua ante annos quadringentos, non vnum fuiſſe conſtat Tranſiluaniæ Vaiuodam. Aui Tui mater,* Iohannis Pázmány *coniux,* Catharina Artándi *fuit, Blaſii illius, ac Pauli Artándi ſoror, quos per ſummam crudelitatem, Aloyſius Grittus, Budæ occidi iuſſit, ea ſolum de cauſſa, quod Domui Auſtriacæ, ac Regi* FERDINANDO *potius, quam* Iohanni *Zápoliano, adhæſiſſent. Hæc, atque alia gentis Tuæ decora, non vano a me rumore hauſta; ſed ex vetuſtis, ac originalibus tabulariis eruta, recenſere, ac ora-*

a.) In epiſtola, qua *Directionem Methodicam Proceſſus Iudiciarii Iuris Conſuetudinarii Inclyti Regni Hungariæ*, PETRO dedicat; vbi, & curriculum vitæ PAZMANI, in compendio legere poſſis.

oratione exaggerare, quin & ad eum vſque fortaſſe Pázmánum, *qui S.* Stephano, *primo Regi noſtro, rem Chriſtianam in Hungaria fundanti, e Germania, auxilio accurrit, generis tui originem transſcribere poſſem. Sed, cum genus & proauos, & quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra putem, ea lubens prætereo.* Hæc *Kitonich*, diplomatum fide ſubnixus.

§. XXI.

Reſpondit in eo, natalibus, præclara indoles, atque educatio:

His natalibus, animi non minus, quam corporis dotes, reſpondebant. Primam pueritiæ ætatem, in domeſticis ſcholis, quæ tunc *Caluinianæ* fuerunt, exegiſſe; adoleſcentiam autem, ludo litterario *Græcenſi*, cui *Societas* Iesv moderatur, conſecraſſe, accepimus. Iſthuc anno MDLXXXVII. delatus, totum ſe addixit Societati, facileque obtinuit, vt inter Sodales ſcriberetur, tametſi, annum ætatis XVII. nondum exceſſerat. Quodſi ita eſt; ita vero eſſe, paſſim legas; minus ſibi conſtabunt eorum ſermones, qui aiunt, poſt ſtudia demum Academica, quæ apud Batauos pertractarit, leui quadam iniuria, qua ſit a ſuæ religionis hominibus adfectus, commotum Petrvm, ad ſacra, Romano-Catholica, relicto Caluinianiſmo, abiiſſe. Huc reſpexiſſe putarim, *Purpuræ Pannonicæ* auctorem, dum; *Hallucinantur*, inquit, *qui eum poſt Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudia, religioni nomen dediſſe, arbitrantur, quæ in Societate, magna ingenii, & ſedulitatis commendatione, eſt emenſus; ac ſubinde publicis admotus cathedris, in Vniuerſitate Græcenſi, Philoſophiam & Theologiam, cum dignitate, omniumque plauſu, ſuſtinuit.* Simul, ex litteraria hac palæſtra deceſſit, id ſibi, ſuperiorum conſenſu, negotii ſumſit, vt ſe aulis procerum *Proteſtantium*, qui ea tempeſtate, & multi erant, & potentes, inſinuaret, eosque, ſi poſſet, ad ſacra Romana perduceret. Triginta, & amplius, familias, e prima nobilitate, fuiſſe perhibent, quas ille, plurium annorum ſudoribus, in gremium Romano-Catholicæ eccleſiæ repoſuerit. Ac fatentur omnino *Proteſtantes* nec inuiti, quod toto retro ſeculo, prælatorum neminem, id *Ieſuitam Pázmánum* perfeciſſe; edidiſſeque in religione ſua, nuper pace Viennenſi conſtabilita, ſtragem, nullis vnquam temporibus, reparandam. Hæc eius ſolertia, maxime vero, quod *Sigismundum Forgáchium*, Cardinalis fratrem germanum; in quo, ad partes ſuas pertrahendo, triennio fruſtra ipſe laborauerat, trium hebdomadarum ſpatio, ſuum fecerit; prorſus ei præſulem conciliauit, effecitque, vt intimæ apud eum eſſet admiſſionis. *Suſpiciebat quidem etiam antea,* inquit, Purpuræ auctor, *Cardinalis, Pázmánum, & pro eo, ac merebatur, ob ſingularem doctrinam, prudentiam, ceteraque animi ornamenta, reuerebatur; at deinceps, intimiore ſibi iunctum adfectu, colebat, conſiliis eius ſapientiſſimis vtebatur, nec fere aliquid grauioris momenti, in regimine Archiepiſcopatus Strigonienſis, ſtatuit, eo inconſulto, quoad vixit.*

ſtudia:

religionis ſuæ amor:

& in Proteſtantibus alliciendis, ſtudium:

atque ideo, apud Cardinalem Forgách, *gratia.*

§. XXII.

Emergit, hùmeritis, ad Archiepiſcopen Strigonienſem:

Atque, his quidem laboribus, gradus ſibi ad ſummos, in Hungaria, honores eccleſiaſticos, præſtruxit *Pázmánus*. Fama enim partim, partim *Forgáchii Cardinalis* commendatione, Matthiae Imperatori cognitus, ſublato e viuis *Franciſco*, nullo ſuo ambitu, cunctatione autem permulta, tiaram Strigonienſem, præter, quam id ferunt inſtituta *Societatis* Iesv, capeſſere adigebatur. Matthias certe apud Pavllvm V. Pontificem, precibus egit, vti religionis, quo tenebatur *Pázmánus*, vinculo exemtum, tanto, quod ei deferebatur, muneri, idoneum redderet. Fecit haud grauate, petitioni locum, Pontifex: Quod ſimul euenit, Pragam ad Matthiam, euocatur *Pázmánus*. Huc vbi acceſſit, acceptus a principe perquam benigne, vtque procul omni mora, archiepiſcopen adiret, admonitus eſt. Paruit ille ſummo Pontifici; Matthiae autem beneuolentiam in lucris deputauit; ſed quominus delatos ſibi honores acceptaret illico, ærarii præfecti, interceſſere. Nempe, *arbitrati, hominem religioſum, tenui victui ac domeſticæ ſupellectili adſuetum, facile ex prouentibus amplisſimis Eccleſiæ Strigonienſis, multa ceſſurum, in vſus profanos, ſub titulo, neceſſitatis publici boni; longum ei exhibent catalogum, quæ ante inaugurationem ſubſcribere deberet. At Pázmánus, animo imperterrito, reposuit: ſe ne, vnum quidem teruncium* e patrimonio Christi, *ceſſurum; quin & ea, quæ hactenus, viis, æquitati non ſatis conſonis, abalienata ſunt, (id quod fideliter ſuo tempore exſecutus eſt) recuperaturum, vel certe repertiturum* Hæc, *inquiebat*, Cæſari referte, & ſi reſponſum diſpliceat, Archiepiſcopatum ei conferat, qui huiusmodi poſtulatis adſentiatur. Matthias, *re cognita, tantum abeſt, vt animum mutauerit, vt etiam Pázmáni conſtantem animum collaudauerit, ac ne deinceps ei, ærario præfecti, vllum faceſſant negotium, vetuerit.* Hæc auctor *Purpuræ (b.) Pannonicæ*, quæ impauidum viri animum, & tenacem iuris eccleſiaſtici, loquuntur. Tandem ſufflamine, quod præfectorum auiditas iniecerat, ſubmoto, quarto Calendas Octobres, anno MDCXVI. in magna procerum, gentis vtriusque celebritate, Archiepiſcopum, Caesar dixit, eique *Hungariam*, & in hac, *Romano-Catholicam Eccleſiam*, de meliori commendauit.

Matthiæ *Imperatoris, & Pontificis in eam rem ſtudia:*

Petri *cruciatio, & huius cauſſæ:*

tandem promulgatur Archiepiſcopus.

§. XXIII.

Redux in patriam *Pázmánus*, nihil non agere, vt laboranti religioni ſuccurreret; emendaret mores Cleri; atque in primis, *Societatem* Iesv, late per regnum propagaret; aperiret ludos litterarios; poneret ſeminaria; cœnobia ditaret, nihilque intentatum relinqueret, quo res *Proteſtantium* redderentur anguſtiores. Profecto, annus ei nullus abiit, quin operis quidpiam ederet, dignum Archiepiſcopo. Sub idem fere tempus, cum

Pázmáni *in excelſo hoc munere, occupatio:*

b.) In actibus Pazmani, p. 62.

cum munus ſacrum exordiebatur PETRVS, arduum, ſucceſſionis in Hungaria, negotium, inter Cæſarem & huius fratres, atque *Ferdinandum*, Styriacum, *Ferdinandi I.* ex *Carolo*, nepotem, cudebatur. Cui, cum ſe non vna difficultas iniecisſet; id dedit operam *Pázmánus*, vti ea, FERDINANDO, qui exactis, ex Styria, *Proteſtantibus*, magnam ſummi Pontificis, inierat gratiam, viuo adhuc MATTHIA, adfirmaretur. Reſpondit molitioni euentus, datusque eſt Hungaris, haud quidem inuitis, in regem FERDINANDVS; cum iam ante, diademate Bohemico fuiſſet redimitus. Ergo, in cuius ſucceſſione tam præclare elaborauerat *Pázmánus*; hunc, anno MDCXVIII. Calendis Iulii, patrio ritu, publicis comitiis, quæ *Piſonii* agebantur, ſacra corona inaugurauit. Solemnem eam cerimoniam, bis poſtea repetitam a *Petro* fuiſſe, annales memorant; ſemel, cum ELEONORAM Auguſtam, anno MDCXXII. iterumque FERDINANDVM III. annos ſeptem & decem natum, anno MDCXXV. *Sempronii* coronauit. Solemnes hi actus fuerant, & ad regum maieſtatem pertinentes; propius ad ſacri muneris rationes accedebat, *Conuictorii Pauperum*, quod anno MDCXIX. Tyrnauiæ; & *Collegii Clericorum*, quod anno MDCXXIII. Viennæ, fundauit, & ex nomine *Pázmánianum* adpellari voluit, inſtitutum. Ab his initiis, dici nequit, quam longe progreſſa ſit *Petri* ſollicitudo, & religionis cura. Inſtaurauit nimirum *Tyrnauiæ Cleri Seminarium*, quod ab *Oláho* poſitum ægre inualeſcebat; ac ne nobilis iuuentus, educatione genere digna, deſtitueretur, anno MDCXXIV. *Conuictum nobilium*, dote haud parca ditatum, excitauit. Intercederat, *Piſeti*, ex metallica, quæ eſt *Cremnicii Camera*, Archiepiſcoporum reditus. Hunc ergo, vti recuperaret poſtliminio, omnem mouit lapidem; recuperatum regis FERDINANDI bonitate, non in luxum profudit, ſed in iuuentutis commoda: quemadmodum adprobatum a FERDINANDO diploma *(c.)* condocet. Sed, nondum ſollicitudini *Pázmáníanæ*, aut finis fuit, aut modus. Præterquam enim, quod *Societatem* IESV, in *Capitulum Scepuſienſe*, *Leutchouiam*, & *Szathmárium*, induxit, & bonis, de *Beneficio Chriſti*, ditauit; *Piſonii* eidem Societati, collegium ad *D. Martini* Baſilicam, erexit, ſcholasque iuſſit aperiri.

Ferdinandum II. inaugurat:

fundationes ſacras inſtituit:

recuperat Piſeti *reditus:*

Ieſuitas latiſſime propagat:

Piſonienſe collegium ad D. Martini, fundat.

§. XXIV.

Sed, iuuerit forte rem omnem, diplomate intertexto, expromſiſſe, vt conſtet, quibus adductus auctoramentis, quaque pecuniarum profuſione, rem eam ſuſceperit: Tabulæ ſic habent: Nos FERDINANDVS *Rex &c. memoriæ commendamus tenore præſentium, ſignificamus, quibus expedit vniuerſis. Quod conſiderantibus nobis, quibus potiſſimum adminiculis, fides & religio Chriſtiana, a tot retro annorum ſæculis, ad hæc vsque tempora, inter genus humanum, non ſolum*

Diploma, in eam rem, a Ferdinando & Pázmáno *editum.*

c.) Dedimus id, in Vrbis *Tyrnauienſis* hiſtoria. Parte I. §. XX.

lum propagata, ſed & conſeruata extiterit, verum etiam per vniuerſi orbis Chriſtiani regna, tam altas radices figendo, in tantum & tam late patentem ſui ſplendorem, atque potentiam excreuerit, inter alia diuinæ prouidentiæ ſubſidia, animaduertimus, principes pios, ipſiusque religionis Chriſtianæ ſtudioſos, & amantes, præcipue autem eos, penes quos nonnunquam ſumma quoque rerum orbis poteſtas ſtare ſolebat, in ea, cum impenſius dilatata & ornata, tum vero defenſa, & ad noſtram ætatem vsque transmiſſa, plurimum ſæpe momenti attuliſſe. Nam, ſi ſacras veterum hiſtorias euoluimus, pietatem in Deum, quæ ex ſola veræ fidei cognitione prouenit, bonorum ſemper & piorum principum tempore, floruiſſe, regnorum vero gubernaculis, ad impios delatis, innumeris perſecutionibus ſæpiſſime fuiſſe obnoxiam, comperimus. Et quum tandem continua quadam Chriſtianorum, & piorum principum ſucceſſione factum ſit, vt eas ſibi vires ac potentiam pararit, quibus, vt cernere licet, vniuerſum pene orbem, ſuis ſubdidit legibus: inter alia plurima orbis ipſius Chriſtiani regna, HVNGARIA *quoque, Deo Opt. Maximo, gentis illius quoque ſaluti miſericorditer proſpicere volente, ſuauiſſimo ipſius fidei Chriſtianæ iugo, collum præbuit. Quo facto, cum a Diuis quondam Hungariæ Regibus, noſtris prædeceſſoribus, piæ memoriæ, non minorem, in augmentanda & ornanda, quam conſeruanda religione ipſa, factam eſſe videamus diligentiam; eorum veſtigiis, Nos quoque inſiſtere volentes, quum videamus plurimis hæreſibus infecto, perditiſſimoque hoc ſæculo, honeſta liberalium artium ſtudia, ad exſtirpandas hæreſes ipſas, vel impii illius Cæſaris Apoſtatæ, Chriſtianorum liberos, a frequentandis liberalium artium ſcholis, publico edicto prohibentis teſtimonio, plurimum conducere, & ea in regno quoque noſtro Hungariæ florere, vberesque, tum pietatis, tum etiam cultorum morum fructus paſſim edere poſſit. Hinc eſt, quod ex clementi annuentia, & voluntate noſtra, ad gloriam in primis* DEI *Omnipotentis; deinde vero, Catholicæ quoque fidei profectum, regnique noſtri Hungariæ commodum,* COLLEGIVM SOCIETATIS IESV, *quæ noſtris temporibus, in erudienda iuuentute, tum circa religionem veram & Catholicam, tum etiam honeſta litterarum ſtudia, ſummam facere dignoſcitur diligentiam, in ciuitate noſtra libera* Poſonienſi, *Comitatusque eiusdem exiſtente, erigendum, & fundandum eſſe duximus. Pro cuius quidem Collegii erectione, & perpetua conſeruatione, fidelis Noſter, Nobis ſincere dilectus, Reuerendiſſimus in Chriſto Pater, Dominus* Pázmánus, *Archiepiſcopus Eccleſiæ Metropolitanæ Strigonienſis &c. certam fundationem, iuxta formam, & modum hiſce litteris noſtris inſertam feciſſe dignoſcitur, tenoris infra ſcripti.* Nos Petrus Pázmánus, *miſeratione Diuina, Archiepiſcopus Eccleſiæ Metropolitanæ Strigonienſis, Legatus natus, Primas Hungariæ, ſummus Secretarius, & Cancellarius, ac Sacratiſſimi Principis, & Domini, Domini* FERDINANDI SECVNDI, *Dei gratia, Electi Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. Regis, &c. intimus Conſiliarius; damus pro memoria. Quod, cum pro paſtorali noſtra obligatio-*

ligatione, de reſarciendis Catholicæ Religionis in Hungaria ruinis, aſſidue coram Deo *cogitaremus; nullum, nec præſentius, nec magis neceſſarium occurrit, tantis malis remedium, quam ſi ſtudioſa iuuentus, in ætate teneriore, ſuaui ductu, & ad fidem, ac pietatem, vna cum litteris inbibendam, per pios & ſedulos operarios, informaretur. Et quoniam, peculiari quodam diuinæ largitatis munere,* Sancta Societas Iesv, *ad erudiendam iuuentutem, ſancto & ſalutari zelo feliciſſime incumbit, teneraſque & adhuc flecti faciles, nec in malo obrigeſcentes plantulas, cæleſti olim Paradiſo feliciter inſerendas, indefeſſo ſtudio excolit; ſummopere ſemper neceſſarium iudicauimus, vt domicilium ipſis, in hac Regia ciuitate* Poſonienſi, *honeſtaque ſuſtentatio, aſſignaretur. Quamobrem, poſteaquam Capitulum venerabile, Poſonii conſtitutum, ac ipſa quoque ciuitas* Poſonienſis, *in tanta huius loci anguſtia, ſitum haud incommodum, ad diligentem Suæ Maieſtatis Cæſareæ ac Regiæ, noſtramque inſtantiam, Collegio conceſſerunt, certis conditionibus, inoriginalibus litteris declaratis: Nos quoque, inducti* Dei *amore, ac religionis Catholicæ promouendæ ſtudio, peculiarique affectu, quo, prædictam Societatem, ſicut animam noſtram amplectimur, eisdem Patribus Societatis* Iesv, *pro erigendo, & in perpetuum conſeruando Collegio Poſonienſi, quinquaginta millia florenorum Rhenenſium, ex propriis menſæ noſtræ prouentibus, Viennæ, in loco ſecuro, ac dictis PP. idoneo depoſitos; de facto damus, donamus, & in perpetuum conferimus; nullum ius, nullamque proprietatem eorum nobis, vel ſucceſſoribus, reſeruando. Litteras etiam originales omnes, ad prædictæ ſummæ cenſum, & capitale ſpectantes, eisdem Patribus, vna cum hiſce litteris fundationis, per manus tradimus. Illud vnum per expreſſum cauentes, quod ſi ſucceſſiuis temporibus, ex occulto aliquo iraſcentis* Dei *iudicio, patres Societatis* Iesv, *Collegium hic* Poſonii *continuare non poſſent, illo caſu, tantisper, donec Societas iterum* Poſonium *redire poſſit, ſummam illam capitalem, eiusque cenſum, vel bona ſtabilia, ſi quæ forte illa pecunia emerentur, teneantur in vſum Hungarorum, extra Hungariam ſtudentium, ac ad ſtatum Eccleſiaſticum adſpirantium, bona fide conuertere. Deum Opt. Max. humillimo, inſtantique affectu oramus, odoretur hoc ſacrificium bonæ voluntatis noſtræ, & ea, quæ de manu ipſius accepimus, ad nominis ſui obſequium conuertantur, eumque ex hac tenella fundatione, in vtilitatem Eccleſiæ Catholicæ, & fructum redundare velit, quem tanta neceſſitas afflictæ patriæ exigit, & ego ex animo voueo. Datum,* Poſonii *in curia noſtra Epiſcopali, die vndecima menſis Septembris, Anno Domini* milleſimo, ſexcenteſimo, vigeſimo ſexto Nos *itaque, pro ſingulari noſtra, in* Devm *pietate, zeloque, & affectu erga incrementum religionis Catholicæ ſaluificæ, in iſto quoque regno noſtro Hungariæ, eiusmodi fundationem acceptamus, ratam habemus, ac in perpetuum duraturam, confirmamus, & diplomate hocce roboramus: ac, vt, tam tempore felicis noſtræ gubernationis, & regiminis, dicti Regni noſtri Hungariæ, quam etiam ſucceſſorum noſtrorum, legitimorum ſcilicet Hungariæ Regum, ab omnibus, & ſingulis, quorum intereſt, ratum, firmum,*

firmum, & validum habeatur, benigne, ac firmiter habere volumus, ſtatuimusque & decernimus. In quorum robur & firmamentum, haſce litteras noſtras, ſecreto ſigillo noſtro, quo vt Rex Vngariæ vtimur, impendenti communitas, dandas duximus, & concedendas. Datum, per manus fidelis noſtri Reuerendi Stephani Sennyei, *de Kys-Sennye, Epiſcopi Váczienſis, Conſiliarii noſtri, & Aulæ noſtræ, per Hungariam Cancellarii, in Ciuitate noſtra Vienna Auſtriæ, die decima ſexta menſis Iulii, Anno Domini, milleſimo ſexcenteſimo, vigeſimo octauo.* Hactenus diploma fuit *(d.)*.

§. XXV.

EXhauſtum ære, & ad inopiam redactum præſulem, daturum ſibi, & reditibus, quietis quidpiam, credi potuiſſet. At enim vero, adeo a ſe ipſo non deſciuit *Pázmánus*, vt viſus ſit etiam in dies fieri liberalior: quippe qui, id vnice ageret, vt conſtitutis paſſim cœnobiis, introductis ſacris ordinibus, templis exædificatis, religionem, & inter medios *Proteſtantes*, quam poſſet, latiſſime propagaret. Vſu autem didicerat, quantum ad ſummam rei, quam moliebatur, momenti haberet, morum in ſacerdotibus integritas; proinde, vt eam reuocaret, *Synodum Prouincialem*, Tyrnauiam, anno MDCXXIX. ad quartum Octobris diem, conuocat; decreta *(e.)* ſancit, nihilque facit reſidui, quod, ſiue ad dignitatem Cleri, ſiue ad decus Eccleſiarum adtinere putat. *Dum huic* Pázmánus *inſudat labori*, Ferdinandvs II. *Imperator, agit apud Pontificem Romanum, vt is, in præmium, tam ſolertis in Eccleſia curæ & ſollicitudinis, ſacro purpuratorum ordini adnumeretur. quod & impetrat ab* Vrbano *Papa* VIII. die IX. Nouembris, eiusdem anni MDCXXIX. vti eſt in *Purpura Pannoniæ*. Hi, *Pázmáno* honores decernebantur, cum ille a tramite, quem adhuc tenebat, ne latum quidem vnguem dimotus, *Tyrnauiæ, D. Nicolai* ædem, rimas agentem, magno impendio, validis adiectis ſubſtructionibus, inſtaurat; *Erſek-Ujvarini* autem, Archiepiſcopalis ditionis oppido, familiæ *D. Franciſci*, & templum, & cœnobium, exædificat: forte, vt diuum veneraretur, cuius die in lucem fuit editus. Vix horum operum, exeunte anno MDCXXXI. finem vidit *Pázmánus*, cum ſe ad iter Romanum comparat. Duplex eius inſtituti cauſſa fuit. Altera, vti purpuram & galerum, *Cardinalitiæ* dignitatis inſigne, a ſummo Pontifice acciperet; altera, vt Imperatoris nomine, de fœdere, cum Vrbano Papa ageret, inter Chriſtianos Princi-

Reliqui eius pro religione actus:

Synodum Tyrnauiæ celebrat:

Ferdinandus *purpuram ei impetrat:*

Romam iter ſuſcipit, quam ob rem?

 pes,

d.) Decerpſimus illud, ex Decretis, *Diplomatibus, Priuilegiis*, quæ in fauorem *Religionis Catholicæ, & Catholicorum*, ab A. MDCXX. ad A. MDCXXIX. emanarunt. Sunt Carol. Carafae *Germ. Sacræ Reſt. adnexa.* p. m. 51. ſeqq.

e.) Exſtant ea peculiari tractatu, cui titulus: *Acta & Decreta Synodi Diœceſanæ Strigonienſis, &c.* cum *Appendice* gemina, multum adtinente, ad *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* Hungariæ. *Forma quadripartita.* Synodi huius mentio in hiſtoria vrbis Tyrnauienſis, recurret nobis iterum.

pes, aduersus Turcas, quam primum feriundo. Suscepit iter, post anni MDCXXXII. initia, adparatu longe omnium splendidissimo, dignoque *Primate Hungariæ*. Huc, vbi mense Martio, accessit, vrbem, equestri pompa, ingreditur. Ducentos, quinquaginta Nobiles Hungaros, fastoso vestitu amictos, in comitatu habuisse ferunt. Generosissimi his omnibus equi, inaurata ephippia, arma, cristæ; haud paucis, ferarum tergora, pro gentis more, de collo, nodosis, ex auro argentoque, fibulis, suspensa. Erat hoc, in vrbe, inusitatum prorsus, at iucundum tamen spectaculum. Præsulem Hungarum, tot rebus gestis, de Pontifice, de vrbe, totaque Romana Ecclesia, egregie meritum, cum flore nobilitatis Hungaricæ, idque, ritu militari, subeuntem adspectare. Acceptus ab VRBANO est humanissime, obtinuitque breui post insignia, quorum caussa aduenerat, solemnitate eo maiore, quod ab ipso Pontifice, in aula ducali, cum titulo *S. Hieronymi Illyricorum*, ei conferrentur. His gestis, negotium, quod habebat a Cæsare sibi creditum, adoritur. Difficilius id succedere visum est; quod rem putaret indignam Pontifex, vti purpuratus S. R. E. pater, *secularis* monarchæ, legati munus obeat. Sed, qua erat animi constantia *Pázmánus*, euicit VRBANVM, vt semel atque iterum, tertioque, diserta *(f.)* oratione, vti erat eloquentissimus, dicentem non modo audierit lubens, sed adsentiretur etiam Cæsari, permitteretque anticipari decimas, atque in belli vsus collocari: id quod prorsus ex sententia *Cardinalis* euenit. Redux ad Cæsarem, non modo eundem reperit, quem discedens reliquerat, hoc est, sibi deditissimum; sed expertus etiam fuit, non vnam, pristinæ illi, qua perfruebatur, gratiæ, factam accessionem. Huc retuleris, prorsus insolitum illud, regiæ liberalitatis documentum, quod CAESAR, erga *Petrum* edidit. Ingentes ille sumtus, in Romanum iter, profuderat. Hos ergo, vti compensaret FERDINANDVS, annuam ei, cudendæ monetæ potestatem fecit.

quanto adparatu vrbem subierit?

accipit ab Vrbano *insignia Cardinalitiæ dignitatis, titulosque:*

Pázmánus *legationis reliquum exsequitur:*

Cæsaris in reducem benignitas.

§. XXVI.

Purpuratus *iam, nihil discedit ab ingenio:*

PVrpura insignitus *Pázmánus*, discessurus metuebatur a suo ingenio: quod ea dignitas, & splendoris habebat multum, & impensas requirebat longe maximas. At enim, inanem fuisse metum, euentus breui docuit. Enim vero, dato quieti biennio, anno demum MDCXXXV. *Academiam* erexit *Tyrnauiæ*, quæ a fundatore, *Archiepiscopalis* vocaretur. Tabulas, quibus *instituti huius*, & beneficia continentur, & leges, *Pisonii*, in curia Archiepiscopali, anno MDCXXXV. quarto Idus Maii, perscripsit *Pázmánus*; adfirmauit eodem anno *Viennæ*, decimo quinto Calendas Nouembres, FERDINANDVS. quas, suo *(g.)* loco, cum lectore communicabimus, ritu simul inau-

Academiam Tyrnauiensem instituit:

f.) Habemus eam, in nostro Adparatu, luce donandam publica, cum erit opportunum.

g.) In Historia *Vrbis Tyrnauiensis*, Parte I. §. XXI. optima fide exscriptas.

inaugurationis, adscripto. Neque, hoc tanto facinore, sibi ipsi, satisfeciisse visus est, Præsul liberalissimus: *Bibliothecam* instruendam suscepit, qua vterentur, docentium, iuxta & discentium, ordines. Aedes huic peculiares excitatæ fuere, in quas, *Bibliothecæ Coruinianæ* reliquias, inferendas cupiebat, si cum *Turcis* Budensibus, potuisset de pretio conuenire. At illi, vti sunt, iniqui in Christianos, maluerunt reliquias, vltra modum æstimare, quam oblatos *triginta mille florenos*, accipere. Atque optandum omnino fuisset, vti *Coruiniana* hæc cimelia, ante in Christianorum potestatem veniissent, quam ea belli furor contemerauisset. Pauca enim ab obsidionis clade, erant super, quæ in *Vindobonensem* partim, partim in *Guelferbytanam* Bibliothecam, delata sunt. Vidit eius thesauri rudera, missus a LEOPOLDO Budam, doctissimus PETRVS LAMBECIVS, quamque sordide fuerint habita, ad Cæsarem, & in litteras *(h.)* retulit. Pessime, nimirum, agebatur cum tanto thesauro, a Turcis non minus, quam nostris. Illi enim, excoriatos tegulis fibulisque deturparant; hi, capta, per adsultum, vrbe, in *vilissimis* spoliis habebant. Sesqui annum, constitutæ a se Academiæ, *Pázmánus* superuixit; anno demum *MDCXXXVII.* decimo quarto Calendas Apriles, *Pisonii*, cum annum ætatis LXVII. ageret, senili pituita pectus offundente, *catarrhum* vocant medicorum filii, oppressus, laboriosissimam vitam, cum optata morte commutauit. Vltimæ voluntatis tabulis, serio cauit, ne sibi crypta, ne ex metallo sarcophagus; sed nec epitaphium quidem fieret: vbi vbi morte præuentus fuerit, illic terræ matri mandaretur a suis, vt cum sit puluis, in puluerem iterum abeat exsangue corpus. Elatus est pompa lugubri quidem, sed facta ad magnificentiam, quam, *Nicolai Eszterházii*, Regni Hungariæ Palatini, atque aliorum, vtriusque ordinis, procerum præsentia, honestabat. *Humatus est autem in Basilica D. Martini, ad pedem Mausolei S. Iohannis Eleemosynarii, quod ipse eidem marmoreum, cum argenteo sarcophago, corporis sacri receptaculo, addita lampade argentea, cum fomite luminis perpetuo, adhuc anno MDCXXXII. construxerat:* vti est in *Purpura Pannoniæ*. Epitaphii, quemadmodum voluerat, adscriptum fuit nihil; quam, quod statuæ illi positæ, amici, cum nepote inscripserunt:

Bibliothecam condit, eamque reliquiis Coruinianæ illius, locupletare, nititur:

his editis facinoribus, moritur Pisonii:

quomodo se humandum voluerit:

Epitaphium viuus mortuo sibi poni vetuit:

PETRVS PÁZMÁNVS CARDINALIS:

Non potuit eam breuitatem ferre, *Princeps Paullus Eszterházy:* proinde, quod, præter *Georgium Lippaium*, & *Szétsénium*, Archiepiscopum, isthic conditos meminerat, singulorum memoriam vno fasce complexus, istud eis monumentum statuit:

quod demum Paullus Eszterházy *instruxit:*

TRI-

h.) *Commentariorum Augustæ Bibliothecæ Vindobonensis* Lib. II. Cap. IX. Huic adde, Celeb. MORHOFFII Polyhistorem Lib. I. Cap. IV. §. 21. p. 34. & in primis citatam in nota, IVLII PFLVG, epistolam. Nostram item *Exercitationem, de Vetere Litteratura Hunno-Scythica*, Sect. II. §. XIII. p. 44. vbi LAMBECIVM excerpsimus, quia non sunt in omnium manibus eius *Commentarii*, quos', de Bibliotheca Cæsarea, diligentissime conscripsit.

TRIBVS MAGNIS HVNGARIAE COLVMNIS. PETRO PÁZMÁNO S. R. E. CARDINALI, ARCHIEPISCOPO STRIGONIENSI: GEORGIO LIPPAI, ETIAM ARCHIEPISCOPO STRIGONIENSI: GEORGIO SZÉTSÉNY, ITIDEM ARCHIEPISCOPO STRIGONIENSI: PATRIAE PATRIBVS.

Quorum veneranda ossa, hac requiescunt in fossa.

POSVIT HVNC LAPIDEM, GRATITVDINIS ERGO, ILLVSTRIS S. R. IMPERII PRINCEPS, PAVLVS ESTORAS, REGNI HVNGARIAE PALATINVS. ANNO DOMINI MDCCX.

eius laudes: Laudes viri, multi, & domi, & foris, cumulauerunt. De eo adhuc viuo, CAROLVS CARAFA, Episcopus Auersanus *(i.) Petrus Pázmánus, Archiepiscopus Strigonienſis, nunc Cardinalis eminentiſſimus, vir pietate, litteris, & prudentia, nemini, in tota Europa, ſecundus.* Qui elogia, mortuo adtributa, colligere vellet, næ ille, laborem sibi conflaret, in exsuperabilem. Nulla apud exteros, qua se Romano-Catholica *Eccleſia diffundit*, regio erat, quæ *non* encomiis *Pázmánianis* personaret. Atque fateamur *oportet*, post Reges, ex Augusta gente Austriaca, Hungariæ datos, præsulem, *Pázmánio* maiorem, sedem *Strigonienſem* haud vidisse. In primis habent, quod ei in acceptis ferant, ciues nostri, ob expolitam linguam Hungaricam, quam ad eum modum percoluit, vt iure optimo, PATER ac PRINCEPS ELOQVENTIAE HVNGARICAE, dici mereatur. Certe, eius vestigiis si institissent Hungari, nihil iam nobis deesset, ad summum cultum sermonis patrii. Tametsi vero, toto tenore vitæ, testatum fecit *Pázmánus*, nihil sibi, digna sacro viro submissione, antiquius, nihil prius fuisse; tamen, pati haud quaquam potuit, vti Archiepiscoporum prærogatiuæ, detraheretur quidquam. Lis, nec opinata, inter *Stanislaum Thurzonem*, Regni Hungariæ Palatinum, & *Petrum* de προεδρία. in Sopronienſibus comitiis, magno animorum motu coorta, atque Cæsaris auctoritate definita, exemplum, laudatissimæ eius sollicitudinis, futurum est ad posteros. Iuuat, rem gestam, verbis *Pázmâni* expromsisse: *Res*, inquit, *accidit notatu digna, anno MDCXXII. postquam enim Auguſta Imperatrix diademate exornata eſſet; in epulo regali, admenſam Cæſareæ Maieſtatis, Archiepiſcopus Strigonienſis, ex ordine Mareſchalli Aulæ Cæſareæ, Superiore loco, ante Dn. Palatinum adſedit, ſicut & Poſonii factum antea fuerat, cum poſt coronationem feliciſſimam* FERDINANDI II. *ad menſam regiam accumberetur. Aegre fuit id Dn. Palatino: & a Secretario; neque enim Cancellarius Aulæ ſubſcripſit; decretum, nomine Cæſareo extraxit, quo declarabatur, Palatinum deinceps locum præcedentiæ habere debere. Scriptum hoc capſulæ, quibus* (qua) *diplomata regni adſeruantur, clam incluſum fuit. Vbi Cæſarea Regiaque Maie-*

fuit eloquentiæ Hungaricæ princeps:

& in defenſandis Archiepiſcopes prærogatiuis heros:

eius rei exemplum:

i.) In Commentariis, *de Germania Sacra Reſtaurata*, sub summis PP. Georgio XV. & Vrbano VIII. Regnante Aug. & Piissim. Imp. FERDINANDO II. Coloniæ Agripinæ, A. MDCXXXIX. p. 194. *forma oct.*

Maieſtas non ſine diſplicentia, decreti huius expeditionem prorsus alienam a ſua mente cognouiſſet: ſub ſigillo regio, per Dominum Cancellarium Aulæ, declarationem, de verbo ad verbum, hic adnexam, mihi adſignauit. Illustrissimo, ac Reuerendissimo, in Christo Patri, Domino *Petro Pázmány*, Archiepiscopo Strigonienſi, Locique eiusdem Comiti perpetuo, Primati Vngariæ, Legato Nato, ac Summo per Vngariam Secretario Cancellario, nec non Intimo nostro consiliario, sincere nobis dilecto. Cum in generalibus Regni Vngariæ Comitiis, peracta feliciter inauguratione Sereniſſimæ Romanorum Imperatricis in Reginam Vngariæ, postmodum in Conuiuio regali, ratione sessionis & præcedentiæ, difficultatis aliquid incidisset, atque inde ad instantiam D. Comitis, Palatini Regni Vngariæ, Decretum e Cancellaria Regia emanasset, quo Cæsarea Regiaque sua Maiestas benigne declarabat, eam, quæ isthic importune fuerat exorta, controuersiam, sibi minime placuisse, neque mentem vel sententiam suam esse, vel fuisse, vt illo actu, Palatinali dignitati & præeminentiæ, quæ eidem competere *posset*, vllo modo præiudicaretur; Id ipsum vero Decretum, per incuriam *fortasse Secretarii, aliis verbis, quam quæ* sensui Maiestatis Suæ Cæsareæ Regiæque *hac in parte ad amussim* responderent, conceptum, inde vero per D. Palatinum publicatum fuisset; vnde Reuerendiss. D. Archiepiscopus Strigonienſis, de tuenda Ecclesiæ suæ dignitate, & prærogatiua sollicitus, verisimiliter suspicari poterat, ne prælmemoratum Decretum in diminutionem & præiudicium iurium, sibi, dictæque Ecclesiæ suæ Metropolitanæ competentium, etiam præter, vel contra intentionem Cæs. Regiamque, futuro aliquando tempore, allegari contingeret. Id circo, Sacratissima Cæs. Regiaque sua Maiestas, Dominus noster Clementissimus, vnius cuiusque, præsertim vero Ecclesiasticorum, & Ecclesiarum indemnitati sufficienter prospicere cupiens; ad posteritatis etiam memoriam, vigore huius Decreti sui Cæs. mentis suæ sensum vlterius explicat: *eum* scilicet *fuisse, semperque futurum, vt memorati Domini Archiepiscopi, eiusque Sedis Archiepiscopalis præeminentia, & priuilegia sarta tecta conseruentur; neque illius iuribus fortasse melioribus, proutcumque sibi competunt, aut competere possunt, ex verbis, vel sensu antedicti primi Decreti, vllum, siue nunc, siue olim præiudicium generetur.* Per Sacratiss. Cæs. Regiamque Maiestatem, *Sopronii*, die Octaua Mensis Augusti MDCXXII. *Valentinus Lépes &c.* Aulæ Cancellarius. Hucusque Cæsaris litteræ *(k.)*. Nunc ad *Archiepiscopos* reliquos pergamus.

Decreto Cæsareo, firmatum.

k.) In Actis & Decretis Synodi Diœcesanæ Strigonienſis, Appendice III. p. 149. seqq. vbi pag. 150. in margine, hæc legas: *Decretum hoc, vna cum paribus Decreti prioris, in Archiuo Archiepiscopali, Capsa A. num. vlt. habetur.*

§. XXVII.

VIII. Emericus Loſſy.

De Loſſio, pauca habet dicere, auctor:

DE EMERICO LOSSIO, qui PETRO, eodem illo anno, quo is fatis conceſſerat, a Cæſare ſuffectus, confirmatus a Summo Pontifice fuerat, non habeo multa dicere, quod de eius natalibus, & quæ conſequuta eſt, iuuentute, haud quidquam reperio in litteras relatum. Eius certe prima Sacerdotia, per quorum gradus, ad epiſcopen emerſerit, *minora eius ſacerdotia:* iuxta cum ignariſſimis ſcimus. Præterquam, quod Synodo Tyrnauienſi, *(l.)* cuius nunc habuimus mentionem, ad hunc modum ſubſcripſerit: *Emericus Lóſſi, nominatus Epiſcopus Váradienſis, tamquam Præpoſitus Veteris Budæ, & Præpoſitus Sághienſis.* Prima ergo ei infula *Varadienſis* fuit, FERDINANDO in acceptis ferenda. Nimirum, *Iohanne Byber*, Quinqueeccleſias translato, *Loſſio*, vacua ſedes obtigit. quod *quando ad Epiſcopen Váradienſem, acceſſit:* equidem, ante Comitia Anni MDCXXV. quæ *Piſonii* celebrata ſunt, eueniſſe putarim: quandoquidem in eius anni decretis, frequens *Emerici Loſſii*, Epiſcopi Varadienſis, eſt mentio. Delegabatur *(m.)* ad recognoſcendos fines Hungariæ, qua ii *Auſtriam* contingunt, idque inter ſummos viros, primo loco: nominantur enim: *Reuer. Dominus Emericus Loſſy, Electus Epiſcopus Váradienſis, Spectabiles ac Magnifici, Stephanus Pálffy, Comes Paullus Nádasdy, reliqui.* Immo, in iis recenſitum prælatis, legas *(n.)*, quos *Palatino*, in iudiciis ſuperiorum regni Hungariæ partium, adeſſe oportuit. Vt fas ſit inde colligere: eo iam tum auctoritatis proceſſiſſe, fuiſſeque matura adeo prudentia, & rerum patriæ cognitione, vt rebus agendis, magna ſui exiſtimatione, potuerit adhiberi. Floruit, eadem illa dignitate, annos plures: adhuc enim anno MDCXXX. concluſione decretorum eius anni, *Electus Epiſcopus Váradienſis* dicitur. SZENT-IVÁNY *(o.)* auctor eſt, eodem illo anno, XIV. Calendas Ianuarias, a Summo Pontifice, eius hanc epiſcopen, adprobatam fuiſſe. Sed anno MDCXXXV. iam *Eccleſiæ Agrienſi* *fit Epiſcopus Agrienſis:* præfuit. Indicio nobis iterum ſunt, comitiorum, quæ celebrata eo anno fuere *Piſonii*, decreta. Exceſſerat e vita *Iohannes Byber*, præſul hucuſque Agrienſis. FERDINANDVS proinde, vti in Varadienſem antea, ſic iam in *Agrienſem* hanc ſedem, ſurrogandum *Lossium* cenſuit, pluribus annorum ſuperiorum documentis, ſibi cognitum. Annum, quo tiaram eam capeſſiuit, non reperio; comitia tamen illum anticipauiſſe, certum eſt: eo quod ex decretis *(p.)* conſtat; additum fuiſſe Palatino Regni, in iure dicundo, collegam, iam tum *Agrienſis* Epiſcopi titulo inſignem. Huc, & illud retuleris, quod eodem comi-

l.) Loco cit. p. 75. 76. Atque antea, in *Synodo Tyrnauienſi* Forgatſchiana. *Emericus Loſi* Canonicus Poſonienſis, ad annum MDCXI. in eius *Decretis*, p. 27.

m.) Articulo XXIII.

n.) Arliculo LI. adde *Concluſionem* Articulorum eiusdem anni.

o.) In Catalogo Epiſcoporum.

p.) Vide *Artic.* eius anni XIV.

comitio, *(q.)* reuiſendis limitibus regni *Polonicis*, itidem *Agrienſis* Epiſcopi nomine, deſtinabatur. Itaque, in perpetua publicorum negotiorum tractatione, *Lossius* verſabatur. Atque, meruit omnino, cum procerum omnium, tum in primis FERDINANDI III. iudicio, vti *ſuccedit Pázmáno:* mortuo *Pázmáno*, procul omni mora, in Archiepiſcopatu ſufficeretur: vt eſſet, qui tanti præſulis veſtigia premeret, curaretque, ne quid Eccleſia, quam is late propagauerat, inſtruxeratque multis fundationibus, detrimenti caperet. Nam, cum menſis quidem *Martius*, emortualis fuerit *Pázmáno*, menſis Nouembris, die XVI. confirmatum a ſummo Pontifice fuiſſe, ex SZENTYVÁNIO conſtat. *(r.)* EMERICVS LOSSI, inquit, *ex Epiſcopatu Agrienſi, translatus, & XVI. Nouembris confirmatus.* Non expreſſit annum; ſed trigeſimum ſeptimum, ſupra milleſimum ſexcenteſimum fuiſſe, liquido conſtat. Vt Archi- *eius, in Muſas Tyrnauienſes, propenſio:* epiſcopatum adiit, *Muſas Tyrnauienſes*, in primis ſibi habuit commendatas. Sæpe harum *(s.)* gymnaſmata & litteraria certamina, ſpectabat, audiebat, iudicabat, atque propoſitis, in medium, præmiis, remunerabatur. Opera, quæ religionis cauſſa exorſus fuit *Pázmánus*, *perficit opera, quæ morte præuentus, nequiuit* Petrus: neque potuit, morte præuentus conſummare; magna impenſa perfecit. Exemplo eſt, *Odeum S. Claræ* Piſonienſe, quod a *Petro* adfectum, conſummatum ab *Emerico*, inſcriptio, portæ Cœnobii inſculpta, loquitur: PETRVS CARDINALIS PÁZMÁNY, ARCHIEPISCOPVS STRIGONIENSIS, HOC CLAVSTRVM RVINOSVM, DIRVIT, A FVNDAMENTIS AD SVMMITATEM EDVXIT, IN OPEREQVE OBIIT, ANNO MDCXXXVII. DIE XIX. MARTII. EMERICVS LOSSY, ARCHIEPISCOPVS STRIGONIENSIS, FELICITER FINIIT, BENEDIXIT, ET VIRGINES SVB REGVLA S. CLARAE, DEO DICATAS, INTRODVXIT, ANNO MDCXL. Auxit, ſuo etiam inſtituto, *Piſonii ſeminarium* Piſonium, De eo THVROCZIVS. *(t.) Vnum*, inquit, *educando clero,* S. Emerici, *poſuit Seminarium, Poſonii, nominis ſui tutelari conſecratum.* Nempe, *excitat:* S. EMERICO Duci, id dedicauit, ea deſtinatione, vt ſacerdotes illic educarentur, genti in primis Hungaricæ ſacris operaturi. Id volunt Eruditi Tyrnauienſes *(u.)*: *Seminarium* S. EMERICI *Poſonii condidit, vt haberet Eccleſia Hungarica, qui a teneris, ad magnos olim labores & fatigia, educarentur.* Loquitur, hodieque inſtituti conditorem, parietis inſcriptio:

HOC EMERICE LÓSI, PLANTASTI LILIA' FVNDO
Liligeræ Matri, liligeroque Duci.
Ergo, Emericanæ heic creſcant virtutis alumni,
Quos Deus & Virgo, quos Emericus amet.

Plura illic huiusmodi legas, quibus frons exornata eſt *Seminarii*, ſed quæ præteriiſſe, nullum eſt famæ diſpendium. Vltra conantem, an-

q.) Articulo LIV. Adde concluſionem.

r.) In Catalogo Archiepiſcoporum.

s.) Vide Libellum, de *Progreſſu Almæ Archi-epiſcopalis S. I. Tyrnau. Vniuerſitatis*, p. 126. ſeqq.

t.) In *Hungaria Compendio data.* p. 97.

u.) In libello, quem nunc citauimus, p. 143.

fato ſuo fungitur.

no MDCXLII. mors intercepit: quam *Szentiváný*, ad antegreſſum *(v.)* retulit; præter rem omnino. Id ad laudem præſulis permultum adtinet, quod; *Tyrnauiæ, ſtudii iuris patrii fecit fundationem.* Iſta de *Lossio.*

§. XXVIII.

IX. Georgius Lippai.

Surrogatur in ſedem, Georgius Lippai:

VIx nuncius ad Cæſarem fuit perlatus, obiiſſe diem *Loſſium*, cum is diſpicere de viro cœpit, quem admoueret ſacro faſtigio. GEORGIVS LIPPAI, Agrienſium Præſul, in primis occurrebat; quem eo lubentius deligit, quod, tametſi *Cancellarius* ſuus eſſet, ne verbo tamen, cum iure quodam ſuo & ſine offenſa, potuiſſet, id dignitatis ambierit: ratus, honorum vmbram, fugere ſectantes, fugientes inſequi. Prænobili loco natus, nobilem mentem, inde a teneris, elegantioribus litteris, *imbuit, profecitque in primam vſque iuuentam*, adeo, vt cum ſacros ordines expeteret, *non admittendum* modo cenſerent, quorum id intererat; ſed inuitandum etiam, propoſitis ſacræ *vitæ* præmiis, ſi, quo cœpit pede, ſtadium ſibi deſignatum, porro decurreret. Ergo, in Canonicorum primo Ordinem adſcitus, breui *Præpoſitus* S. STEPHANI, *de Caſtro Strigonienſi*, creatus eſt. Eo certe nomine, ordine autem tertius & decimus, Synodo Tyrnauienſi, ſubſcripſit. Poſtea, tiaram *Quinqueeccleſienſem* obtinuit. Inde, ſic ferente viri eximia virtute, ad *Veſzprimienſem* delatus, anno MDCXXXIII. quinto Idus Iunii, a Pontifice confirmabatur. Iis profecto comitiis, quæ anno MDCXXXV. Sempronium coegerat FERDINANDVS II. ampliſſima *Lippai* fit mentio. Nam, & dicendo iuri, *(x.)* vltra & cis Danubium; & diſputandis Valachorum *(y.)* negotiis; quin & reuidendis abolendisque teloniis, quæ, quod pontium curam non habent, *ſicca* dicuntur, deſtinabatur *(z.)*, tanta auctoritate, vt primas vbique partes obtineret. Præclaris deinde facinoribus, hic atque alibi editis, gradum ſibi ad ſedem *Agrienſem*, atque ea potitus, ad *Cancellarii* quoque dignitatem, præſtruxit: nempe, vt horum munerum adminiſtratione, ſubactus, humeros ſolidaret, ferendo oneri idoneos futuros, quod ei fata, iam tum, deſtinabant. *Archiepiſcopen* volo, ad quam euocatus, duodecimus eorum fuit, qui ex *Agrienſi* ſede, in *Strigonienſem*, translati ſunt. Ea dignitate auctus, nihil prius, nihil antiquius habuit, quam vt iter ingrederetur, quod ſibi præiuerant anteceſſores ſui. Ergo, ſacra *Romano-Catholica*, quoties ſe dabat occaſio, pro virili & defenſabat; & nouis paſſim auctibus propagabat. Nos,

ingreſſus Archiepiſcopalis:

eius ortus & adoleſcentiæ ſtudia:

prima ſacerdotia:

euocatur ad Archiepiſcopen *Strigonienſem.*

v.) Non in *Catalogo* modo; ſed *Chronologica* etiam *Synopſi* Hungariæ.

x.) Articulo eius anni XIV.

y.) Articulo XXXIII.

z.) Articulo LXXII.

Nos, breuitate, qua fieri poteſt, maxima, inſigniores eius actus, memorabimus.

§. XXIX.

Quæ eum exceperit ſollicitudo:

EXarſerat, poſt prima Archiepiſcopatus *Lippaii* exordia, bellum Tranſiluanicum, illatum Cæſari, a *Georgio Rákóczio*, Tranſiluaniæ principe; eo funeſtius Hungariæ, quod, viribus, cum *Suecis*, qui tunc in *Morauia* tumultuabantur, coadunatis geſtum. In primis, *Tyrnauiæ*, ea procella incubuit, *Ieſuitarum*, credo, odio; quos *Rákóczius*, & ſui tribules, depulſos volebant Hungaria. Ergo, omni cura & ſtudio, elaborandum *Lippaio* fuit, ne, Academia Archiepiſcopalis Tyrnauienſis, cui ex muneris ratione patrocinandum erat, peſſum daretur. *Perculſa*, inquiunt eruditi Tyrnauienſes, *(a.)* ad annum MDCXLIV. *tam infelici belli nuncio, Pallas noſtra, etſi ſolum vertere, duriſſimum ſibi eſſe arbitraetur; iuſſu tamen Archiepiſcopi* (Georgii Lippaii) *& Proregis* (Nicolai Eſzterházii) *in tutiora, ſub ferias, reſurgentis Domini, ſe recepit.* Sed caueri tamen haud potuit, quin reduces Muſæ, ſemel iterumque obſeſſa vrbe, *conturbarentur*: dum, facta, anno MDCXLV. pace, cura & ſtudio *Lippaii*, ſibi ipſis redderentur. Grauiores poſtea curæ, *Georgium* diſtinuerunt; cum coactis, anno MDCXLVII. comitiis, omni virium contentione, in id incumberent *Proteſtantes*, vti deturbati a rerum poſſeſſione *Ieſuitæ*, aut regno decederent, aut circumſcriberentur ad eum modum, ſicuti id e republica viſum fuerit. Dici nequit, quanto feruore, quibusque vigiliis, connitendum fuerit *Lippaio*, ne hæc iſtiusmodi poſtulata, ſanctionibus comitiorum inferrentur. Probauit ſe, hæc eius induſtria FERDINANDO. Quocirca, datis ad eum litteris, clementiæ plenis, id monebat, vti adſcitis, *Iohanne Drascovitio*, regni Palatino, & *Mikulichio*, Perſonalis Præſentiæ Regiæ Locumtenente, *Societatem* IESV, nuperis comitiis, tantis exagitatam fluctibus, ſibi haberet quam commendatiſſimam. Ac reſpondit omnino benignæ huic Cæſaris voluntati, Archiepiſcopus, deditque operam, vt non modo intemeratos *Ieſuitas* haberet, ſed miſſis etiam coloniis, quam latiſſime protenderet. Sub idem tempus, inductos Societatis Patres, *Neoſolium*, *Schemnitzium*, *Szakolczam*, *Trentſinium*, *Rosnauiam*, *Gyöngyöſium*, & *Homonnam*; *Vnguarini* autem noua ſeminarii acceſſione locupletatos, paſſim relatum legas.

Patrocinatur omni ſtudio Ieſuitis:

ſucceſſu felici:

quos poſtea latiſſime propagat.

§. XXX.

DEfunctus his laboribus LIPPAIVS, in eam curam incubuit, vti coacta anno MDCXLVIII. ad XVII. Calend. Octobris, *Synodo Prouinciali*, id, quod ſalutare videretur, pro ea, qua pollebat, auctoritate, communibus *Venerabilis Cleri* Hungariæ ſuffragiis, ſanciretur. *Tyrnauiam* ergo, patres, Idibus fere Septembris con-

Synodum Tyrnauiæ cogit:

a.) De Progreſſu Almæ Archiepiſcopalis &c. p. 152.

uenere. In quibus, præter Antiſtites & Prælatos regni ceteros, Ordinis *S. Paulli Eremitæ* Generalis, *S. Franciſci Fratrum* legatus, & eorum, *Societatis* Iesv domiciliorum *Superiores*, qui beneficia Eccleſiaſtica obtinebant, cum præſide prouinciæ, & duobus Theologiæ Doctoribus, coiuere. *Huic Synodo, priusquam initium daretur*, verba ſunt eruditorum Tyrnauienſium, *(b.) Archiepiſcopus, ſex dierum ſpatio, a tumultu populi ſegregatus, in collegio noſtro, per pias rerum diuinarum contemplationes, animum, ad tantum opus, præparauit.* Iniit tandem Synodus XVII. Calendas Octobres, in qua, cum alia multa, ad doctrinam partim, partim ad vitam adtinentia, magna omnium conſenſione, decreta ſunt; tum in primis, *Georgii Draſkouitzii Epiſcopi Iaurienſis*, actus, publico, anni ſuperioris comitio, exagitati, in cenſuram vocabantur. Intereſt, credo, lectoris, vt rem omnem, quemadmodum a Georgio Ratkaio *(c.)* relata in litteras eſt, adtexamus. Georgivs Lippaivs, inquit, *Strigonienſis Archi-Præſul, vir tabeſcens zelo, pacem peccatorum videns, dum memoria repetit, a decennio iam, ſacro Prælatorum vniuerſæ prouinciæ concilio intermiſſo, hæreſes earumque potentiam, nimium vires ſumere, Catholicorum procerum pietatem tepeſcere, gregem Domini, curæ ſuæ creditum, ſilueſcere, & longe ab inſtituto, quam ſacros viros deceret, diſcedere; ac inter eos, præſertim* Georgivm Drascovitzivm, *Iaurienſem Epiſcopum, qui dignitatem eam, prælto ingenio, eoque ſemper aſtute liberali, quibusdam apud Cæſarem ſibi fauentibus, non occulta largitione, præoccupatis atque corruptis, conſcenderat.* Hæ cauſſæ, hi fines erant, coactæ Synodi. Poſtea, quæ fuerint *Draskouitzianæ* exorbitationis capita, exponit. *Is, ab inſigni cupiditate, maiores opes adfectans, non ſolum nobilitatem plurimis onerarat iniuriis; ſed collegium quoque ſacerdotum, ſubditosque poteſtati ſuæ ſubiectos, variis adflixit cladibus; pontificatu denique, varia labe polluto, cuius antea nomen ſanctius & venerabilius fuerat, eccleſiaſticarum rerum ſtatum, maximopere conturbauit. Itaque cum & antea, per comitiales dies, grauiſſimis a nobilitate depoſitis querelis, in iudicium fuiſſet poſtulatus, & deinceps quoque, ſeditioſa multitudinis aduerſus Clerum concitatio metueretur; ſanis* Lippaivs *inductus conſiliis, ſacrum, ad menſem Septembrem, indicit concilium. quo conuenientibus vniuerſis, quæ pro incremento Catholicæ fidei, emendatione deprauatorum morum, caſtigandisque ſontibus, expedire viſa ſunt, magna Lippianæ pietatis, ac publici boni feruore, ſancita fuere.* His ſe & epiſcopen, maculauerat *Draskouiczius.* Iam, quid in eum ſacer conuentus ſtatuerit, quique, mitem eius caſtigationem, accuſatus tulerit, fas eſt, audiamus: *Et Drascouitzius quidem, velut nobilitatis ingenitæ, & ſacræ dignitatis, quam gerebat, immemor, tum ob crimina, quorum ſupra meminimus, tum in primis, ob epiſcopatus ſui deuaſtationem, abalienationem, auaram demum nimium tributorum exactionem, communi concilii voto, bonis eccleſiæ ſuæ ad triennium; quinque millibus annuis, pro ſacra dignitate, decore ſuſtentanda, conceſſis; non absque graui nominis, bonæque exiſtimationis iactura, motus eſt. Verum, dum hac mitiori correctione, pertinaci conatu, neutiquam contentus foret; deinde, iudicio ab Archiepiſcopo, legibus regni iubentibus, rite celebrato, in bis centenis millibus damnatus, eccleſiæ bonis, ſeſe denuo abdicare iuſſus fuerit.* Nimirum, ita ſunt hominum ingenia, vt cum prona ſint ad delinquendum, iniuriam ducant, ſi interſerta qualicunque caſtigatione, ad frugem reuocentur. Id egiſſe cenſendus eſt Draskouitzius, *cum feſtinato ad Cæſarem, itinere, recuperandæ gratiæ beneficiique repetendi cauſſa, Viennam contendit. Vbi diuturno deſudans labore, ac quorundam interpoſitis precibus, ægre tandem, obligatis ac depoſitis diuerſis ſibi fauentibus, bis centenis millibus, ſaluo ac integro Archiepiſcopi iudicio ceterum perſiſtente, optato potitus voto, Iaurinum reuerſus abiit.* Valuit interea, hæc *Drascouitzii*, cenſura, ad mores emendandos, & finiendam, cum pietate, vitam. *Hæc quæ diximus*, inquit porro Ratkaivs, *infamem eum reddidiſſent, niſi ſenectute ac vitæ termino propinquante, melioribus mentem conſiliis, inſtituiſſet.* Profecto, vltimæ voluntatis tabulis, ingentem pecuniarum ſummam, ad ſacros vſus, nepotibusque ſuis, legauit: qua de re *(d.)* alibi.

quid illic actum:

vocatur in ius ſacrum, Draskouitz, *Epiſcopus Iaurienſis:*

rei geſtæ hiſtoria, ex Rattkaio:

pœna ei irrogata:

Drascouitii *iniquies:*

ac denique reſipiſcentia.

§. XXXI.

NOn piguit, inſigne iſtud Archiepiſcopalis ſeueritatis exemplum adtexuiſſe; vt conſtaret apud poſteros, nil quidquam natalibus; ſed nec ordini ſacro, indulſiſſe Lippaivm; quin, quod in eo fuit reprobandum, & tempeſtiue caſtigaret, & ſeuere. Eadem hac Synodo, Patres *Societatis* Iesv, mirum in modum diuexati hucuſque, in *Clero Regni Hungariæ*, communi patrum conſenſu, relati ſunt. Tabulæ, quas in eam rem ſignauit Lippaius, ſic habent. Georgivs Lippai, *miſeratione diuina Archiepiſcopus Metropolitanæ Strigonienſis Eccleſiæ, Locique eiusdem, Comes perpetuus, Primas Hungariæ, Sacræ Sedis Apoſtolicæ legatus natus, Sacræ Cæſareæ Regiæque Maieſtatis Intimus Conſiliarius, & per Hungariam ſummus, ac Secretarius Cancellarius. Pro Archiepiſcopali, quo fungimur, munere, ſollicitudinem concreditæ nobis a Deo Eccleſiæ gerentes, Patriarchali quoque ſeu Primatiali auctoritate, ſpiritualibus regni huius Hungariæ emolumentis & commodis inuigilantes, indixeramus, proxime elapſo Septembris menſe, anni MDCXLVIII. nationalem Synodum, in Libera Regiaque Tyrnauienſi ciuitate, vt diſpiceret mature, & conſtitueret ſalubriter, quæ facere iudicaret, calamitoſis his Reipublicæ Chriſtianæ temporibus, pro animarum ſalute, diſciplina Cleri, bonoque ſpirituali vniuerſi regni; ne, dum Eccleſia catholica, in qua nos diuina miſeratio paſtores conſtituit, vndique vexatur ac premitur, nos otioſi tantum calamitatum ſpectatores, qui*

Cur hæc adtexuerit auctor:

Patres S. I. in V. Clero Regni Hungariæ, referuntur:

Lippaii, *ſuper ea re diploma:*

b.) Loco citato. p. 162.

c.) In, Memoria Regvm & Banorum Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ, inchoata, ab origine ſua, vſque ad A. MDCLI. deducta, auctore Georgio Rattkai de Nagy-Tábor, Lectore & Canonico Zágrabienſe. Viennæ Auſt. A. MDCLII. fol. Lib. VI. p. 253. ſeq.

d.) In hiſtoria *Comitatus Iaurienſis*, Parte Generali, Membro II. §. VII. num. 34.

qui propugnatores illius & ſeduli cuſtodes eſſe debebamus, diſtrictam Deo rationem, (ſi aliquid per noſtram pateretur ignauiam, vel per noſtram paſtoralem ſe non erigeret vigilantiam) aliquando reddere deberemus. Cum igitur ex vniuerſi Regni prælatis maioribus & minoribus, dicta nationalis Synodus, legitime collecta, multa variaque, pro bono ſpirituali animarum nobis commiſſarum tractaret; placuit eidem, ſacræ nationali Synodo, de Venerabilibus quoque & eximiis Eccleſiæ noſtræ membris, ac ſedulis, pro gloria Dei excubatoribus Societatis Iesv *Patribus, ſuam declarare ſententiam. Inhærendo itaque veſtigiis Illuſtriſſimorum ac Reuerendiſſimorum quondam, felicis recordationis Archiepiſcoporum, prædeceſſorum noſtrorum, Reuerendiſſimorum Epiſcoporum, & reliquorum Prælatorum, qui cum alias, tum in anno MDCVIII. ſingularem ſuum in Patres, dictæ Societatis* Iesv, *adfectum, publicis ſunt teſtati inſtrumentis; vtque eosdem R.R. P.P. & vniuerſam Societatem* Iesv, *arctius nobis, in Domino, adſtringeremus, ſacra nationalis Synodus, in hæc formalia verba conuenit: ſicut neque hactenus in dubium reuocauit ſtatus Eccleſiaſticus, ita in præſenti quoque ſacra ſynodo, recognoſcit,* Societatis Iesv P.P. vera et legitima statvs Ecclesiastici, in Regno Hvngariae, eidemqve adnexis regnis et provinciis, esse membra. *Quæ ſacræ Synodi declaratio, vt teſtatior fieret, ac futuris etiam temporibus, omnibus, cuiusque ſtatus, conditionis & præeminentiæ, id ipſum innoteſcere poſſet, has, auctoritate publica, ſigillo, ac ſubſcriptione noſtra, munitas, dedimus. Tyrnauiæ. XXIX. Decembr. MDCXLVIII.* Georgivs Lippai, *Archiepiſcopus Strigonienſis.* Ingens, profecto, propenſæ in *Ieſuitas*, voluntatis documentum! His actibus, id quoque acceſſit, vt *Collegium Generale*, per Archiepiſcopum Strigonienſem, Tyrnauiæ, ſub titulo, Patronae Hvngariae, erigeretur. Diutinum inſtitutum, & quod *Forgáchius* non minus, quam *Pázmánus*, animo verſat; *Lippaius* denique conſummauit. Scilicet, *toti*, vniuerſim, *Romanæ* per Hungariam *Eccleſiæ*, hac prouidentia conſultum ibat Lippaivs. Promouit deſtinationem Ferdinandvs, quando *Præpoſituram* veteris Budæ, *Sanctorum Petri & Paulli*; minutiora item beneficia alia, ei ſuſtentandæ, munificentiſſime adtribuit. Acceſſere *triginta*, præterea, *& quinque* florenorum *millia*, quæ *Emericus Loſſi*, ſuprema voluntate, in eosdem hos vſus, deſtinauerat. Sed, præſules quoque alii, certatim, quo iuuarerur cœptum, cum pro ſe conferebant, tum ſpondebant pro ſucceſſoribus. Simul, ad hunc modum, inſtitutum conualuit, in eam ſententiam, cum congregatis patribus, ibat *Lippaius*, vti *Societatis* curæ id committeretur: quippe, cui *Seminaria*, & quæ erant, collegia reliqua, credidiſſe, haud pœnituit conditores.

Collegium Generale, Tyrnauiæ inſtituit Lippaius.

§. XXXII.

Fundationes Lippaii *reliquæ:*

Annum, qui ſequebatur, MDCXLIX. *Collegii Germanici*, quod Tyrnauiæ alitur, inauguratione, inſignem ſibi apud poſteros Lippaivs fecit. In hos annos, non ſacellum tantum, quod in

in Piſonienſi Archiepiſcoporum prætorio, *S. Ladislai* nomine dedicatum, inſtaurauit; ſed Cœnobium quoque *Franciſcanorum* referendum eſt, *S. Antonio*, in *Sede Vajkenſi*, conſecratum. Annorum reliquam ſeriem, ita ſubinde collocauit Lippaivs, vt de Rege, regno, & Archiepiſcope ſua, quam poſſet, optime mereretur. In primis, quam eſſet patriæ ſtudioſus, iisdem illis comitiis, quibus anno MDCLV. Leopoldvm, a rebus geſtis *Magnum* poſtea nuncupatum, inauguraue- Leopoldum *diademate redimit:*
rat, documentum præbuit. Non vna impreſſione, Turcæ, regionem trans *Vagum* ſitam, annis ſuperioribus, euaſtauerant; quin metus erat, ne *Vjvarinum*, munimentum Archiepiſcopale, ſubita circumuentum obſidione, tentarent. Ergo, cum in publico *Ordinum* congreſſu, de arce adſeruanda, & nouis inſtruenda operibus, agitur; totam ille muniendæ Vjvarini *muniendi curam in ſe recipit:*
eius curam, in ſe recipit; ſiue, quod id ad ſe pertinere exiſtimaret; ſiue, vt teſtaretur, quantopere conſultum vellet rebus patriæ, multum labefactatis Turcica illa feritate. Meminit eius liberalitatis, ad hunc annum, Szent-Iványi: *Georgius Lippai*, inquit, *Archiepiſcopus Strigonienſis, munitionis præſidii Vjvarienſis, magno animo, ac liberalitate ſibi innata, coram Regni Statibus, in ſe ſuſcipit curam.* Sed Ordines quoque magna, vti meruit, laude, præclarum facinus præſulis, ad poſteritatem transmittendum cenſuerunt. Digna ſunt verba, quæ hic recognoſcamus: *Siquidem Dominus Archiepiſcopus, cum æterna ſui, totiusque familiæ ſuæ memoria, veale ſortalitium Erſek-Ujvarienſe, muro circum circa cingendum, non modo in ſe adſumpſiſſet; verum etiam feliciter inchoatum operoſius continuaret, (quem eiusdem erga nationem Hungaricam, proprio motu & ſingulari adfectu, declaratum amorem & gratificandi liberalitatem, Status & Ordines, cum debita gratiarum actione recognoſcunt, ac ad poſteritatem, futuris ſemper temporibus recognoſcendam, præſenti ſtatuto transmittunt,) pecunia illa,* (Draskouitziana, cuius eadem ſanctione fuit mentio,) *ad foſſatum eiusdem fortalitii expurgandum, conuertatur.* Hæc illic legas, repetenda a nobis, in arcis *Ujvár* hiſtoria. Sed, æs illud *Draskouitzianum*, diutius, quam id operæ patiebantur, ærario regio adhæſerat. Ergo, neceſſum habebant *Ordines*, noua ſanctione *(e.)* ſummam illam, prolicere, rogareque Cæſarem, vti eam, *Lippaio*, in hanc impenſam diſſoluendam curaret. quod ita eueniſſe, ex comitiorum, quæ anno MDCLXII. agebantur, conſultis *(f.)* addiſcas. Verum, lente admodum proceſſit opus, tanto animo occupatum a *Lippaio:* vt non defuerint, qui amiſſi, anno ſequente, *Vjvarini*, culpam, in præſulem detorquerent. Diſſerte Wagnervs *(g.)* dum robur arcis, a Turcis obſeſſæ, deſcribit: *Fluxi*, inquit, *vetuſtate muri, foſſa humilis, ac alibi pene nulla, extra, nihil earum munitionum, quas remorando hoſti, nouæ artes inuenere. Ea*, Lippaii, *Archiepiſcopi culpa fuiſſe dicebatur, cui ea procuratio, cum certa pecuniæ ſumma, demandata fuerat. Et augebat inuidiam,*

quod Ordines, publicis comitiis, grati recognoſcunt:

an recte, amiſſi Vjvarini *culpa, impingatur* Lippaio;

e.) Exſtat ea, in Decretis A. mdclix. art. v.

f.) Articulo xxi.

g.) Hiſtoriæ Leopoldi M. Lib. ii. p. 131.

diam, quod eodem tempore, hortum, ſumma magnificentia, & impenſis maximis, Poſonii moliebatur. Nolim dicam hanc, præſuli, patriæ ſtudioſiſſimo, ſcribi; tametſi certum ſit, eadem hac tempeſtate viridarium, nullo non oblectamentorum genere, ad *Verſaliæ* propemodum æmulationem, inſtruxiſſe: cuius nos habitum, in ſuburbanis Piſonii opportunitatibus, exhibebimus. Ceterum, LIPPAIVS, triennium cladi *Vjvarienſi* ſuperuixit: quippe qui, anno MDCLXVI. *Piſonii*, inter ſolitæ munificentiæ curas, viuendi finem fecit. Videbat, remiſſius, in *Academia Tyrnauienſi*, ius patrium doceri diſcique; proinde, decem millia Vallenſium, his vſibus deſtinat, vt, qui ſingulari, in *Tyrnauienſes* propenſione, Archiepiſcopen exorſus fuerat, eadem, ſuppari liberalitate, decederet. Præſedit annis *(h.)* viginti & quinque, Cæſari charus, acceptus ſuis, inuiſus nemini.

eius dies ſupremus.

§. XXXIII.

X. *Georgius Szeleptsény.*

Succedit Georgius Szeleptzény:

LIppaio, ſucceſſor GEORGIVS SZELEPTSÉNY a LEOPOLDO M. datus eſt: quod non facile occurreret, ſiue doctrinam ſpectares, ſiue cum ætate, morum grauitatem, dignior quisquam. Iam enim, non diuerſis modo ſacerdotiis, ſed vicennali etiam *Cancellariatu*, ſatis ſuperque teſtatum fecerat, qua fuerit, in Regem fide, in regnum propenſione. Sunt, qui obſcuriores ei natales auſint tribuere, eosque ita tenues, vt neceſſum habuerit, primam adoleſcentiam, pane precario, tolerare, eaque ratione Muſis operari: quod iam non diſputamus: a conſobrinis certe *Szeleptsenianis*, qui in prima nobilitate adhuc ſuperant *in Morauia*, id contra eſſe accepimus. Iſtud caret dubio, alumnum fuiſſe *Pázmánii*, Romæ, in collegio Germanico & Hungarico, liberaliter, atque eo vſque ſuſtentatum, donec *Theologiæ* prorſus innutritus, dignus haberetur, quem in Hungariam, opimis olim ſacerdotiis admouendum, reuocaret. Hanc, tanti beneficii memoriam, *Szeleptsénius* ipſe, dum *Romæ* agebat, ingenio non minus, quam manu artifice, ad poſteros transmiſit. Nimirum, vniuerſam ille *Theologiam*, præſide *Iohanne de Lugo*, poſtea Cardinale, propugnauerat, *Theſibus*, vti decuit, *Pázmáno* dedicatis. Fuerunt eæ, libello expreſſæ, cui icona *Pázmáni*, ſua exſculptam manu, præfixerat, cum hac inſcriptione: *Propoſitiones Theologicæ, Auſpiciis Eminentiſſimi Principis, Petri Cardinalis Pázmány, Archiepiſcopi Strigonienſis, Primatis Hungariæ, S. Sedis Apoſtolicæ Legati Nati. Defenſæ a* Georgio Pohroncio Szeleptsény, *Hungaro, Collegii Germanici & Hungarici alumno.* Sub oram autem æris, ne ignoraretur artifex, ſuum, pro more, nomen adſculpſit: *Georgius Sze-*

natales eius, an reuera ita obſcuri, ſicuti perhibent nonnulli:

fuit alumnus Pázmánii, in Romano Collegio:

in altorem, eximie gratus.

h.) Quinque hæc magiſtratus eius luſtra, ſingulari libello celebrauere *Eruditi Tyrnauienſes.* Progreſſu Almæ Archiepiſcop. P. II. p. II.

Szeleptsény, inuenit & fecit. Quibus autem inductus auctoramentis, hoc ſuorum profectuum documentum, ſiue auſus ſit, ſiue debuerit *Pázmánio* inſcribere, non fuerit ſuperuacuæ diligentiæ, heic adtexuiſſe. *Amat*, inquit, *beneficentia, gratiam, Eminentiſſime Princeps! mater videlicet filiam: a qua, pio ciconiarum exemplo, poſtulat* ἀνταπεδόσεως. Liberalitati Tuæ, tantum ſtudia mea, debent, vt vitam ipſam, ex iſto vitali fonte, ſe hauſiſſe, *profiteantur. Quid igitur mirum, ſi, quod olim in certamine philoſophico ſpopondi, nunc præſto? ſi meorum in Theologia ſtudiorum rationes, ad Tui glorioſiſſimi nominis aram, dedicantur? Cum vero apes, hoc tempore regnatrices, omnium ſint magiſtræ virtutum, grati etiam animi ſpecimen exhibere, pie docuerunt. Aiunt enim naturæ contemplatores, ſi apium corpuſcula incidantur, earum in pectore, bouini imaginem capitis reperiri. Notum vero eſt, a bouis corpore plerumque parari apes, aut reparari. Eius ergo præferunt vultum, cui vitam debent. At ego, cui magis, quam Tibi, Tuoque perenni, tot annorum patrocinio referam acceptum, quidquid æui, vrbano hoc in alueario, traduxi. Quale* TIBI *munus reddi pro munere? quod ſemper gero in pectore: vultum videlicet illum Tuum, numquam melius, quam Euangelico Ezechielis boue expreſſum; vt qui, & ſacerdotali dignitate, & ſacrarum ſapientia litterarum, maximus, tam feruenter propagando incumbis Euangelio, vt propterea felici non ſecus, ac ille, metamorphoſi, in Cherubinum ardentem, totus tranſiiſſe videaris. Ego, nunc vultum æri inciſum, publicæ luci expono, vt beneficentiæ Tuæ, & obſeruantiæ meæ, monumentum exſtet, ære perennius.* Iſta ille, de Pázmáni munificentia, iuxta & ſua, erga Mecænatem, grati animi ſignificatione, anno MDCXXX. in litteras retulit, atque in æs perennaturum incidit.

§. XXXIV.

Redux in Hungariam, minora primum ſacerdotia:

AD hunc modum, litteris melioribus percultus, *Szeleptsénius*, ſimul in Hungariam, æquiſſima præceptoris ſui, *Iohannis de Lugo*, ſtipatus commendatione, rediit, non minus *Pázmáni* beneficio, quam optimo ſuo merito, ad ſacerdotia admoueri cœpit. Tacemus gradus, quos fecit, inferiores: infularum, quæ ei primo omnium obtigit, *Veſzprimienſis* fuit. Hanc ille epiſcopen, eo adminiſtrauit ſollicitius, quo difficiliora erant tempora: quippe, mutuis, non Turcarum modo & Chriſtianorum; ſed domeſticis etiam iniuriis popularium, infeſta. Exſtat, ſolertiæ huius documentum, comitiis, anni MDCXLVII. inter leges, *(i.)* relatum. Sed hæc ei ſedes non admodum diuturna fuit. Iam enim, anno MDCXLIX. in *Nitrienſem* translatum legas, in decretorum eiusdem anni epilogo. Hic, dum agit, præter aſſiduas curas, religioni impenſas, ſubinde rerum ciuilium procurationi, ob inſigne æquitatis ſtudium, admotus *(k.)* eſt:

dein Veſzprimienſium:

Nitrienſem poſtea tiaram, capeſſit:

i.) Articulo XCVII.

k.) Vide, Comitiorum Anni MDCXLIX. *Articulum* LI.

simul Cancellariatu, *& Archiepiſcope* Colocenſi, *ornatus:*

eſt: donec, non *Cancellarii* modo, ſed *Archiepiſcopi* etiam *Colocſenſis*, axiomatibus, ornaretur; adminiſtratione ſimul dioeceſeos *Nitrienſis* retenta. Anno certe MDCLIX. vtraque hac dignitate fulſiſſe iam *Szeleptsénium*, ex eius anni decretis addiſcas. Tenuit, geminam hanc prouinciam, ornauitque *Georgius*, vsque dum, *Lippai*, fatis concederet.

transfertur in ſedem Strigonienſem:

Tunc vero, qua fuit apud Leopoldvm M. gratia, procul omni ambitu, ad tiaram *Strigonienſem* translatus, *Cæſari* non minus, quam toti vniuerſim regno, in rebus gerendis prudentiam, in adminiſtrandis vero eccleſiis diligentiam, mirifice adprobauit. Nemo Thúróczio *(l.)* laudes viri, ſeu elegantius, ſeu verius, in compendium miſit, quas ideo, eius verbis recitabimus:

eius encomium:

Szeleptsénivs, *vir conſiliorum*, Lippaio *proximus ſedit. Tanta illi ſapientia, & auctoritas, vt quidquid extra, intraque Hungariam, a Regibus ageretur, ageretur id de ſententia* Szeleptsénii. *Multus fuit in accuranda republica; plurimus in eccleſiaſtica. Quartum Orator Imperatorum, conciliauit ſibi animos exterorum monarcharum, & ad vſus ſuorum principum coniunxit. Sacra omnia, rerum diligentiſſimus, non modo conſeruauit integre illibateque; verum etiam, magnifice ampliauit. Tyrnauiæ, quo Slaui vterentur, D. Michaelis honoribus, templum conſtruxit. Seminarium ibidem, pro Clero nobilique iuuentute, poſuit, cui alterum vix vidit Hungaria. Bina ad hæc Ieſuitis fundauit Collegia: Leutſchouiæ, & Szakolczæ. quos, & Zolnam induxit. Vnum dedit Carmelitis Monaſterium.* Protendit etiam *in Styriam fauores, Cellasque Marianas, donisque arisque cumulauit, prorſus eximiis: vbi & terræ creditus eſt.* Hæc ille. Nos & iſtud addimus: ſuo quodam iure, in liberatoribus *Viennæ*, operoſa a Turcis obſidione preſſæ, cenſeri debere *Szeleptsénium:* non quod armis eam præſens defenſarit; ſed quod iuuit abſens, auro argentoque illic depoſito.

ſuo iure, in liberatoribus Viennæ, cenſendus:

Nempe, laborari cœptum eſt in vrbe, cum annonæ penuria, tum pecuniæ, ſoluendis ſtipendiis, inopia. Tunc vero, *Leopoldus Comes a Kollonitſch*, epiſcopus Neoſtadienſis, qui magno vrbis commodo, Viennæ ſe claudi paſſus eſt, probe conſcius, ingentem vim aureæ argenteæque monetæ, ibidem repoſitam habere *Georgium*, inito, cum primoribus vrbis, conſilio, ærarium aperuit, ex eoque, quingenta *florenorum Rhenenſium* millia, in ſubſidium vrbis, erogauit: quippe, qui gnarus erat, eadem mente, liberalitate autem longe paratiore, futurum fuiſſe *Georgium*, ſi eodem periculo, quo erant obſeſſi, circumuentus fuiſſet. Conſtans poſtea fama vulgabatur, hanc tanti æris profuſionem, in lucris deputauiſſe *Szeleptsénium*, biennio poſt, hoc eſt, anno MDCLXXXV. decimo nono ante Calendas Februarii, *Litouitii*, in Morauia, vita functum, cum eſſet nonagenario maior. Quantum ſui, deſiderium reliquerit, ſenex venerandus, inde arguas, quod *Cæſar* quidem patrem; columen, *Ordines;* boni, priſcæ virtutis exemplar, in tanto viro exſtinctum, condolebant.

moritur, nonagenario maior.

§. XXXV.

l.) Hungariæ Compendio datæ, p. 99.

§. XXXV.

XI. *Georgius Szétsény.*



Georgii Szetsénii *laudes:*

D Georgivm Szétsénivm ventum eſt, inſigne tiaræ Strigonienſis, atque maius prædicatione noſtra, decus. Enim vero, diſertiſſimos quosque, eius laudandi prouinciam ſupterfugiſſe, conſtat. *Aperte atque ingenue confitendum iſthic nobis*, inquit Ladislavs Thúróczy *(m.) haud eos nos eſſe, vt digna narratione, tanti talisque principis, præclara pro* Deo, *& patria geſta perſequamur. Admiratione obſtupefactus hæſit orbis terrarum, ad famam Hungari Archiepiſcopi, prodigioque Romæ fuit, hominem vnum, tanta potuiſſe! Itaque, preſſis ſilentio, infinitis aliis virtutibus, quibus Eccleſiam, regnumque ſuum magnopere illuſtrauit; ea duntaxat verbis adſtringemus, quæ inaudita prorſus beneficentia, nomini ſuo, his in terris ſtatuit monumenta.* Ad hunc ille modum. Nos profecto, non poſſumus non, in actibus Szétsénii ediſſerendis, eius verba noſtra facere; tum, *vt* longius abſimus ab adſentationis ſuſpicione; tum in primis, quod haud nobis ſuppetunt elaboratiora. Pergit ergo: *Immane, quantum hiabant Strigonii, Budæque mœnia, orientis pariter & occidentis ferro adflicta: quo reſtitui in integrum poſſint, plura rhenenſium millia, præſentem numerat pecuniam. Errabat per vrbes, perque oppida, deſertus a membris, ab fortunis, caſtrisque exſulare iuſſus miles, nec, ad quod diuerteret hoſpitium, patebat. Miſertus vicem illam fortiſſimorum virorum, Antiſtes* Georgivs, *prægrandia Peſtini, &* Poſonii, *conſtituit domicilia; trigintaque ſeptem ſupra trecenta omnino millia rhenenſium dat, de quorum fructu alantur, veſtianturque bellatores, quos, aut deuexa ætas ad quietem damnauit, aut vim ademit pugnandi, inimicus mucro; Turcica exhauriebant bella* Leopoldi *ærarium, ſimul morbum Imperator patefecit, ſimul opem ſenſit.* Atque hæc quidem liberalitas, ad regis & regni pertinuit rationes. Paſſim, hodieque narrari audias, adoptatum a Leopoldo Cæſare, in patrem, ſollicitiſſime cauiſſe, ne quid roganti, tanto filio, negaret; excuſſiſſe loculos, & quaſi confabularetur cum iis, ſæpe iterumque interrogauiſſe: *quid æris continerent? quantum poſſent, ad Cæſaris rogationem, profundere? Etiamne quinquaginta millia? Id vero indignum ſe patre, indecorum filio. Ergo centena millia promerent! Sed, id quoque haud reſponſurum vtriusque, & patris, & filii, dignitati. Supereſſe igitur; vti ducentena millia repræſentarent loculi! Verum, ne ea quidem ſumma contentus, tercentena millia tandem expromi, & dono dari, filio* Leopoldo, *ſemel iterumque iuſſit.* Omnino, digna res admiratione fuit, ea temporum difficultate, tantum æris cogere potuiſſe præſulem. Hoc vero eſt, parſimoniam, ſibi, cum ratione, feciſſe vectigalem! Enim vero, vix vllum genus lucri, ditare, ſeu promtius poteſt, ſeu efficacius, quam quod profuſioni ſubducitur.

Thúróczii *verbis, expromta:*

eius mirifica liberalitas in rempublicam:

facetum, cum locutis, colloquium.

m.) Ibidem.

§. XXXVI.

Munificentia in rem diuinam:

SEd, audiamus, quid erogauerit in Eccleſiam. *Porro in iis, quæ cultum Diuinum propius accedunt, humanas propemodum vltra vires, liberalitas* GEORGII *ſeſe extulit. Seminarium S. Stephani Regis, inſtaurauit; Clero Tyrnauiæ MDCLXXXIX. nouum, illudque numeroſum condidit Budæ MDCLXXXVII. quaternos adoleſcentibus fundauit conuictus: Iaurienſem, MDCLXXXIV. Budenſem, MDCLXXXVII. Leutſchouienſem, MDCXCIV. Trentſchinienſem, MDCXCIV. Gymnaſia, iisdem erudiendis, ſenis in vrbibus aperuit; totidemque collegia* Societati Ieſu *exædificauit: Iaurini MDCLIV. Gynſii MDCLXXXIV. Budæ, qua in Hungariæ metropoli, diſciplinarum omnium Academiam, inſtituit MDCLXXXVII. Strigonii, in vrbe Archiepiſcopali, MDCLXXXVII. Agriæ deinde MDCLXXXIV. ac denique Quinqueeccleſiis MDCXCIV. Septena, eodem fundatore, religioſis aliis, exſurrexere ædificia: Sümegini, & Strigonii,* Franciſcanis; *Vaſuarini,* Dominicanis; *Budæ,* Capucinis; *Agriæ,* Seruitis; *Ouarini* Paullanis; *Illauiæ,* Ordini S. Trinitatis. *Octo, præterea, monaſteria, partim vetuſtate obtrita, partim iniuria temporum miſeriis perdita, renouauit, auxit, opulentiora fecit:* Seraphicorum *reformatorum, Szétsénii;* Conuentualium *Vindpaſſingii;* Paulinorum *Noſtræ;* Fratrum Miſericordiæ *Poſonii;* Vrſulinarum *ibidem, & Clariſſarum; harum & Tyrnauiæ; denique Kismartonii,* Auguſtinianorum. *Nouem, itaque, ac viginti cenſentur domus in Hungaria, quarum educator audit atque altor,* GEORGIVS SZÉTSÉNIVS; *cuius immortali gloriæ, tot quotidie vota preces-que nuncupantur, quot de opibus eius religioſe conuiuantur.* Prolixus eſt poſtea THÚRÓCZIVS, in rationibus ſubducendis, quibus vſus GEORGIVS, ad tantas opes peruenerit. *Primum,* (in compendium mittimus Thúróczii verba,) *dati acceptique rationes, per ſe ipſe rimabatur; annos conferebat cum annis; vnde detrimenta? emolumenta item? peradtentus diſquirebat. Alterum ſolenne habuit, minima, haud minimi facere. Deinde, quidquid inferebatur æris, id in cuſtodiam Domini dabatur. Secundum hæc, diligenti prouidentia, optimos quosque in clientes legebat, cenſebatque ab obſequiis, qui ſufficerent, non qui abundarent. Cauit, ad extremum, multo ſupra, ac dici poſſet, adparatum, qui varietate equorum, multitudine canum vana circuitione, alearum pictarumque chartarum ludo, & adfinibus horum, haud ſatis compoſiti animi ſignificationibus, definiuntur.* His ergo artibus, & compendiis, oppido honeſtis, tantum æris, SZÉTSÉNIVS cumulauerat.

quibus artibus, tantum æris coegerit.

§. XXXVII.

Gradus ſacerdotiorum, quos vſque ad Strigonienſem ſedem, fecit:

HAud vero tacendi ſunt, Sacerdotiorum gradus, per quos, ad ſedem vsque Strigonienſem, virtute duce, *Georgius* graſſatus eſt. Ac primo quidem, anno MDCXLIV. epiſcopen *Quinqueeccleſienſem; Veſzprimienſem* poſtea, anno MDCLIII. inde, anno

no MDCLIX. *Iaurienſem;* hinc, retenta, ſedis huius adminiſtratione, anno MDCLXXVIII. *Archiepiſcopatum Colocſenſem;* denique, anno MDCLXXXV. die XXI. Martii, infulam *Strigonienſem*, adprobante, ſequuto anno, quarta Nonas Septembres, pontifice, obtinuit. Sedit decennium, facinoribus, quæ iam memorauimus, numquam non diſtentus. Nam annus quidem, ſupra milleſimum ſexcenteſimum, nonageſimus quintus, dies duodecimus Calendas Martii emortuales fuere, *Piſonii.* Annos viuendo nonaginta ſeptem exegit, in vltimam vsque ætatem, & ſui, & rerum adminiſtrandarum, compos. LADISLAVS SENNYEI S. I. prouincialis, hoc eum elogio proſequutus eſt: *Vixit, pius erga Deum, miſericors erga proximum, fidelis ſemper erga regem ſuum, vtilitatum patriæ ſtudioſiſſimus, commiſſarum ſibi ouium, paſtor vigilantiſſimus, prouidere bona ſatagens, vti ſæpe agebat, coram Deo & hominibus. Vixit incontaminatæ caſtimoniæ vitæ, temperantia & ſobrietate, iuſtitia & æquanimitate, laboris & curarum aſſiduitate, vix vlli ſecundus. Vixit, iurium eccleſiæ defenſor inquietus, diſciplinæ eccleſiaſticæ exactor accuratus, vitiorum vindex, vbique ſtrenuus, omnis vani luxus oſor perpetuus, ſanctæ fidei propagator egregius, hæreſium hoſtis, & exterminator, cum vitæ quoque periculo, acerrimus. Vixit demum, facultatum a Domino conceſſarum, quas æconomicis ſuis induſtriis, plurimum auxit, diſpenſator fidelis atque munificus. In erectas, nempe, & reſtauratas domos Dei, in ſtabilem ac decorum ſacræ Euchariſtiæ, dum ad ægros defertur, cultum; in bona eccleſiaſtica, tum redemta, tum reparata; in collegia Societatis* IESV *fundata; in conuictus & Seminaria condita, eiusdemque curæ tradita; in complura, vtriusque ſexus, ordinum religioſorum monaſteria, vel fundata, vel magno ſubſidio, amplificata; in erigendas militum,* Peſthi & Poſonii, *hoſpitales domos; in exſtruendos, contra communem Chriſtiani nominis hoſtem, Iaurini, & Sümegini, Budæ, & Strigonii, muros, & propugnacula; in augendum ſacri belli, etiamnum durantis, ærarium; in ipſum denique, (longum enim foret, proſequi omnia) Regem, & Regnum Apoſtolicum Hungariæ vniuerſum, mira prorſus, & vix vnquam audita liberalitate, facile* vicies quinquies centena millia florenorum, *profudit. Innotuere, magni huius antiſtitis, immenſæ illæ largitiones, etiam Romæ, ideoque a plerisque purpuratis Sedis Apoſtolicæ principibus,* PRODIGIVM MVNIFICENTIAE, *compellatus eſt.* Hæc de *Szétsénio* habuimus commemorare. Plura ſupererunt ab his expromenda, qui, profeſſa opera vitas actusque, *Strigonienſium Archiepiſcoporum,* deſcribendos, ſibi ſumſerunt. Nobis ſufficit, non ignaros dimiſiſſe lectores, quorum curis, quoue ſucceſſu, Eccleſia Strigonienſis *Piſonii* fuerit adminiſtrata.

eius mors:

elogium.

§. XXXVIII.

XII. *Leopoldus Kollonitſch.*

Succedit Georgio, Leopoldus Kollonitſch:

SVcceſſit ei, LEOPOLDVS KOLLONITSCHIVS, nihilo minor, *Szétsénio;* ſiue actus ſpectes, ſiue, pro religione, feruorem. Non eſt inſtituti noſtri, laudare præſulem; nam id cumulate *(n.)* fecerunt alii; non ſiluiſſe ſuffecerit, dum *Piſonii* decora commemoramus, quæ ei ab archiepiſcopes procuratione acceſſere. Primam lucem Comaromii, anno poſt Chriſtum natum, MDCXXXI. Septimo Calendas Nouemb. adſpexit *Leopoldus*. Pater, *Erneſtus a Kollonitſch*, acerrimus belli dux, & nunc Comaromii præfectus, vndecim fratrum, natu minimus; mater *Eliſabetha a Kuffſtein*, nobiliſſimo, Baronum eius gentis, loco nata, fuere. Pueritiæ annos, inter parietes domeſticos, tanta ingenii felicitate, melioribus litteris impendit, vt vix dum adoleſcentiam ingreſſus, dignus ſit habitus, qui FERDINANDO IV. Hungariæ Regi, famularetur. Creuit poſtea, non annis *modo*, ſed, *quod difficillimum in aulica vita eſt*, virtute, ad eum modum, vt *iam tum non pauci præſagirent*, quantum in *Leopoldo* virum, & patria habitura ſit, & Cæſares. Igitur, ne aulicis oblectamentis, ætatem detereret, a FERDINANDO III. quarti, *quem nunc meminimus*, patre, anno MDCL. in inſulam *Melitam*, vti eius ordinis militiæ nomen daret, miſſus eſt. quam ille profectionem, eo promtius ſuſcepit, quo geſtiebat cupidius, bellicos maiorum ſuorum actus, æmulari. Neque defuit, tantæ voluntati, campus, vbi ſui periculum faceret. Enim vero, in obſeſſa ab hoſte *Candia*, qualis terra; ad *Dardanellas*, quis mari miles eſſet, palam fecit. Viginti & ſeptem barbarorum triremes, viginti & vnum Melitenſes, adortæ, nauali prælio, ancipiti profecto & acri, confligebant; cum *Leopoldus*, aduerſæ claſſis nauigium, primus inſiliens, excuſſo hoſtili ſigno, candidæ crucis vexillum extulit, commilitonibusque ſuis, calcar ſubdidit ad vincendum. Meruit eo facinore, vt a Magno Ordinis Magiſtro, ante propemodum, quam id ætas ferret, *Caſtellanus*, ex more militiæ, diceretur. Plures annos iſthic, inter perpetua virtutis documenta, exegit. Inde regreſſus, duarum arcium præfectura, altera *Maylbergenſi* in Auſtria, *Aegrenſi* altera in Bohemia, ornatus, id egit, vt æs alienum, quo obrutas repererat, diſſolueret, augeret cenſus, pignori data, redimeret, adeoque, indefeſſa opera ordinis ſui commodis velificaretur. Quæ, dum procurat, parum abfuit, quin veneno e medio tolleretur. Et actum ſane de ſummo viro fuiſſet, ni propinatum toxicum, alius, per errorem, epotaſſet. Ita tunc, rebus maioribus, *Kollonitſchium*, fata ſeruauerunt.

eius natales:

educatio:

ſequitur militiam ordinis Melitenſis:

qua virtute:

reducis inde honores.

§. XXXIX.

n.) Videatur, *Echo Laudum, ad tumulum Eminentiſſimi S. R. E. Cardinalis Leopoldi a Kollonitſch*, a Schola Humanitatis *Vienneſi*, edita.

§. XXXIX.

TIrocinia hæc *Leopoldi* fuiſſe dixeris. quæ, vbi ſumma cum laude, terra ac mari, domi atque militiæ, poſuiſſet; animum ad ſacerdotium amplectendum, adiecit; a *Szétsénio*, cui poſtea ſucceſſit, ſacris ordinibus initiatus. Ergo, ad aulam regreſſus, clauem auream, LEOPOLDI I. munificentia, accepit: quo ille fauore auctus, nihil vnquam reſidui fecit, vt fidem, & qua ſe dabat occaſio, operam ſuam, Cæſari, etiam atque etiam adprobaret. His rebus, breui apud LEOPOLDVM meruit, vti *Nitrienſi* infula donaretur. Tunc vero, ſtadium, quod decurreret, nactus, propagare religionem, coarctare *Proteſtantes*, munire epiſcopalem *Nitriæ* arcem, ædes ſacras inædificare. At enim, non potuit difficilem hanc ſpartam, ſiue æmulatione, ſiue temporum habitu ad ſeditionem prono, impeditus, pro eo, ac voluiſſet, excolere. Certe, vt a nouarum rerum, quas tunc plerique moliebantur, ſuſpicione, caueret nomini ſuo, epiſcope *Nitrienſi* vltro ſe abdicauit, maluitque poſt annum MDCLXXII. *vectigalibus* regiis *Piſonii* præeſſe, *quam opimo illi ſacerdotio.* Ne tamen faſtidire tiaram *videretur*, *cum* ea præfectura, epiſcopen *Neoſtadienſem*, in Auſtria, ſic coniunxit, vt dubium reliquerit, illine, an huic, ſolertius fuerit operatus. Enim vero, reditus hic ærarii, illic, tanta ſollicitudine res ſacras procurabat, vt vni admodum operi, virum inſudaſſe dixiſſes. Quæ ei contentio, aditum aperuit, ad ſanctiora Cæſaris conſilia. Neque is quidem, eam dignitatis acceſſionem in faſtum; ſed in occaſionem vertit, vti quam adtentiſſime, in commune conſuleret. Viennæ certe, fœda anno MDCLXXIX. laboranti peſtilentia, tamquam medicus ei datus fuiſſet, omnem, qua poterat, opem tulit, neque degreſſus vrbe eſt ante, quam contagionis ſuſpicio tolleretur prorſus. Cedendum interea fuit, *Piſonienſis* ærarii præfectura, quod eius muneris procurationem, non *Sacerdotibus;* ſed viris *politicis* deberi, *Ordines*, publico anni MDCLXXXI. comitio, pro vetere lege, poſtliminio conſtituerant. Tulit eam muneris diminutionem, excelſo animo, *Kollonitſchius*, deditque operam, ne in rebus agendis, *vel tantillum* fieret remiſſior. Proinde, adeſſe *Cæſari*, & quemadmodum erant tempora, conſiliorum & opis indiga, eum omni cura atque ſtudio, ſuſtentare pergit. Dedit, fidiſſimi ardoris huius inſigne documentum, cum anno MDCLXXXIII. obſeſſa a Turcis, acerrimo labore, *Vienna*, in vrbe, tamquam præſidiarius eſſet miles, concludi ſe paſſus eſt. Diffugiebant, ad primum aduentantis barbari nuncium, ſummi imique, ſed & CAESAR, vrbe deceſſerat: cum *Kollonitſchius*, obire propugnacula, viſere ſuggeſtus, recenſere annonam, & belli inſtrumenta, monere, vt forti ſint animo, ciues atque milites; ſacros autem ordines, ad vota nuncupanda, prædicandamque omnibus reſipiſcentiam, hortari. Ingrata ſit *Vienna*, niſi hanc, præſulis *Kollonitſchii*, virtutem, æternis faſtis inſerat. Depulſo

Adiicit animum ad Sacerdotium:

fit Nitrienſis Epiſcopus:

qua dignitate abdicata, Cameræ Hungaricæ, & epiſcopatui Neoſtadienſi, præficitur:

qualem ſe iſthic præbuerit:

ineſt obſeſſa Viennæ, magno vrbis commodo.

hoſte, cum prædam alii, ipſe, per hoſtium caſtra, raptos in captiuitatem Chriſtianorum liberos, conquirebat. Ingenue WAGNERVS *(o.) Vt ne Kollonitſius, defenſionis nempe pars magna, ſua præda vacaret, orbos infantes, prope quingentos, totis caſtris, ipſe conquiſiuit, & paterna denique caritate, curis, impendiis, rite educandos ſuſcepit.*

§. XL.

Cæſaris, eam ob rem, gratus erga Kollonitſchium, animus:

PRæclarum adeo facinus remuneraturus LEOPOLDVS Imperator, epiſcopen *Iaurienſem*, *Kollonitſchio*, vt liberaliores ei fierent reditus, adtribuit: quin, & iniectam rubei galeri ſpem, *(p.)* breui poſtea expleuit. Digna eſt Cæſaris commendatio, qua *Kollonitſchium* apud pontificem maximum, proſequutus eſt, vt heic ex litteris eius recolatur: *Talem*, (digniſſimum ſcilicet purpura,) *eſſe arbitramur, Reuerendum, deuotum, nobis dilectum, hactenus Neoſtadienſem, nunc vero nominatum Iaurienſem Epiſcopum*, Leopoldum de Kollonitſch, *qui, cum virtutem ſuam, ſuumque, pro animarum ſalute, & Chriſtianæ reipublicæ conſeruandæ, zelum, adhuc nuper luculenter probarit; quando non tantum graſſante, per prouincias noſtras hæreditarias, peſtifera lue, gregi ſibi concredito, fideliſſimus paſtor, contemto mortis periculo, conſtanter adfuit; ſed etiam vrbi noſtræ Viennenſi, in vltima obſidione, ſponte ſe includi paſſus, milites, ciues, aliosque, ad fortitudinem, & acerrimam propugnationem, verbis, exemplo, & liberalitate ſua, incitauit, multorumque inopiæ & neceſſitatibus, propriis opibus ſubuenit; tum alias etiam ſemper, ex quo epiſcopatibus ſuis, ſucceſſiue, Nitrienſi, Neoſtadienſique, præfuit, tanta pietatis, vitæque & morum ſanctimonia, nec non inexplebilis ſui, in propaganda Catholica religione, ſtudii ſpecimina dedit, vt quem ei iure præferamus, habeamus neminem.* Profecit, hæc Imperatoris commendatio, eo vſque, vt nihil quidquam dubitarit Pontifex, *Kollonitſchium*, in purpuratorum ordinem adſciſcere. Enim vero, ſecundo Septembris die, vnum, cum viginti ſex candidatis, *Cardinalem* nominat: id eo accidiſſe prodigioſius, multi exiſtimarunt, quod eodem illo die, *Buda*, rerum in Hungaria Turcicarum firmamentum, ſub LEOPOLDI I. poteſtatem, miſſa eſt. Itaque, gemino lætus nuncio, *Cæſar*, quinto Calendas Nouembres, rubrum pileum, *Biretum* vocant, ſolemni cerimonia, impertiendum *Kollonitſchio* ſtatuit. Pompam, auctor *Purpuræ Pannonicæ (q.)* ſic deſcripſit: *Proceſſit Auguſtus, cum domo ſua, ac Palatinus, cum ſplendore veſtium, animi hilaritatem indutus, ad templum aulicum*, P.P. Diſcalceatorum D. Auguſtini, *nullique delegare voluit officium. Ipſe, pileo rubro caput præſulis, frequentatis cerimoniis, & ſingulari adfectus conteſtatione, texit. Tribuit e ſuggeſtu, latino ſermone præconium, nouo Vaticano Antiſtiti*, P. Chriſtophorus Traut, S. I. *Cæſareæ Maieſtatis concionator ordinarius. Auxerunt celebritatem, feſtiuæ, tota vrbe adclamationes plauſusque. Cardinalis,*

Purpuram ei Romanam procurat.

o.) Hiſtoria LEOPOLDI M. Lib. VIII. p. 616.
p.) Ibidem WAGNERVS, p. 617. fine.
q.) In vita *Leopoldi a Kollonitſch*, p. 73. ſeq. cuius nos hic veſtigia legimus.

nalis, ideo potiſſimum ſibi de dignitate gratulabatur, quod maiore cum auctoritate rempublicam Chriſtianam defendere & iuuare poſſit. Illi enim omnis honor, vel vilis erat, vel Chriſtianæ illi virtuti, quam humilitatem dicimus, ſubiectus. Tritum ſane ac celebratum eſt, quod cum in Baſilica D. Stephani, concioni miſericordiam in egenos commendaſſet, ipſe, inopum turbæ immiſtus, in purpura, ſtipem colligere, non erubuit. Hæc illic legas.

§. XLI.

Ea accepta, qualem ſe geſſerit Kollonitſchius?

TAmetſi vero, fulgebat iam purpura, *Kollonitſchius*; tamen, *Iaurienſi* Epiſcope, integro luſtro, contentus, vitam egit, non tam ſplendidam, quam laborum patientem. Nam, &, quo cœperat, tramite, perrexit in religione propaganda; & *Romam* quoque, anno MDCLXXXIX. acceſſit, vt in ſacro purpuratorum concilio, ALEXANDRO VIII. pro re nata, ſuffragaretur. Tunc a nouo Pontifice, pileum rotundum, & cum eo, titulum *Presbyteri Cardinalis S. Hieronymi Illyricorum*, quem *Pázmánus* quoque tulerat, indeptus eſt. Reducem in patriam, noui honores, biennio poſt adeundi, opperiebantur. Nam, anno quidem MDCXCI. Archiepiſcopatum *Colocsenſem*, tamquam opimioris alterius prodromum; anno vero MDCXCV. pridie Idus Iulii, *Strigonienſem*, magna Cæſaris, & Pontificis, conſenſione, adiit. Ad hoc culmen, non ambitu, aut ſacra largitione; ſed virtute, cuius inde a teneris ſtudioſiſſimus fuit, elu-ctatus, in eam vnice curam incubuit, vt, & religionem *Romano-Catholicam*, quam latiſſime poſſet, diffunderet; &, cum vniuerſim pauperibus, tum militibus in primis, bello, & vulneribus confectis, conſuleret. qua ille ſollicitudine, PATER PAVPERVM, dici meruit. Curam certe *paſtoralem*, in Tranſiluaniam vſque protendit, quando non prius ſibi pepercit, quam gentem, græci ritus, ad communionem Romanæ Eccleſiæ, transduceret. Inter alias ignobiles nationes, prouinciam illam, *Valachi*, Romanorum quædam reliquiæ, incolunt; horum Sacerdotes, genus rude & indoctum, perinde, atque alii de plebe, a prædiorum heris, ad tributarias operas raptabantur; quin & alias aſpere habebantur acerbeque. Rei fama, ad peruigilem *Kollonitſchium* perlata, miſerationem ei primum, mox & ſollicitudinem mouit, quemadmodum adflictis hominibus queat ſuccurri. Ergo, impetrat ab Imperatore, vt priuilegiis Catholicorum ſacerdotum gaudere poſſint, ſi abdicato ſchiſmate, ad Romanam Eccleſiam ſeſe adgregarent. Dabimus *Kollonitſchii* litteras, quas ea in re, ad *Gubernium* Tranſiluaniæ, exarauit: *Nos* LEOPOLDVS, *miſeratione Diuina, S. R. E. tituli S. Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis a Kollonicz, Archiepiſcopus Strigonienſis, locique & Comitatus eiusdem Supremus ac perpetuus Comes, Primas Regni Hungariæ, Legatus Natus, ſummus Secretarius & Cancellarius; S. Iohannis Hieroſolymitani Ordinis Prior, & Commendator Egræ, Maylbergæ;*

proficiſcitur Romam:

adit Archiepiſcopatum Colocſenſem, *& poſtea* Strigonienſem:

eius iſthic facinora:

in reduciendis græci ritus Valachis, ſtudium:

litteræ in eam rem ſcriptæ.

gæ; S. C. Regiæque Maiestatis intimus Consiliarius actualis. Omnibus, ad quorum manus, præsentes deuenerint, maxime vero, Græci ritus, Valachicis sacerdotibus, per Hungariam, Transiluaniam, partesque eidem adnexas, existentibus, Salutem in Domino sempiternam! Notum facimus, tenore præsentium, quibus expedit, vniuersis, quod alte libata Sacratissima Cæsarea Regiaque Maiestas, Leopoldvs I. *Imperator semper Augustus, tam die 23. Augusti anni MDCXCII. quam die 14. mensis Aprilis anni currentis, clementissime resoluerit, qui ex Sacerdotibus Græci ritus, edita professione, ad obseruantiam Latini ritus apud Catholicos, cum agnitione Summi Pontificis, se declarauerit, iisdem prorsus iuribus, priuilegiis, exemptionibus ac immunitatibus, frui ac gaudere debeat, quibus Sacerdotes Romano-Catholici, siue ritus latini, iuxta Sacrorum Canonum sancita, & Diuorum Hungariæ Regum statuta, frui & gaudere dignoscuntur. Quam benignissimam Suæ Maiestatis Sacratissimæ resolutionem intelligentes, (præterquam quod ingenti gaudio perfusi sumus, quod viam vobis aperiri audiamus, & videamus, quo, ad auitum Ecclesiæ Romano-Catholicæ gremium vnionemque saluificam, redire possitis,) illud pariter muneris nostri, & pastoralis curæ, qua per Hungariam vniuersam, vti & regna, prouinciasque eidem adnexas, vt Primas Hungariæ, & Legatus Natus fungimur, vique auctoritatis nostræ Archiepiscopalis Metropolitanæ Strigoniensis, speciali Sacræ Sedis Apostolicæ priuilegio nobis concessæ, esse duximus, vt nostrum, vobis omnibus, ad vnionem cum Ecclesia Romano-Catholica redeuntibus, ac redituris, fauorem & specialem in omnibus protectionem, offerremus; quod etiam tanto efficacius præstabimus, quanto vos, in dictæ vnionis professione ac conseruatione feruentiores, ea nimirum omnia, quæ S. Mater Ecclesia Romano-Catholica docet, profitetur, & credit, priuatim ac publice docendo, profitendo, & credendo, speciatim vero quatuor illa puncta, in quibus hactenus potissimum deuiasse videbamini, protestando extiteritis. Primo nempe:* Romanum Pontificem, esse caput vniuersale totius diffusæ per orbem Ecclesiæ. *Secundo:* Panem Azymum, esse sufficientem materiam sumendæ Cœnæ Dominicæ, seu Sacramenti Eucharistiæ. *Tertio:* præter cælum, sedem beatorum, & infernum, carcerem damnatorum, tertium dari locum, in quo animæ defunctorum, nondum satis expiatæ detinentur, ac purificantur. *Quarto demum:* Spiritum Sanctum, tertiam in Trinitate Personam, a Patre & Filio procedere. *Quod dum facitis, non solum a* Deo, *bonorum omnium largitore, in præsenti quidem vita, vberem suarum gratiarum influxum, ac largiorem etiam in temporalibus benedictionem, in futura vero, æternam felicitatem sperare poteritis: verum etiam Augustissimi Cæsaris fauore, ex Regiæ potestatis plenitudine, tum personæ vestræ, tum Ecclesiæ, reliquaque, ad eandem spectantia, immunitate ac exemptione pari condecorabimini, qua Ecclesiæ personæ, resque Ecclesiasticæ Latini ritus, ex Sacrorum canonum præscripto, effectiue perfruuntur. Et si quis, hoc Suæ Sacratissimæ Maiestatis decretum, ausu temerario, contemnere, aut prædeclara-*

tæ huic Græci ritus vnitorum immunitati Ecclesiasticæ, aperte, vel occulte, vllo sub prætextu, aut etiam prætensi vsus & consuetudinis, antequam vnirentur, sub velamine, contraire præsumeret, iisdem prorsus pœnis, tum ab Ecclesiastici, tum a secularis fori iudicibus, tum etiam ab Augustissimo Cæsare, si opus fuerit, infligendis, obnoxius erit, & subiacebit, quas fidelium Latini ritus, immunitatem ecclesiasticam lædentes, de iure, ac consuetudine, incurrunt. Ac insuper, in huius ecclesiasticæ immunitatis vsu, vniuersi Domini Episcopi, Gubernium Regium, Magnates, Supremi Capitanei, ac Iudices Regii, tum Ecclesiastici, tum secularis fori iudices & iustitiarii, si coram eis, in prædeclarata immunitate, vos læsos esse questi fueritis, eorumque auxilium & assistentiam imploraueritis, iudicium & iustitiam non minus, ac Latinis, S. Matris Ecclesiæ fidelibus, eadem immunitate gaudentibus, administrare debebunt, & tenebuntur. Quodsi præstare intermitterent, nobisque, ac successoribus nostris, desuper relationem feceritis, vt malo tam euidenti, seueriori etiam manu, medela tempestiue adhibeatur, allaborabimus. Datum in Curia Commendæ nostræ Maylbergensi beneficiata, Viennae Avstriae, *die secunda mensis Iunii, Anno Domini MDCXCVIII. Leopoldus Cardinalis a Kollonicz, Archiepiscopus Strigoniensis.* Ita se habebant *Cardinalis* litteræ: fructus, sicuti relatum legimus, tanti, vt ducenta hominum millia, Romanæ Ecclesiæ coadunasse perhibeantur.

§. XLII.

Fato fungitur: eius laudes:

HAec istiusmodi opera edenti, mors obrepebat. quam, cum elogio summi viri, sic descripsit Thúróczivs *(r.)*: *Quanto fidei orthodoxæ propagandæ ardebat desiderio, luculenta* Posonii *dedit exempla. Quæ æterna fore sperabant, aduersarii, submouit vrbe,* Lutheri *sacra, inque suburbanum compegit horreum; consecrauit* Mvndi Salvatori *templum illud; addidit, quod excubias ageret, pro domo Dei, Collegium Societatis* Iesv, *anno MDCXCVIII. locupletauit eiusdem ordinis filios, Eperiesini; & natali in solo, Comaromii; tamque in oculis, animo que circumferebat* Iesvitas, *quam oderat Catholicæ veritatis inimicos. quos tamen, pro eximia sua, vel in perditissimos, caritate, viis, quibus poterat, omnibus, a pestiferis aberrationibus, reuocare enitebatur; suntque plura mortalium millia, quibus saluti fuit Kollonitschii industria. In Transiluaniam quoque, apostolicum istum ardorem transmisit; vtque Valachi, gens Photio, ex animo addicta, paratam ad omne obsequium voluntatem ac studium, deferrent Pontifici Rom. elaborauit; nec cassa opera: iurarunt in catholica dogmata, Episcopus nationis, & Sacerdotes, vltraque centum millia hominum, cum vera religione sunt reconciliati. Nihilo pro vindicanda, ab Turcico iugo, Hungaria, desudauit minus: fouit militem, cura singulari; animos accendit, voce & exemplo; magnam pecuniæ vim, ab Innocentio XI. ad prosequenda bella, impetrauit. Vixit, optime de orbe Christiano meritus princeps, anno seculi decimi octa-*

r.) Loco citato, p. 103. Adde, Purpuram Pannoniæ, p. 74.

ui, ſeptimo, Viennæ; Poſonii, quod ſupremis tabulis ſcripſerat, ad S. SALVATORIS, *tumulo illatus eſt. quam ille ædem, vel a fatis, ſuis ſe oſſibus, prædixerat defenſurum.* Hactenus THÚRÓZIVS, cuius verba, fide, quæ hiſtoricum decet, optima, adſcripſimus. Epitaphium hoc ei, Viennenſes Scholæ, poſuere:

honorarium epitaphium.

Hic iacet oppreſſus proprio ſub pondere fortis
Atlas, quem mundi ſola ruina tegit.
Scis tumulum in templo cur SALVATORIS *adeptus?*
Noris, vt hic patriæ, quod tumulata SALVS.

§. XLIII.

XIII. Chriſtianus Auguſtus.

Quæ ornamenta adtulerit tiaræ Strigonienſi Chriſtianus Auguſtus:

EXcepit *Kollonitſchium*, CHRISTIANVS AVGVSTVS, *Cardinalis de Saxonia.* Princeps, eo dignior commemoratione, quod & ipſe, decus a tiara Strigonienſi accepit, & ornamenta ei adtulit, æternum duratura. Nimirum, non habuit ſatis, quod quidem, *Cæſarum Regumque* ſanguine editus, *Princeps S. R. Imperii*, ob natalium ſplendorem, ſalutaretur; id apud Cæſarem, CAROLVM VI. repetitis identidem *precibus*, effecit, vt ea dignitas, perpetua fieret Archiepiſcopatui Strigonienſi. Ac CAESARIS quidem diploma, auro cedroque digniſſimum, ne quid ſileamus, ad hunc modum habet: CAROLVS VI., &c. Reuerendiſſimo in Chriſto Patri, & Sereniſſimo Domino CHRISTIANO AVGVSTO, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Tit. Presbitero, Cardinali e Ducibus Saxoniæ, &c. Archiepiſcopo Strigonienſi, &c. beneuolentiæ, gratiæque noſtræ Cæſareæ affectum & omne bonum. Quanquam, ea Imperatoriæ Maieſtatis Noſtræ eſt Munificentia ac liberalitas, vt, quam Diuinæ benignitatis clementia nobis elargita eſt, bonorum honorumque diſpertiendorum amplam poteſtatem ac facultatem, ad eiusdem diuini numinis exemplum, in omnes vbertim diffundere, & affluenter deriuare Nobis in primis volupe ſit: Id tamen rerum humanarum ordo poſtulare videtur, vt honoribus ipſis ac dignitatibus, inter hominum cœtus, conſtet modus. Atque idcirco, in conferendis iis prærogatiuarum titulis, qui ad Auguſtæ Maieſtatis noſtræ incommunicabilem & inacceſſibilem ſublimitatem, proxime accedunt, noſtram quoque liberalitatem, certis terminis circumſcribere æquum cenſeamus, ne dignitates eiusmodi illuſtriores, ſua vileſcere incipiant frequentia; adeo, vt excelſum quidpiam, & ſupra inferiorem hominum ordinem rarum, atque inſolitum, in eo eluceſcere oporteat, cuius intuitu alii ad principalis præeminentiæ gradum eleuentur. Conſiderantes ita-

ſucceſſoribus Dignitatem S. R. I. Principum *impetrat:*

diploma, in eam rem, Cæſareum:

itaque, Dilectionis Veſtræ originem, mox ſub oculos cadit, eandem ex linea Electorali Saxonica prouenire, inclytamque eiusdem Domum, in Sacro Romano Imperio, non ſolum inter vetuſtiores & celebriores merito numerari; ſed etiam cum plurimis Electorum & Principum, imo & Regum quorundam familiis, cognatione coniunctam eſſe: Nec non perpendentes, ſupra præmiſſas eximias dignitates & officia, quæ Dilectio Veſtra, propria virtute conſequuta eſt, ac etiamnum præclare ſuſtinet: Inprimis vero, in memoriam reuocantes, inſignem operam, & multifaria ſeruitia, quæ Dilectio Veſtra, Diuis Prædeceſſoribus noſtris, Romanorum Imperatoribus, Leopoldo, Domino Genitori noſtro colendiſſimo, & Ioſepho, fratri noſtro chariſſimo, Auguſtæque Domui Auſtriacæ, cum pacis, tum belli tempore, quandoque etiam cum præſentiſſimo vitæ periculo, præſtitit, ac præſertim ad reſtaurationem tranquillitatis Hungaricæ, indefeſſe vtiliſſimeque impendit: Et inſuper benigne confiſi, Dilectionem Veſtram, ſingulare ſuæ erga Nos, & Auguſtam Domum Noſtram, *fidei & deuotionis* ſtudium, in hunc vsque diem probe continuatum, in poſterum etiam, religioſe conſeruaturam eſſe; faciendum Nobis putauimus, vt Eidem, gratiæ & beneuolentiæ noſtræ Cæſareæ affectum, eiusmodi argumento confirmaremus, quod & nunc omnibus manifeſtet, quanti a Nobis æſtimentur ſublimia Dilectionis Veſtræ, merita, & venturo etiam æuo, teſtatum faciat, eandem non magis ſibi, quam poſteritati vixiſſe: & poſteaquam Dilectio Veſtra, incrementum Metropolitanæ ſuæ Eccleſiæ Strigonienſis, prouti Nobis abunde conſtat, ſummopere ſibi cordi eſſe ducit, ac præterea Nobis ſupplicauerit, vt pro maiori ſupradictæ eccleſiæ Metropolitanæ Strigonienſis, ſplendore, & dignitatis augmento, ſuos in hac memorata Metropolitana Eccleſia ſucceſſores in futurum vniuerſos, ad titulum & dignitatem *Sacri Romani Imperii Principum*, euehere dignaremur; His rationibus inducti, nec non a Nobiſmet ipſis, ad augendum Nationis Hungaricæ ſplendorem, benigne propendentes, ac propterea honorificos Primatis Regni Hungariæ, Legati itidem Nati, nec non Summi & Secretarii Cancellarii characteres, quibus Archiepiſcopi Strigonienſes inſigniti ſunt, Nobiscum recolentes, ex certa noſtra ſcientia, animoque bene deliberato, ac ſano Principum, Comitum, Baronum, ac Procerum noſtrorum, & Sacri Imperii fidelium dilectorum, accedente conſilio, eaque, qua fungimur Authoritate Cæſarea, & de eiusdem plenitudine, in nomine Dei omnipotentis, a quo omnis Principatus honos, & dignitas promanat, *Omnes, & ſingulos,*

gulos, qui a Nobis, & Sereniſſimis Hungariæ Regibus, deinceps Archiepiſcopi Strigonienſes nominabuntur, atque ita legitimi Dilectionis Veſtræ, in illa ſede Archiepiſcopali, ſucceſſores erunt, in veros Sacri Romani Imperii Principes, & ad titulum atque dignitatem Principatus Imperialis ereximus, exaltauimus, ac ſublimauimus, aliorumque Noſtrorum, & Sacri Imperii Principum numero, cœtui & conſortio aggregauimus, prout per præſentes, erigimus, exaltamus, ſublimamus, & aggregamus: Decernentes, & hoc noſtro Cæſareo edicto firmiſſime ſtatuentes, vt poſthac perpetuis futuris temporibus, omnes & ſinguli Dilectionis veſtræ, in Archiepiſcopatu Strigonienſi ſucceſſores legitimi, virtute huius noſtræ creationis, exaltationis, ſublimationis & aggregationis, ab hac hora, in perpetuum, nominentur, nuncupentur, & reputentur, tam in ſcriptis, quam viua voce, aut alias quotiescunque, ſeu quomodolibet illorum mentio facienda erit, IMPERII SACRI PRINCIPES, (ſaluis tamen in eo ſtatu permanentibus, aliis antiquis & genuinis illorum titulis & dignitatibus, per manus acceptis, prouti etiam Regni Hungariæ Statutis, Iuribus, Priuilegiis, & Conſuetudinibus,) *omnibusque & ſingulis honoribus, dignitatibus, prærogatiuis, exemptionibus, præeminentiis, libertatibus, iuribus, priuilegiis, inſignibus, gratiis, indultis regalibus, & aliis quibuscunque in iudicio, & extra, in omnibus rebus, Statibus, Cauſis, & Seſſionibus, tam ſpiritualibus, quam temporalibus, eccleſiaſticis, & prophanis, & alias vbique, & in locis omnibus, gaudere, vti, ac frui debeant, ac poſſint, quibus alii Noſtri, ac Sacri Romani Imperii Principes, per idem Romanorum Imperium, & vbique locorum & terrarum, in dandis & recipiendis iuribus, conferendisque & ſuſcipiendis feudis, & in aliis omnibus ac ſingulis, ad Illuſtrem Statum & Conditionem Principum ſpectantibus, gaudent, vtuntur, fruuntur, & potiuntur, & hactenus gauiſi, vſi, ac potiti ſunt, quomodolibet, conſuetudine, vel de iure.* Nihil, profecto celſitudine hac maius, exoptatius nihil, Strigonienſium Pontificibus, ſiue, *Chriſtiani Auguſti*, precibus, implorari, ſiue donari a CAESARE, potuit. Sed, audiamus quæ ſunt in diplomate, reliqua. *Quocirca, ſerio & expreſſe mandamus, Vniuerſis & Singulis:* Electoribus, aliisque Sacri Imperii Principibus, eccleſiaſticis, & ſecularibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, & Ignobilibus, Clientibus, Capitaneis, & Vicedominis, Præfectis, Magiſtratibus, Procuratoribus, Officialibus, Quæſtoribus, Ciuium Magiſtris, Iudicibus. Conſulibus, Heroaldis, Caduceatoribus, Ciuibus, Municipiis, & omnibus denique noſtris

noſtris & Sacri Romani Imperii Subditis, & Fidelibus dilectis, cuiuscunque Status, gradus, Ordinis, Conditionis, Dignitatis aut præeminentiæ fuerint; *vt ſæpe dictos Dilectionis Veſtræ in Archiepiſcopatu Strigonienſi legitimos Succeſſores in infinitum, ex hoc tempore, in futurum ac perpetuo, pro Principibus Imperii reputent, & honorent, dictisque Priuilegiis Iuribus, Inſignibus, Regalibus præeminentiis, exemptionibus, Prærogatiuis, gratiis, & Indultis, libere, pacifice, & ſine omni impedimento ac moleſtatione gaudere, vti, ac frui ſinant, nec aliquo pacto in iis impediant, ſeu perturbent; ſed potius tueantur, manuteneant, atque defendant, quatenus noſtram & Sacri Imperii indignationem grauiſſimam, ac quingentarum Marcarum auri puri mulctam, pro dimidia Imperiali Fiſco, ſeu ærario noſtro, pro reliqua vero parte, iniuriam paſſi, vel paſſorum vſibus toties, quoties contra factum fuerit, omni ſpe veniæ ſublata applicandam euitare voluerint:* Quod, hocce Diplomate Noſtra Imperiali manu propria ſubſcripto, & Sigilli Noſtri Cæſarei appenſione munito, teſtatum volumus. Datum *in Ciuitate Noſtra Viennæ*, Die Nona Menſis Decembris, Anno Domini Milleſimo, Septingenteſimo, Decimo Quarto. Regnorum Noſtrorum, Romani Quarto, Hiſpanicorum Duodecimo, Hungarici & Bohemici vero pariter quarto. CAROLVS. *Frid. Car. Com. de Schönborn.* Ad Mandatum Sac. Cæſ. Mai. proprium, *Petrus Ioſephus Dolberg.* Ergo:

Quod ſemel datum, ſtabilis per ævum
Terminus ſeruet!

Ordines profecto, Statusque regni, Regis hanc erga gentem Hungaram, atque in primis, Archiepiſcopen Strigonienſem, benignitatem, multa obſequii & gratiarum actionis teſtificatione, perlata publice lege, proſequuti ſunt. *Quod Sua Maieſtas Sacratiſſima,* inquiunt, *(s.) ad demiſſam, eamque ſollicitam, Eminentiſſimi & Sereniſſimi Domini, Cardinalis, Ducis de Saxonia, Archiepiſcopi Strigonienſis, & Primatis Hungariæ, inſtantiam, futuros, eiusdem Domini Archiepiſcopi, in dignitate Archiepiſcopali Strigonienſi, Succeſſores, in veros, Sacri Romani Imperii Principes, creare, & ad titulum atque dignitatem Principatus Imperialis, cum omnibus honoribus & prærogatiuis, eidem competentibus, ex ſpeciali ſua gratia ac clementia euehere, & ſublimare dignata ſit, eas, quas poſſunt, immortales, Altæfatæ Suæ Maieſtati Sacratiſſimæ, Status & Ordines referunt gratias; ac in ſignum debitæ gratitudinis, æternam huius rei memoriam, præſenti Articulo, ad ſeram poſteritatem transmittere voluerunt: quo ſic erga prætitulatum etiam Dominum Archiepiſcopum & Cardinalem, pro eatenus quoque in Gentem Hun-*

Ordinum, *pro tanta honoris acceſſione, gratus animus.*

s) Decreto Anni MDCCXV. Art. CXI.

Hungaram demonſtrato propenſo animi candore, reciprocum ac indubitatum ſinceri affectus & obſequii argumentum teſtarentur. Adeo, honorum hanc acceſſionem, quæ, Archiepiſcopatui facta tunc eſt, non grata tantum mente accepere Hungari; ſed ad vniuerſam ſimul gentem ſpectare exiſtimauerunt: prorſus, ex bene conſtitutæ ciuitatis natura, vbi, quod vni accidit membro, felix & exoptatum, totum id corpus ſuum eſſe credit.

§. XLIV.

Chriſtiani Auguſti natales:

Sed ad CHRISTIANVM AVGVSTVM redeamus. Natus is fuit, anno MDCLXVI. ſeptimo Idus Octobris, *Cziza* Saxonum: patre MAVRITIO, Duce Saxoniæ, & Epiſcopatus Naumburgenſis adminiſtratore; matre, DOROTHEA MARIA, Wilhelmi Ducis Saxo-Vinarienſis, filia. Primam ætatem, iis ſtudiis percoluit, quæ, parens pientiſſimus, non ornando tantum, ſed erudiendo etiam ſalutariter, principi, neceſſaria eſſe, exiſtimabat. Adoleſcenti, belli in primis ſtudia placuere. *Quocirca*, cum a ſpe adminiſtrandi auiti *Ducatus*, longius ſe abeſſe, cerneret; *namque, tertio genitus fuit*; militiæ, non quidquam contraeunte genitore, nomen dedit. Feruebat tunc bellum Turcicum in Hungaria, ad quod propulſandum, excitæ Saxonum quoque auxiliares copiæ, ſubinde aduentabant. In his, CHRISTIANVS AVGVSTVS, militabat, deditque, non vnum bellicæ virtutis ſpecimen, in expugnatione potiſſimum *Budæ*. cui, non tam dux, aut ſpectator, quam miles, interfuit. Sed Gallico etiam bello, pluribus præclaris facinoribus emicuit: ſicuti pronum foret ediſſerere, ſi laudes bellicas, in præſule conſectaremur. Ipſe etenim, alia præconia, quam quæ bello parantur, quæſiuit, quando & religione, & vitæ genere, commutatis, præ gladio pedum, tiaram, præ caſſide, adamauit. Primam ei mitram, in Pannonia, epiſcopatus *Iaurienſis*, indulgente anno MDCXCV. LEOPOLDO M. impertiuit. quam ita geſſit, vt anteceſſorum optimos æmularetur, reliquos, multis poſt ſe paraſangis, relinqueret. Sunt, qui perhibeant, multum eum diligentiæ, in cognato FRIDERICO AVGVSTO, Poloniæ Rege, ad Romana ſacra traducendo, collocauiſſe, dediſſeque operam, vt, *Poloniarum* diademate potiretur, cum apud eam gentem, legationem obiret. MAVRICIVM profecto WILHELMVM, germanum ſuum, eadem ſolertia, at ſucceſſu diuerſo, in partes ſuas traxerat.

militiæ ſtudia:

amplectitur ſacros ordines:

eius, pro religione catholica zelus.

§. XLV.

Fit Coadiutor Kollonitſchii:

Deficiebat, & animi, & corporis viribus, *Kollonitſchius*. Ergo, CAESAR, rariſſimo in Hungaria exemplo, CHRISTIANVM AVGVSTVM, Coadiutorem ei deſignat: Poſtea, *Kollonitſchio* vita functo, nil quidquam moratus, in ſede mortui, ſuo quodam iure,

iure, collocat. Adhuc *Rákócziana* ſeditio, ſumma imis, per Hungariam miſcebat, cum Strigonienſem tiaram, CHRISTIANVS AVGVSTVS capeſſeret. Impenſius dolebat, innexos *male contentorum* rationibus, haud paucos ſacerdotes: proinde, omni ope connitebatur, vti ad officium reuocaret, eo torrente abreptos. Pontificem profecto permouiſſe ferunt, vt miſſis litteris, fidei, qua eſſent regi *Apoſtolico* deuincti, admonerentur, comminatione, ni fecerint officium, adhibita. Qua quidem prouidentia, multum profeciſſe CHRISTIANVM AVGVSTVM, certum eſt. Quia enim, & res *Rákóczianorum*, Trentſchinenſi prælio adtritæ, in dies magis magisque peſſum ibant; & IOSEPHVS, in eam totus, edicto comitio, curam incubuit, vti, quod reliquum erat ſeditionis, conſopiretur; in procliui fuit, lucrari multos, e ſacro ordine potiſſimum, qui reiecto *Rákóczio*, redirent ad obſequium regis legitimi. Dum comitia hæc *Ioſephina*, diutius *Piſonii* agitarentur, id in primis elaborauit, vt animis ſe Hungarorum, tamquam alienigena, penitus inſinuaret. quod effecit etiam tam feliciter, vt breui, non adſcitum aliunde, ſed tamquam popularem præſulem, & diligerent, & venerarentur. Fuit enim, in admittendo facilis, alloquio blandus, *& non ſuæ modo religionis hominibus*, ſed his etiam, æquus, qui ſacris a ſe diſſidebant. quibus ille rebus, quantum profecerit, nihil adtinet, cum ſit in omnium animis, commemorare.

mox & Succeſſor:

primæ eius curæ:

moderatur Comitiis, quæ indixit Ioſephus:

qua fuerit indole.

§. XLVI.

HI eius actus, ſub IOSEPHO fuere, quem ille, fide non minus, quam obſequio, dum viueret, coluit impenſiſſime. Vt CAROLVS VI. decedentem vita fratrem, hæreditatis iure, quod iam tum habebat conſummatiſſimum, excepit, inter primos fuit, qui pro Hiſpaniis militantem, Regem Hungariæ, ſalutarunt, reducem, ſubmiſſiſſime deuenerabantur. Ac ſolebat omnino in lucris, quæ toto vitæ curriculo feciſſet, primo loco, iſtud deputare, quod Cæſarem iam, anno MDCCXII. vndecimo Calendas Iunii, ex maiorum inſtituto, ſacra Regni Hungariæ corona, redimire, inque Regem potuerit inaugurare. Quæ ei felicitas, anno MDCCXIV. decimo quinto Calendas Nouembris, ſecundum obtigit; dum ELISABETHAM, CAROLI coniugem, tametſi eius coronandæ ius ad præſulem *Veſzprimienſem* adtineret, in *Reginam Hungariæ* inauguraret. Profecto, totis comitiis, quæ peſtilentia, ſolito ſæuior, interpolauerat, eum ſe præbuit, vt ſtudia ſua curasque, non minus Regi adprobaret, quam Ordinibus. Fuere, qui aulæ, quem adhibebat, ſplendorem ſugillarent. Atque erat omnino ad eum modum inſtructus, vt quem, ne minorum quidem gentium reges, decuiſſet refugere: nam, & corporis cuſtodes, faſtoſe amictos, beneque numeroſos aluit; & ea conuictus erat, cum frequentia, tum adparatu, vt numquam non omnium ordinum hoſpitibus, obſeſſa haberet triclinia. At enim, quis

Fides in abſentem regem Carolum:

quem poſtea coronat:

mox & Eliſabetham coniugem:

aulæ eius ſplendor, excuſatur:

quis principi viro, magnificentiam iure exprobrarit? ad quam natalium prærogatiua, factum fuisse constat. Erat enim, quod iam meminimus, iis satus maioribus, quorum ceras imaginesque, Cæsares honestabant; vt tiaram, purpuramque, quibus suus, isque eminentissimus honos est, taceamus. Quidquid eius sit, aulæ profecto, quantocunque splendore, male animum CHRISTIANI AVGVSTI metiebantur, siue æmuli, siue obtrectatores. Nihil illi, *Christiana* submissione, toto vitæ habitu, *augustius* vnquam fuit. Pauperes certe, adeo non neglexit, vt etiam in præcipuis curis haberet, ne quid sua, suorumque duritie, querelarum prouocaretur. Ad hanc eius liberalitatem retuleris prouidentiam, qua aduersus vrbem nostram vsus fuit, tempore omnium difficillimo. Corripuerat eam, anno MDCCXII. auctumno iam adulto, pestilentia, progressaque lentis initiis, quod vulgus ad legem viuere detrectaret, breui tantopere inualuit, vt neque commeatus, multitudini suffecturus, in vrbem inuehi, neque, qui voluissent demigrare aliorsum, contagio circumuenti, id facere potuerint. Ergo, inualitura cum peste, metuebatur inedia. Hanc, princeps optimus, tanta sollicitudine, auerruncandam sibi proposuit, vt, tametsi *sesqui anno sæuierit malum, non cessauerit* tamen, cum his, qui per nosodochia tabescebant, tum, quibus exire foras integrum non erat, ob suspicionem contagionis, demensa *cibi potus*que, & quod fuit reliquum, in dies singulos, munificentia ad prodigium vsque, profusa, suppeditare. Exstant hodieque, expensarum tabulæ, quas recognoscere supersedemus, ne in modestiam principis, post fata simus iniurii. Illud nefas sit tacere, eo valuisse hanc summi præsulis προνοιαν, ne vrbs incolis exinaniretur penitus. Ergo, insertum fastis Pisonienſium, CHRISTIANI AVGVSTI nomen erit, dum vrbs superabit.

in vrbem nostram pietas.

§. XLVII.

AC dolenter omnino ferebant Pisonienses, quum vrbe decedebat CHRISTIANVS AVGVSTVS, vt Cæsareum, in perenni illo Romani Imperii, quod *Ratisbonæ* est, comitio, præsidem, *Commissarium* vocant, ageret. Et factum omnino est, hac eius absentia, vt, quæ animo complexus fuerat, exsequi haud potuerit. Relatum accepimus, cum ab his, quos habebat e Pisonienſibus familiarius, adspersis facetiis, principis, ab vrbe nostra, auersio, inde argueretur, quod nihil isthic ædificii suscitaret; *Tyrnauiam* contra, & *Mariæthalum*, non vna substructione, redderet augustiora, respondisse: Periculum se operarum, iis locis facere voluisse, quæ, si ex animi sententia, cœpta consummauerint, tum vero, non impensæ, non labori parsurum, vt præclari quidpiam operis *Pisonii* statuat ad posteritatem. Spondebat, nimirum, principis magnificentia, vt vel prætorium Archiepiscopale, altius substrueret, vel in suburbano horto,

Abitus eius Ratisbonam, Pisonienſibus acerbus:

to, exædificaret aliquid, dignum sequuturis præsulibus. Verum, simul *Ratisbonam* abiit, spes hæc diminuta non modo est; sed etiam prorsus intercidit: cum anno MDCCXXV. fato illic concederet, pontifex, ob eximiam animi moderationem, longiore vita dignissimus. THÚRÓCZIVS laudes eius sic exsequutus est: *Cardinalis* CHRISTIANI AVGVSTI, *e Ducibus Saxoniæ, magna in rempublicam promerita, deprædicat vrbs Ratisbonenſis, apud quos, medios inter labores, vitam finiit, MDCCXXV. Extollit Paullinus ordo, cui Mariana in Valle, ad Posonium, Cœnobium reparauit, auxit, ornauit; commendat etiam Archiepiscopale Tyrnauiæ Palatium, ab eodem ampliatum & incinctum, loquitur denique splendidissimus ille titulus, S. R. I. Principis, qui Archiepiscopis Strigonienſibus, eiusdem precibus datus est, & meritis, qui cum ingens, de suo, tiaræ illi addidisset, noluit honorem esse temporarium; vt secuturi quoque amplius fulgerent, prouidit.* Exsangue corpus, Ratisbona, secundo Danubio in Hungariam deuectum, alibi, quam adparauerat viuus, tumulo illatum est. Emortualem sibi cryptam, Mariæthali, ingenti sumtu, AVGVSTVS depresserat, instruxeratque non *vno* ornamento. Sed, cum inferri deberet, exanimis, nescio, qua repressus remora, *Pisonii*, procul omni pompa funebri, & fere consciis tantum sacerdotibus, in æde D. Martini, iussu *Cæsaris*, contumulatus est. Monimentum ei, regio sumtu positum, quale meruit. Albo id marmore, ab imo, ad summam *sanctuarii* testudinem, adtollitur, in pyramidis speciem. Summo cacumine, cursus refertur, brabei caussa susceptus, vermiculati operis. Inde, pendent mortui insignia, figuris scite adfictis, circumdata. quæ, vti descendit moles, latius semper diffusa, venerabile præbent spectaculum: præsertim, quæ sunt infima, sapientiæ, ceterarumque virtutum simulacra, aduertunt considerantium, & oculos, & animos. Nymphas crederes, ad viuum excisas, quæ, prostrato humi corpore, arrecto tamen capite, *videntur, actionum*, quæ meruerunt, præmia exspectare; obtutu tam spectabili, quo nihil excogitari possit augustius. Infra columen est, latius tamen, quam altius, pro operis, quod sustinet, portione. Huic incisum, & incrustatum auro epitaphium, istiusmodi est:

concedit fatis Ratisbonæ:

sepelitur, præter opinionem, Pisonii:

cippi facies:

epitaphium.

QVI CAPITVLARI HAC IN BASILICA ROMANORVM AVGVSTOS, CAROLVM, ET ELISABETHAM IN APOSTOLICOS REGES, SANCTA D. STEPHANI CORONA INAVGVRASSE, INTER VITAE NEGOTIA OBTINVIT, IN SPLENDOREM QVIETIS, TVTELARI BEATI MARTINI PALLIO, COOPERIRI, OPTIME MERVIT.

VIR, A MILITIA HEROS, AD ALTARIA ANTISTES, IN SENATIBVS MINISTER;

SVIS VNDIQVE SVPERSTES TROPHAEIS.

EMINENTISSIMVS ET SERENISSIMVS PRINCEPS, DOMINVS DOMINVS,

CHRISTIANVS AVGVSTVS.

SACRAE ROMANAE ECCLESIAE PRESBYT. CARDINALIS, NATIONIS GERMANICAE PROTECTOR, S. R. I. PRINCEPS, PONTIF. SEDIS LEGATVS NATVS, REGNI HVNGARIAE PRIMAS, SVM. ET SECRETAR. CANCELLARIVS, EPISCOP. IAVRIENSIS ADMINISTRATOR. COMITATVS STRIGONIENSIS ET IAVRIENSIS SVPREMVS PERPETVVS COMES, DVX SAXONIAE, IVL. CLIV. ET MONT. ITEM ANGARIAE, ET WESTPHALIAE, LANDGRAVIVS THVRINGIAE, MARCHIO MISNI. SVPER. ET INFER. LVSATIAE PRINC. COMES HENNEBERG. METROPOL. ET ELECTORAL. ECCLES. COLON. PRAEPOSITVS. THESAVRARIVS SAC. CAES. REG. CATHOL. ET APOSTOL. MAIEST. CONSILIARIVS INTIM. ET EIVSDEM AD VNIVERSAL. IMPER. COMITIO PLENIPOTENTIAR. PRINCIPAL. COMMISSARIVS, CIZAE SAXONVM GENITVS, XIX. OCTOBR. MDCLXVI. RATISBONAE XXIII. AVGVST. MDCCXXV. MVLTO DOLORE AMISSVS, INDEFESSO, PER LIX. ANNOS PEREGRINATIONIS CVRSV FAMAE PVBLICAE NOTVS.

PRO DEO CHRISTIANVS.

AD BVDAM, TVRCIS EREPTAM VICENNARIVS, EQVESTRIS COHORTIS PRAEFECTVS FIDEM, GLADIO DEFENDIT;
QVAM, FRANCOFVRTO TESTE, ORTHODOXAM, ORE PATEFECIT; CORDE PROFITERI, LVBENS ZELOSVS FVIT.
BALLIVIAE THVRINGENSIS TEVTONICIS EQVITIBVS VICARIVS, VERVS CHRISTIANAE SINCERITATIS TEVTO,
GEMINA DIOECESEOS CVRA, OBSEQVENS,
MATRIS ECCLESIAE FILIVS.
AVGVSTA LARGITATE, PROVIDVS EGENTIBVS PATER,
PRO CATHOLICAE RELIGIONIS INCREMENTO.

PRO CAESARE AVGVSTVS.

AVXILIARIS SAXONIAE LEGIONIS TRIBVNVS,
GALLIS MOGVNTIA PVLSIS, IMPERII LIMITES LIBERARE ADIVVIT;
PRIMATVI PANNONIAE CONTINVVM S. R. I. P. DECORE, FIDELIS REGNI MAGNAS PROCVRAVIT.
DIAETAM POSONII, VIGILANTIA PRAESIDIS, VTILITER CLAVSIT,
ARCHIDVCVM SVCCESSIONE FEMINEA ADSERTA.
IN CVNCTIS NEGOTIIS FELIX, QVIA CONSILIO MAGNVS, SAGAX, MORIBVS SVAVIS. PIE AVLICVS, CHRISTIANA POLITICA DOTATVS,
PRO IMPERATORIAE POTESTATIS AMPLITVDINE.

AETERNITATI VIXIT.

§. XLVIII.

XIV. Emericus Eszterházy.

VT e viuis excesserat, AVGVSTVS, suspenso aliquantisper animo, adhæsit Cæsar, quem in eam sedem surrogaret; non quod non dispiceret, quid adtineret ad rem *Ecclesiasticam*, non minus, quam *Ciuilem*; sed quod plures occurrebant, quorum suis singuli meritis, suam, si conferri simul potuisset omnibus, *Strigonienſem* insulam, fecisse putabantur. Primus, qui in eius potiundæ, spem erigebatur, *Emericus e Comitibus Csáky, S. R. I. Cardinalis, Archiepiscopus Colocsenſis; Comes Kollonitsh, Archiepiscopus Viennenſis, alter*; tertius, *Emericus e Comitibus Eſzterházy*, Vesprimensis Episcopus, & Regis, per Hungariam *Cancellarius*, fuerunt. Consummata omnibus virtus, & in rebus administrandis, suppar prudentia. quæ sane difficilem CAROLO electionem reddebant. Tandem, rationibus subductis, ita CAESAR constituit, vt is ferret tiaram, qui sibi cognitus erat penitius, quemque, præsentium rerum habitus, *in primis depoſceret*. Itaque, ESZTERHÁZIVM, religionem *Fratrum Paulli Eremitæ*, sequutum hucusque, ARCHIEPISCOPVM, anno MDCCXXVI. maturrimo consilio, edicit. Diffundemur, in Principis, laudes, quas dudum meruit, lubenter non minus quam studiose; nisi nos, & Præsulis modestia, & nostra ipsorum tenuitas, ab æquissima ea destinatione, reprehenderet. Proinde, votis, officii illud genus, pensemus necesse est: tacitis iis quidem, sed profectis tamen a mente deditissima. Sedeat feliciter, diuque! &, quod solet, excelso benignoque animo facere, hos nostros conatus, pro sua bonitate, porro sustentet.

Eligitur Emericus *e Comitibus* Eszterházy:

eius laudes, consulto silet auctor.

PRAEROGATIVARVM VRBIS PISONIENSIS,

ARTICVLVS VII.

DE

Præpoſitura, & Venerabili Capitulo Piſonienſi.

SYNOPSIS.

PRAEROGATIVAE, *de qua dicemus iam, vetustas*, Capitulorum *origo: S. Augustinus: primus* Capitulum *vitæ communis, instituit:* Canonicorum *nomen, vnde ortum?*

tum? Capitulorum, *ætate Caroli M. facies: accipiunt regulam a* Ludouico *pio: Canonici duplices:* Regulares, *&* Seculares. §. I.

In Hungaria, quando cœpere inſtitui Capitula: *Præpoſitura Piſonienſis, cum Capitulo, an a* S. Stephano: *vel* Carolo M. *ſit fundata.* §. II.

Præpoſitus *ne, an* Capitulum *prius ſit inſtitutum: Prima* Præpoſituræ *Piſonienſis mentio; in* Colomanni *Decretis: vnde, ætas* Præpoſituræ, *colligitur:* §. III.

Præcipua Piſonienſis Præpoſiti *prærogatiua eſt,* Archidiaconatus: *quibus præſit parochis.* §. IV.

Reliqua eius auctoritas: quam a Paullo II. *Pontifice: &* Matthia Coruino, *accepit: commoditates aliæ: habet* Præpoſitus *ius excommunicandi.* §. V.

Laus Præpoſitorum *Piſonienſium, & in his* Hieronymi Balbi: *litteræ Ludouici regis, eius, & Capituli cauſſa, ad* Petrum *Comitem ſcriptæ.* §. VI.

Quid iis profectum ſit, ex litteris Georgii Szakmárii *argui poteſt.* VII.

Balbi, *pro Capitulo ſollicitudo: ex eius litteris adparet.* VIII.

Collectas cum Canonicis ſuſpiciones, quomodo diluerit Hieronymus? *eius in hanc rem epiſtola: quid denuo operæ nauarit Capitulo.* §. IX.

Ludouicus, Maximiliano Balbum *commendat: eius ad Cæſarem litteræ: item* Georgii Szakmárii: *nullo ſucceſſu:* Balbi, *cum collegis, ad* Carolum V. *legatio: excitauit ædes præpoſituræ.* §. X.

Auctoris deſiderium, poſſe, Præpoſitos *reliquos, in lucem producere.* §. XI.

Iura V. Capituli *peculiaria: & reditus: clades ab* Ottocaro *illata: reparatur a* Bela IV. *iterata a Bohemo, clades, vrbi &* Capitulo, *inflicta: tertium ab eodem euaſtantur.* §. XII.

Cæſo Ottocaro, *reſpirat Capitulum: Ladislai, erga id benignitas:* Canonici, *ex Weidriczenſi vico, in vrbem immigrant: bello Auſtriaco, nouæ vrbis, &* Capituli, *calamitates: reparantur ab* Andrea III. §. XIII.

Quid a Carolo I. *Capitulo ſit præſtitum? an Petrus* Gayzmir, *fundator Capituli queat dici?* Ludouici, *erga Capitulum pietas:* Sigismundi *&*, Ladislai, *fauor: beneficia reliqua.* §. XIV.

Capituli *auctoritas: & veneratio: habet* Archiuum *publicum, fidei ſuæ commiſſum: prærogatiuæ* Canonicorum *reliquæ.* §. XV.

Ferri, *&* aquæ Iudicium, *Eccleſiæ Piſonienſi, indultum: eius ratio: ritus ſacri formula.* §. XVI.

Euentus iudicii, exempla varia. §. XVII.

Eius iudicii origo, vnde manarit? an ex Scythia? *vel* Iudaiſmo: *auctoris ſententia.* §. XVIII.

§. I.



AGNA vrbis, quam nunc exprom- *Prærogatiuæ, de qua dicemus iam, vetuſtas:*
ſimus, prærogatiua fuit; antiquior tamen ea multo eſt, quæ iam, pro inſtituti ratione erit commemoranda. COLLEGIVM intelligo SACERDOTVM, cum *Prælato*, quod ſuo quodam, eoque vetere vocabulo, CAPITVLVM adpellamus. *Non eſt huius loci*, priſcos *Capitulorum* ortus, eruderare ſcrupuloſius; tametſi, ne ea quidem diligentia ſuperuacua eſſet futura: ſuffecerit monuiſſe, veterrimum, primæuæ Eccleſiæ, inſtitutum eſſe; ſed quod aliis atque aliis nominibus adpellabatur. Nimirum, per tria priora ſecula, ſuum, quæuis Eccleſia habuit *Epiſcopum*, & *Clerum*, qui ex *Presbyteris* conſtabat, atque *Diaconis*, & collegium quoddam, ſiue conſeſſum conſtituebat, cui Epiſcopus moderabatur. *Senatum Eccleſiaſticum* dixiſſes, qui epiſcopo adſidebat, communicatisque mutuo conſiliis, eccleſiam gubernabat, & ſi quæ difficultates ingererentur, easdem diſputabat. Hinc *Presbyterii*, apud CYPRIANVM nomen, tantundem fuit, quod hodie *Capitulum* eſt; & *contrahere presbyterium*, idem *(a.)* quod iam, *conuocare*, vel *habere Capitulum.* Ac manſit omnino, *Presbyterorum* hic conſeſſus, in *Cathedralibus Eccleſiis*, & cum *Parochiales eccleſiæ* erigebantur. Huius erat, poteſtas gubernandi eccleſias, quæ tunc in adminiſtratione ſacrorum, ſeu *actibus*, quos vocant, *ordinis*, conſiſtebat. qua quidem poteſtate, abſente etiam Epiſcopo, vſum fuiſſe *Presbyterium*, paſſim legas in monumentis *(b.)* veterum. Labente dein tempore, moderandæ eccleſiæ facultatem, ſubmotis fere, a conſilio, *Clericis*, ad ſe traxiſſe Epiſcopos, ex concilio *Carthaginenſi* IV. *(c.)* condiſcas, vbi cautum eſt; *vt epiſcopus, nihil ſine conſenſu Cleri ſui, ageret.* Nondum vero tunc, clerus Eccleſiæ cathedralis, vna conuiuebat; ſed ſeparatim quisque, ex reditibus eccleſiæ alebatur: nomen certe, *Canonici*, ſenſu hodierno, ignorabatur adhuc. S. AVGVSTINVS, primus fuis- *Capitulorum origo:* *S. Auguſtinus:*

a.) Epiſtola XLIX. p. 92.

b.) Videſis, quæ acta ſunt, cum *Marcione*, apud EPIPHANIVM, Hæres. XLII. Item CYPRIANI Epiſtol. V. SOCRATEM. L. I. Cap. V. & plures al.

c.) C. XXII. & XXIII.

se memoratur, qui *Clerum Eccleſiæ Cathedralis*, in communem vitam congregarit. Præterquam enim, quod factus presbyter, monaſterium ex laicis, in horto eccleſiæ, erexit; certe, cum epiſcopus eſſet, *Clerum Eccleſiæ*, eodem modo *(d.)* collegit, vt iisdem in ædibus, communem ſecum vitam degeret. Itaque, primum in eccleſia Hipponenſi formatum eſt *(e.)* *Capitulum.* Manauit inſtitutum, paſſim, per cathedrales eccleſias, breuique adeo inualuit, vt plurium conciliorum decretis *(f.)* inſtrui debuerit. Et hi quidem, qui S. AVGVSTINI regulam ſequebantur, paupertatem vitamque hanc communem ſpondebant, dum accipiebant *Ordines.* Sacerdotum iſtud genus, *Canonici*, & communis eorum vita, *menſa canonica*, vocabatur: eo, quod catalogus clericorum, cui nomina, communem agentium vitam, inſerta erant, *Canon* adpellabatur. quod vocabulum, eam quoque redituum eccleſiaſticorum partem, quæ cuique adtributa fuerat, ſignificabat. Iſta, vno alteroue ſeculo, *Canonicorum* ratio fuit. Aetate demum CAROLI M. ex inſtituto *Chrodogangi*, tales dicebantur, qui ſecundum canones viuebant; vita certe hæc communis, *Clericis (g.)* omnibus iniungebatur. Ergo, *Clericorum*, non minus, qui *Canonici* fuerunt, quam *Monachorum*, illa ætate, monaſteria occurrunt. Poſtea, LVDOVICVS *Pius*, quia Canonici ſine regula viuebant, primus eis regulam præſcripſit, & ad modum monachorum iuſſit viuere. Adhuc autem in ædibus *Epiſcopi* degebant *Canonici*, quorum is, tamquam *Senatus Eccleſiaſtici* conſilio, moderabatur *(h.)* omnia. Labeſcente demum diſciplina, communis hæc *Clericorum* vita, pedetentim ceſſauit adeo, vt poſt annum *milleſimum*, de ea inſtauranda cogitatio fuerit *(i.)* ſuſcipienda, tametſi propemodum fruſtranea, *(k.)* ob laxius vitæ genus, quod iam tum inter *Clericos* cœperat inualeſcere. Nata hinc *Canonicorum* diuerſitas eſt. Nam, qui morem S. AVGVSTINI retinebant, patiebanturque ſe ad communem illam vitam obſtringi, *Canonici Regulares;* contra, *Seculares* audiebant, qui, & ſeorſim habitabant, neque renunciabant *proprietati.* Degebant interim in eccleſiæ atrio; factumque eſt, ex *Auguſtini*, & *Chrodogangi* hoc inſtituto, vt CAPITVLVM, tantum ex clero eccleſiæ *Cathedrali* proprio, excluſis Presbyteris ciuitatenſibus, *(l.)* conſtaret, conſtitueretque ea collegia, quæ hodieque *Capitula* adpellamus.

primus Capitulum vitæ communis inſtituit:

Canonicorum nomen vnde ortum?

Capitulorum, ætate Caroli M. *facies:*

accipiunt regulam a Ludouico *pio:*

Canonici duplices: Regulares, & Seculares.

§. II.

d.) POSSIDIVS, in vita *Auguſtini*, Cap. v.

e.) Lege S. AVGVSTINI Serm. L. apud THOMASS. de *Noua* & *Vetere* Eccleſiæ Diſciplina. P. I. Lib. III. Cap. 3. §. 7. 8.

f.) *Toletano* IV. Cap. XXI. ſeqq. *Turonens.* II. C. XII.

g.) Concilio *Moguntino*, de anno MCCCXIII. Cap. IX. adde, THOMASSINVM, cit. loco, pag. 644. §. 3.

h.) THOMASSINVS ibidem, p. 644. §. 12.

i.) Concilio Romano, Anni MLIX. C. IV.

k.) Ivo Carnot. p. 218.

l.) Primitus enim, *ciuitatenſes* etiam Presbyteri, in *Capitulum* adſciſcebantur.

§. II.

HIs originibus *(m.)* profecta ſunt, & *Capitula*, &, qui hæc conſtituunt, *Canonici.* Atque in Hungaria quidem, cum ipſis epiſcopatibus, a S. STEPHANO inſtituta fuiſſe, dubium fuerit nemini, qui pietatem regis æſtimauerit. Neque *Epiſcopos* tantum, ſed, vt ſacræ munificentiæ, locus eſſet amplior, *Præpoſitos* etiam dabant *Canonicis*, reges optimi. Immo, vbi *Præpoſitos*, heic & *Canonicos* inſtituebant. De *Præpoſito Piſonienſi*, diſerte PÁZMÁNVS: *(n.)* *Præpoſitus* inquit, *Poſonienſis, habet Capitulum Canonicorum XIV.* Sed quæſo, quo conſtitutore? id vero, docere nos hactenus potuit nemo. Haud tamen dubitarim, eadem *Præpoſituræ*, cum *Capitulo* exordia fuiſſe, quæ erant Archiepiſcopes Strigonienſis: hoc eſt, S. STEPHANO adtribuenda; niſi malueris, ætatem eius anteuertere, & vel CAROLO M. vel LVDOVICO, id laudis circumponere; cum conſtet, dediſſe victis Hungaris ſacerdotes, pientiſſimum Cæſarem, qui populum, ſacris Chriſtianorum imbuerent, traducerentque ad melioris vitæ rationes. *Quin, & illud ſuſpicari poſſis, non defuiſſe inter Cæſares* reliquos, qui CAROLI *pietatem imitarentur*, inſtituerentque, cum alibi per Hungariæ limites, tum *Piſonii* etiam, ſacerdotia. Quidquid eius ſit, dubitari nequit, habuiſſe vrbem noſtram, ſacra Chriſtiana, antequam accenſeretur Hungariæ. Ita vero opinari, eo eſt procliuius, quo magis conſtat, Germanicæ ciuitatis populos, iam pridem CHRISTI fidem ſequutos, vrbem *Piſonienſem*, tunc incoluiſſe, cum primum dotis titulo, in poteſtatem S. STEPHANI venit. Ecquis vero temere crediderit, diminuiſſe pientiſſimum regem, quæ repererat, ſacerdotia? quippe qui, iu curis præcipuis id habuerit, vt latiſſime propagaret eccleſiam, excitaret baſilicas, hasque demum, viris inſtrueret, ad facienda myſteria idoneis. Sed hæc, coniecturæ ſunt, vero haud abſimiles, dubiæ tamen eo vſque futuræ, dum firmentur diplomatum fide.

In Hungaria, quando cœpere inſtitui Capitula:

Præpoſituræ Piſonienſis cum Capitulo, an a S. Stephano?

vel Carolo M. *ſit fundata?*

§. III.

NEque ſecurius auſis adfirmare, ſi maxime de primis, Venerabilis Collegii, originibus conſtaret, *Præpoſitus* ne prius, an *Capitulum* ſit inſtitutum? Sunt, qui pro *Capitulo* faciant; nos in eorum ſententiam concedimus, qui vtrique inſtituto, eosdem natales tribuunt. Quis enim credat, vel *Præpoſitum*, ſine *Presbyterio;* vel *Presbyterium*, eſſe potuiſſe, ſine *Præpoſito.* Prima, *Præpoſituræ Piſonienſis* mentio, in COLOMANNI decretis *(o.)* occurrit, non minus

Præpoſitus ne, an Capitulum prius ſit inſtitutum:

m.) Adde, quæ diligentiſſimus *Originum Eccleſiaſticarum* Scriptor, IOSEPHVS BINGHAMVS, Lib. VII. Cap. II. §. IX. Tomi III. p. 30. edit. Lat. *Hallenſis*, in eandem hanc rem monuit.

n.) Synodi Tyrnauienſis Appendice. I. p. 83.

o.) Libro I. Cap. XXII. *De iudicio ferri & aquæ, in quibus locis fieri poſſit.*

prima Præposituræ Pisonienſis mentio; in Colomanni Decretis:

nus honorifica, quam vetus: *Iudicium ferri & aquæ, in alia eccleſia fieri interdiximus, niſi in ſede Epiſcopi, & in maioribus Præpoſituris, vt* Poſonii, *& Nitriæ.* Præterquam enim, quod *Præpoſituram* adpellet *maiorem*, hoc eſt multis modis excellentiorem reliquis; eandem epiſcopatibus, propemodum facit ſupparem: cum ei iudicium ferri & aquæ, adtribuit: qua de re, infra dicemus ex inſtituto, COLOMANNI præterea ætas, qua lex perlata eſt, indicium præbet, ad quæ tempora *Præpoſituræ* origines referri debeant; nempe, ad ſeculum monarchiæ Hungaricæ, primum, poſt CHRISTVM vero natum, vndecimum; ſiue demum, eius conditor S. STEPHANVS, ſiue regum ſequutorum, quicunque alius fuerit. Enim vero, COLOMANNI temporibus, in magna iam celebritate *Præpoſitura* fuit, vt potuerit, ſuo merito, *Nitrienſi* illi, quam ſub *Maharenſium* ditione, epiſcopatus nobilitauerat, præponi. Quæ quidem, *Præpoſituræ Nitrienſis* mentio, ſimul nos admonet, carere oportuiſſe *Nitriam* epiſcope, cum rex COLOMANNVS, rerum potiretur. Neque enim habuiſſet neceſſum, aquæ, & ferri candentis iudicium, *Præpoſituræ* adſcribere, ſi iam tum, *Epiſcopatu* claruiſſet *Nitria*. ad quem, tota ea res, iure peculiari adtinuiſſet. Verum, hæc alibi *(p.)* diſputabimus.

vnde ætas Præpoſituræ colligitur.

§. IV.

Præcipua Pisonienſis Præpoſiti prærogatiua eſt, Archidiaconatus:

IN prærogatiuis *Præpoſiti Piſonienſis*, antiquiſſimis, iuxta & præcipuis, *Archidiaconatum*, totius noſtræ prouinciæ, merito retulerimus. Ita PÁZMÁNVS: *(q.) Præpoſitus Poſonienſis, habet Capitulum Canonicorum XIV. fungiturque officio Archidiaconi, in Comitatu Poſonienſi, viſitando ac dirigendo Parochos.* Proinde, habet omnino, quod & domi agat, & foris in prouincia. Lubet eodem præeunte PÁZMÁNO, *Plebanos*, quibus moderatur, *Piſonienſis* hic Archidiaconatus, adnotauiſſe: Nempe: Plebanum de *Szent-Abraham: Achaz: Szent-András-falua: Alſo Dombó: Bazin: Báhony: Beke: Breſztowany: Biſztricza: Boleraz: Bochdanocz: Bohunicz: Bóldog-falua; alias, Villa Mariæ; Bäös; Chákány: Cataj: Cheleſzte: Chekléſz: Czifer: Chötörtök: Czukárd: Dejte: Dévény: Dióſzeg: Egyház-Baar: Egyház-Karcha: Egyház-Kürt: Egyház-Paka: Eberhard: Farkashida: Feel: Fejér-Egyház: Gajár: Galanta: Gelye: Gerenchér: Grinava: Szent-György:* ſecundo: *Szent-György: Gomba: Grueb:* alias *Guráb: Gutor: Hakan: Hellendorff: Hochſteten. Igran: Ilka-Szigete: Jóka: Kápolna: Karcha: Kereſztúr: Kiliti: Korompa: Felső & Alsó. Laáb: Lak-Paka: Limpach: Lipolt-falva: Longavilla*, alias *Hoſzſzú falu. Majtén: Magyarad: Szent-Mark: Szent-Marck* ſecundo: *Miséred: Szent-Mihály-falva: Modra: Nádas: Nahach: Nagy-Fedémes: Nagy-Magyar: Nagy-Leek: Nagy-Máchid: Német-Dios.*

quibus præſit parochis.

p.) In Hiſtoria *Comitatus Nitrienſis*, Parte I. Generali, Membro II. §. IV.

q.) Loco citato.

Dios. Ottenthál: Paka: Prácha, alias *Wejner: Szent-Péter: de Poſonio, S. Martini; S. Michaelis, & S. Laurentii: Pruk: Pudmeritz: Réche: Rokovitz: Roſenthál*, alias, *Roſendal. Schwansbak: Samaria: Satmania, alias Cheſzte: Sar-Fii: Spácza: Szeli: Szerdahely: Szemcz: Sengnitz: Szyl: Simberg: Szomolyán: Stomfa: Suúr: Tót-Diós: Tyrnbach*, alias *Szuha, Vajka: Vásár-út: Varkony: Vedréd: Viskelet: Viſtock: Villa Bölgardi: Villa Noua Sclauonicalis;* alias *Horváth-Ujfalu: Villa Noua Teutonicalis;* alias, *Német Ujfalu: Vſzor: Vjfalu: Vjfalu* ſecundo: *Zauár: Zavár* ſecundo: *Zohor.* His ergo *Plebanis*, ex muneris præſcripto, adtendit *Præpoſitus Poſonienſis.* Obiter heic interſerimus, quod ſtudioſe adnotauimus *(r.)* ſuperius, Parochialia *S. Michaëlis*, & *S. Laurentii*, templa, bellorum iniuria, apud *Piſonienſes*, occidiſſe.

§. V.

Reliqua eius auctoritas:

AVctoritatis reliquum, qua pollet *Præpoſitus* huias, vti eximium, ita non vnius eſt generis. PAVLLVS II. Pontifex M. anno MCCCCLXIX. *hoc eſt*, rerum, apud Hungaros potiente, MATTHIA Coruino, mitram, baculum, infulam, annulum, facultatem, item, ritu ſacro benedicendi, eidem, ſicuti loquitur bulla, impertiuit. Pontificis hanc pietatem ita accepit CORVINVS, vt & ipſe, extra modum fauerit *Præpoſito*; ſiue, quod frequentibus bellis, hinc Bohemicis, illinc Auſtriacis, excitus, diutius *Piſonii* agebat, virosque ideo ſacros, ſibi ſtudebat deuincire, ſiue, quod nolebat, regii beneficii vacuam eſſe *Præpoſituram*, anteceſſorum munificentia, eximie ſuſtentatam. Proinde, anno quidem MCCCCLXXV. immunem, a portorio, Danubialis Piſonienſium pontis, fecerat. Indulſerat id priuilegii vrbi MATTHIAS, vt ciues, naulum poſſent exigere, ab omnibus, cuiuscunque *Status & conditionis hominibus, qui in ipſo ponte Danubium pertranſire voluerint, exceptis duntaxat, Maieſtate noſtra, cum tota curia noſtra*, (verba ſunt diplomatis) *cum præſentes fuerimus, Prælatisque & Baronibus noſtris, cum comitiua ipſorum, dum ipſi perſonaliter aderunt, & notanter, venerabili* Præpoſito Poſonienſi, *præſente & futuro.* Poſtea, anno MCCCCLXXIX. facultate donauit eius ætatis *Præpoſitum*, conferendi, ſi vſus ita ferret, *Canonicatum.* Ingens ſane ad auctoritatem *Præpoſiti*, momentum. Eſt enim ea poteſtas, *Archiepiſcoporum*, vt non *Canonicos* modo, ſi qui deſint ad numerum, ſublegere poſſint; ſed *Præpoſitos* etiam creare. Diſcas id ex PÁZMÁNIO: *(s.) Collatio*, inquit, *Canonicatuum, tam in Poſonienſi, quam Scepuſienſi Capitulo, ſpectat ad Archiepiſcopum: ſicuti & collatio Altariæ S. Ladislai, in curia Poſonienſi.* Et poſt pauca: *(t.)* Præpoſitus *S. Martini de*

& Matthia Coruino accepit:

r.) Periodo Vrbis *Hungaricæ*, ſeu, Cap. III. §. LIV. p. 190.

s.) In ibi. p. 83.

t.) Pagina ſequente 84. ex Statutis Capituli Srigonienſis, Anno MCCCXCVII.

Posonio, cuius Præposituræ, Canonicatuum & Præbendarum collatio, spectat, ad Dominum Archiepiscopum. Vt mirari omnino subeat, non contraiuisse *Archiepiscopos* regiæ huic destinationi. Certum est enim, *Hippolytum Estensem*, Strigoniensium postea Pontificem, adprobauisse liberalitatem regiam. Sed, qui poterat aliter, pueritiam nondum egressus, quique aulæ procerum magis, quam suo viuebat arbitratu.

commoditates aliæ:

Hæc, ad dignitatem *Præpositi* adtinuere; ad commoditatem spectauit, quando derasis domibus, & MATTHIAS, & BEATRIX, viridarium intra moenia instruendum, *Georgio Præposito* indulserunt. *(u.)* Eam munificentiam, WLADISLAVS, anno demum MDVII. prorsus adfirmauit, sequente autem MDVIII. facultate donauit *Præpositum*, census, a Parochis Archidiaconatui suo adscriptis, libere exigendi. Neque segnior in spiritualibus beneficiis impertiendis fuit, THOMAS BAKACS, Archiepiscopus Strigoniensis: quippe qui, eodem, quem nominauimus, anno MDVIII. *ius excommunicandi*, Præposito adtribuit. quo postea, vsos fuisse successores, litteræ *excommunicatoriæ*, vicarii Pisonienſis, anni MDLII. condocent.

habet Præpositus ius excommunicandi.

§. VI.

Laus Præpositorum Pisonienſium, & in his Hieronymi Balbi:

FVere autem, ne id sicco pede transeamus, *Præpositi Pisonienses*, vti doctrina, ita rerum gestarum gloria, insignes plerumque. Docebimus id, vnius *Hieronymi Balbi*, exemplo. qui, & muneribus, apud WLADISLAVM, atque LVDOVICVM, administratis; & singulari, pro *Capituli* commodis, industria, vnus ominium maxime inclaruit. Plures epistolas, partim ab ipso, partim eius, & *Capituli* caussa, terse non minus, quam prudenter scriptas, in cimeliis adseruamus. Harum vnam, alteramue vt exhibeamus, facile adducimur, prisci illius candoris veneratione: maxime, cum id fere agendum nobis est, quod solent, naufragium passi, vt quando nequeunt demersas sarcinas, tabulas, casu seruatas, in continentem protrahant. Fuit, venerabili *Capitulo*, lis quædam cum *Petro, Comite de S. Georgio & Bozin*, atque huius fratribus; quam, vt in rem collegii sui verteret *Balbus*, omnem mouit lapidem. Vt vero, eo rem adtrectaret efficacius, litteris LVDOVICI regis, cui a secretis fuit, commendatitiis vti voluit. quas volupe isthic fuerit legere: *Comiti* PETRO, LVDOVICVS, *Rex Hungariæ salutem! Spectabilis & Magnifice, sincere nobis dilecte! Venerabilem* Hieronymum Balbum, *Præpositum Posonienſem, & Secretarium nostrum, iustissimis ex caussis, carum acceptumque habemus: vel ob fida & diuturna seruitia, quæ felicis memoriæ, genitori nostro, carissimo, exhibuit; vel, quod nos ipsos, primis litterarum elementis, præcipua cum dexteritate ac diligentia, erudiuit, optimique ac solertissimi præceptoris officio, per biennium, in ingenio nostro, quantum pro ætatis teneritudine licuit,*

litteræ Ludouici *regis, eius, & Capituli caussa, ad* Petrum Comitem *scriptæ.*

u.) Exstat in eam rem diploma, cui inscriptum legitur: Rex MATTHIAS & *Regina* BEATRIX.

licuit, excolendo, est perfunctus; atque in præsenti non cessat perinde nobis, vt olim carissimo parenti nostro, summa cum animi propensitate, inseruire. Qui, cum nuper, facultatem ad aliquot dies, a nobis abeundi obtinuisset, supplex rogauit, vt Ecclesiæ Posonienſis negotia, propter quæ a nobis eum recedere oportuit, vobis commendaremus: id autem libenter, & ipsius, & religionis caussa, suscepimus; vos etiam atque etiam rogantes, vt quemadmodum pie ac benigne cum ea ecclesia, quod idem Doctor Balbus nobis retulit, agere coepistis; ita, aliquid splendidius, & quod ad maius eiusdem Ecclesiæ ornamentum accedat, adiiciatis. Et quamuis non dubitamus, vos pro singulari, in cultum diuinum, pietate ac obseruantia, vltro & sponte facturos, quæ ad religionis decorem, in eo loco augendum, spectent; cupimus tamen, vt hæc quoque nostra commendatio, vestrum animum, ad id agendum, procliuiorem incitatioremque reddat. Iterum igitur rogamus, vt præfatum Doctorem, qui non priuatam vtilitatem, sed ecclesiæ incrementum sectatur, lætum hilaremque, & sui voti compotem, ad Nos, quam celerrime, remittatis. qua in re, nobis obsequium gratissimum exhibebitis, quod studebimus in posterum, vobis & fratribus vestris, præcipuo nostro fauore, & gratia, rependere. Hactenus regis litteræ, quod maxime dolendum, sine die, & consule, scribarum, vti fas est credere, incuria exscriptæ.

§. VII.

Quid iis profectum sit? ex litteris Georgii Szakmarii *arguitur.*

ATque, valuere omnino, ad permouendum *Petrum*, fratresque, vti insula quadam donaret *Capitulum.* Rei indicium epistola *Georgii Szakmárii*, Episcopi Quinqueecclesiensis, exhibet, digna oppido, quam cum posteritate communicemus: *Comiti* PETRO, GEORGIVS, *Quinqueecclesiensis Episcopus, salutem! Spectabilis ac Magnifice Domine, Domine & Amice nobis honorande! Cum officii atque humanitatis semper habitum sit, illorum caussas, qui sub nostra tutela (v.) ac protectione degunt, vbicunque vsus aut necessitas postulat, accuratissima commendatione fouere; idque plurimum virium ac momenti habere consueuerit: ea tamen plus roboris, plusque dignitatis sibi vendicat commendatio, in qua, non tam priuata cuiuspiam vtilitas, quam diuini cultus ratio, incrementumque versatur. Cuius quidem rei, Magnificentia Vestra, apertum nuper dedit documentum. quæ, in negotio ad ecclesiam Posonienſem spectante, a nobis interpellata, (x.) se precibus nostris, adeo facilem, procliuemque exhibuit, vt particulam insulæ, quam in sua esse potestate voluerat, nostra intercessione permota, ecclesiæ concesserit atque mancipauerit. Quoniam vero, parum admodum vtilitatis, hæc tota insula, videtur allatura, nisi ea quoque accesserint, quorum gratia, ipsa insula, & tantopere ab his, quorum intererat, petita, & tam munifice a Ma-*

v.) Ita loquitur *Szakmárius*: quippe, *Cancellarius* Regius, a cuius nutu *Balbus* pendebat, tamquam *Secretarius.*

x.) Coniunxisse epistolam suam, cum regia illa, *Georgium*, existimarim.

a Magnificentia Veſtra, diuino cultui nouiſſime fuit adiecta. Idcirco, eandem etiam rogamus, vt geminas aquas, vtroque a latere, dextrorſum & ſiniſtrorſum, in gyrum circum fluentes, ſimul cum piſcaturis, ceterisque emolumentis, ad eccleſiæ vſum & commodum, pro ſua, in diuini numinis cultum, pietate religioneque, conuertat. Munus, quippe futurum eſt, Deo O. M. quam acceptiſſimum, vnde Magnificentia Veſtra, ab omni poſteritate, plurimum laudis, & in cæleſti illo domicilio, æterna præmia, conſequetur. Nos vero, licet Dominum Præpoſitum Balbvm, *ob egregias eius virtutes, ſingularemque eruditionem, non vulgari beneuolentia proſequamur; in hoc tamen negotio, eo impenſius ei ſuffragari cupimus, quo dilucidius intuemur, nihil ipſum hac in re, priuati commodi aucupari; ſed in eo duntaxat elaborare, vt Eccleſia Poſonienſis, olim ſplendida, & inſignis, nunc vero, & temporum iniuria, & priorum Prælatorum negligentia, admodum tenuis & exinanita, ad eum rurſus ſtatum redigatur; quo miniſteria diuina, in dies, magis magisque ibidem coaleſcant, & in æterni Dei præconium, ex hac Magnificentiæ Veſtræ munificentia, maiora ornatioraque ſacrificia peragantur. Et quoniam, ipſius Domini* Balbi, *tam pio tamque honeſto deſiderio, mirum in modum opitulari concupiſcimus; quidquid Magnificentia Veſtra, tum ex ſua innata clementia, tum ex noſtra interceſſione, in ea eccleſia cumulanda illuſtrandaque, præſtiterit, erit nobis quam pergratum, eaque ratione a Magnificentia Veſtra munus nos optatiſſimum* accepiſſe, *ingenue profitebimur.* Tanto ſtudio atque adcuratione, rem ac reditus eccleſiæ Piſonienſis, *Balbus* procurabat; digniſſimum exemplum, quod æmularentur poſteri.

§. VIII.

Balbi, *pro Capitulo ſollicitudo:*

QVid diſerta hæc, & vltra ſeculi ingenium, comta epiſtola, apud *Petrum S. Georgii, & Bozinii, Comitem*, eundemque, Iudicem Curiæ Regiæ, & Tranſiluaniæ Vajuodam, profecerit, in epiſtolis *Balbi* non reperio. Illud conſtat, ſupermanſiſſe litium quædam ſemina, quæ præfocata penitus, *Balbus* vehementer cupiebat. Dabimus eius litteras, quas ille, idcirco ad *Capitulum* exarauerat: Hieronymvs Balbvs, *Capitulo Poſonienſi, S. D. Venerabiles Domini, & Fratres honorandi! ob multa & ardua Regni negotia, Maieſtas Regia, indixit conuentum quendam particularem, his proximis diebus celebrandum. Intereunt duntaxat domini regni primores: arbitror, non fore inutile, ſi D. veſtræ quempiam ex numero noſtrorum fratrum iſthuc miſerint, qui adferat omnia iura noſtra, quoad decimam partem tributi, vt aliquando ea res finiatur; inſuper, iura noſtra, aduerſus vicinos comites adſerantur. Arbitror enim, comitem* Petrvm *interfuturum, & negotium poſſe, non inutiliter componi. Ad hæc, aliaque, quæ ſunt peragenda, aduentus alicuius ex fratribus noſtris, erit opportunus.* Quæ ſequuntur, aliena quidem ſunt, a publicæ huius vtilitatis procura-

ex eius litteris adparet:

curatione, teſtimonium tamen perhibent, quanta, res etiam minutiores, & ſollicitudine, & erga *Capitulum* obſeruantia, adtrectarit *Balbus.* Ita vero habent: *Ceterum, magiſter Franciſcus, concanonicus noſter, apud me egit, vt interponerem partes meas, quo facilius huius anni prouentus, adſequi poſſit. Rogo D. Veſtras, ne interceſſionem meam, in ea cauſſa, reiiciant; cum præſertim, ipſe, onera decanatus, per alium ſufferat, & habeat litteras, a Reuerendiſſimo Domino Strigonienſi, quibus ei eſt liberum, ſtudiorum gratia, vno anno abeſſe. Inſuper iam eum obtinet gradum, vt huic eccleſiæ, facile prodeſſe valeat: eſt enim, apud Sereniſſimam Annam, per regiam Maieſtatem, ſcriba a ſecretis conſtitutus, vnde facile ſibi patebunt, ad ampliſſima quæque breui conſequenda, dabiturque ipſi opportunitas, quam optime, Dominationum Veſtrarum rebus eccleſiæ, conſulendi. Idcirco, D. V. his ductæ rationibus, non præbeant ſe difficiles; accedat etiam, ex hac mea commendatione aliqua efficacia: nam profecto, munus gratiſſimum mihi a D. V. collatum arbitrabor, ſi meæ litteræ, non vacuæ & inanes, ſed magni potius alicuius momenti, apud D. V. fuiſſe videantur.* Hæc ille, iterum ſine temporis indicio.

§. IX.

Collectas, cum Canonicis ſuſpiciones, quomodo diluerit Hieronymus?

INterceſſit poſtea ſuſpicionis quidpiam, quam *Canonici*, de *Hieronymo* collegerant. Mortuo *Caſparo*, Canonico, altare, quod ei, cum beneficio, adtributum fuerat, *Plebano* vrbis, nec conſulto *Præpoſito*, contulerat *Capitulum.* Grauius id tulit, *Balbus:* quippe, cui perſuaſum fuerat, a fratrum nonnemine, ad *Præpoſiti* iura, altaris illius *collationem* adtinere. Ergo, tacitum murmur, mox & indignatiunculæ quidpiam, apud Canonicos conſequutum eſt. Id omne, vt ex animo, cum ſuo, tum Canonicorum elideret *Balbus*, hanc ad eos dedit epiſtolam: *Poſonienſi Capitulo, S. D.* Hieronymvs Balbvs. *Venerabiles Domini, Fratres honorandi! Si,* Iohannes Vas, *familiaris meus, ea ad plenum retulit, quæ referenda mandaueram; id in primis fuerat ab eo repetendum, & etiam atque etiam inculcandum: me nihil prorſus, vel cogitare, nedum agere, a priſcis huius noſtræ Eccleſiæ, conſuetudinibus, aut iuribus ac priuilegiis, alienum. quæ, quantum per me fieri poterit, non modo inuiolata illibataque ſeruare, verum etiam firmiori munimine ſtabilire roborareque, conſtitui: a qua quidem ſententia, me nullius prorſus, aut iniuria, aut calumnia, reuocabit. Quantum vero ad altare, cui ſubſeruiebat magiſter Caſparus, adtinet, mihi quidem, per nonnullos, ex hoc noſtro collegio, fuerat ſignificatum, ad* Præpoſitum *ipſius collationem ſpectare; &, an ita res ſeſe haberet, iuſſi familiarem meum, a D. Veſtris indagare. Alioquin, collatio facta in D. Plebanum, eſt mihi pergrata, vt in virum, ſingulari probitate ac honeſtate præditum. Nam, ſi ad me duntaxat, omnis huius collationis facultas pertineret, neminem habeo, quem huic prælatum vellem.* Hactenus

eius, in eam rem epiſtola:

nus de contentione illa. quam vero, & prudenter, & moderate? vt neſciam, poſſitne hoc, quod viuimus, ſeculo, quisquam, aut eloquentius, aut moderatius, in re ad indignationem prona. Poſtea, quid in rebus Capituli, quoque ſucceſſu egerit, exponit. *De ſubſidio vero regio, & temporum iniquitate, & eorum, qui in magiſtratu hactenus exſtitere, auaritia effectum eſt; vt, ex Triceſima nihil admodum, ex Taxis vero, vix dimidiatum vectigal, acceperimus. Sed, niſi me animus fallit, huius (y.) noui Theſaurarii tempore, ad integrum, quæ hactenus prætermiſſa ſunt, conſequemur. Nec videtur indignum mihi, ſi aliqua pars, ad me deferatur. cum alioquin Præpoſitura habeat tam exiguos prouentus; & ego, ea ſtruere & ædificare cœperim, quæ non niſi maximis ſumtibus abſolui poſſint. De tota vero hac ſubſidii ratione, coram latius ac vberius agam. Cum Dominis Comitibus, ita egi, & tam ſolida ieci fundamenta, vt indubitate mihi perſuadeam, nos optatiſſimum finem, propediem conſequuturos. Puto autem, perutile fore, vt D. Veſtræ, ad me mittant, vnum ex noſtro Collegio, cum pleniſſimo mandato; vellemque, ſi fieri poſſet, vt vel D. Vicario, vel Magiſtro Petro, ea demandaretur prouincia. Sed, quisquis ille erit, ſecum deferat litteras, tam ad ſubſidium ex triceſima, quam ex taxa regia, nobis conceſſum pertinentes. Opto vero aliquem ex hoc collegio, per D. V. mitti, vt eo mecum adhibito, cum Dominis Comitibus,* (de S. Georgio & Bozin,) *extremam manum imponam. Id autem Budæ, ſuffragantibus his, qui nunc ſummam rerum gerunt, & quorum patrocinio liberaliſſime vtor, facile confectum iri, confido. Quicunque autem a D. Veſtris fuerit deſtinatus, poterit meo curru, Budam vſque vehi, quo aduentante, vix biduo, aut ad ſummum, triduo, Budæ morabor: quoad ſcilicet, cum Domino Theſaurario, & Dominis Comitibus, res noſtras tranſigam. Deinde, recta me Poſonium conferam, cum D. Veſtris, maiorem æſtatis partem, Deo propitio, tranſacturus, rebusque, oppreſſæ huius eccleſiæ, cum conſilio, & adminiculo D. Veſtrarum, pro mea virili, quam optime conſulturus. Budæ, in vigilia Pentecoſtes.* Deſideratur annus; fuiſſe autem Lvdovici II. exordia, haud inaniter coniectauerimus. Certe, *Balbi* hac, ſeu prouidentia, ſeu in rebus eccleſiæ, & ſacerdotii, cui præerat, procurandis, ſolertia, nihil animo concipi poteſt exquiſitius.

quid denuo operæ nauarit Capitulo.

§. X.

Ludouicus, Maximiliano *Balbum commendat:*

His virtutibus, ita eluxit Hieronymvs, vt meruerit, Lvdovici, apud Cæſarem Maximilianvm, commendationem. Dolebat, regi adoleſcenti, præceptori ſuo, rem adeo fuiſſe parcam, neque exſtitiſſe locum, in quo, lautiori fortuna, potuiſſet accipi. Proinde, ad Cæſarem primum litteras dedit, quibus, & virtutes *Balbi*, commendaret, & beneficium ei Eccleſiaſticum, deprecaretur. Epiſtola

y.) Alexivm Thvrzonem fuiſſe exiſtimarim, virum, & regi gratioſum, & Balbi familiarem, atque prouentuum regiorum, fidum adminiſtrum.

ſtola iſtiusmodi eſt: Lvdovicvs Rex, Maximiliano *Imperatori Romanorum, Proſocero ſuo, S. D. Iuſtiſſimis ex cauſſis, venerabilem* Hieronymvm Balbvm, *Præpoſitum Poſonienſem, ac Secretarium noſtrum, cariſſimum, acceptiſſimumque habemus: tum, ob fidiſſima, ſinceriſſimaque obſequia, quæ, per tot annorum lapſus, clariſſimæ memoriæ, genitori noſtro, præſtitit, & in dies nobis exactius officioſiusque præſtare non ceſſat; tum, quod nos ipſos etiam, cariſſimamque ſororem noſtram, primis litterarum elementis erudiuit, per integrumque biennium, ſolertiſſimi præceptoris munus expleuit. Cum vero non ambigamus, Maieſtatem Veſtram, pro ſingulari in nos ſua caritate, eodem loco illos habere, qui de nobis bene merentur, ac ſi ſibi ipſi tantundem exhiberent; non alienum, a mutua noſtra neceſſitudine duximus, pro homine, cui tantopere fauemus, apud Maieſtatem Veſtram, partes noſtras interponere. Relatum etenim eſt nobis, ſuper Præpoſitura Viennenſi, nuper vacante, eiusmodi habiti tractatus, vt dubio procul, noſtra commendatione accedente, confidamus, Maieſtatem Veſtram, in alium neminem, quam in noſtrum* Balbvm, *id munus collaturam. qui ex loci propinquitate, vtrique noſtrum, pari ſtudio, ita inſeruiet, vt vix a quopiam, huius ordinis homine, vberior obſequiorum ſeges foret exſpectanda. Cum hactenus in Maieſtatem Veſtram, ſemper animo fuerit propenſiſſimo, atque adeo, ad obſequendum expoſito; in poſterum, hac tanta, Eiusdem, in ſe, gratia confirmatus,* omnes, in Eadem promouenda, *induſtriæ ſuæ vires effundet, vniuerſasque, optimi ac fidiſſimi ſeruitoris, partes, ſic exſequetur, vt Maieſtatem Veſtram, noſtris precibus adnuiſſe, nullo vnquam tempore pœniteat. Nec obſtat, quod accepimus,* Pavllvm *quendam, litteras, quas exſpectatiuas vocant ſuperiori triennio, obtinuiſſe; cum & per nouam Maieſtatis Veſtræ collationem, eiusmodi litteræ, prorſus abrogentur; & alioquin Maieſtas Veſtra, ipſi* Pavllo, *alia in re, alioque in loco, facile conſulere valeat. Rurſus igitur Maieſtatem Veſtram, vt Proſocerum ac Parentem cariſſimum, ex intima cordis adfectione, rogamus, vt ne permittat has noſtras primas, hoc in genere, preces, cadere irritas ac inanes: id quod inſtar gratiſſimi muneris, & certiſſimi Maieſtatis Veſtræ in nos pietatis argumenti, ſumus habituri.* Ad eum modum, rex adoleſcens, elaborabat pro *Balbo*. Eadem cura & diligentia, *Georgius* quoque *Szakmári*, Quinqueeccleſienſis Epiſcopus, rem *Hieronymi*, apud Maximilianvm egit: cuius epiſtolam tamquam inſignis, pro ratione eius ſeculi, facundiæ exemplar, ne intercidat prorſus, non poſſumus non, commentariis noſtris interſerere. Maximiliano *Cæſari, Imperatori Romanorum, Epiſcopus Quinqueeccleſienſis,* Georgivs *S. D. Sacra Cæſarea Maieſtas, Domine Gratioſiſſime! Poſt ſeruitiorum meorum humillimam, in gratiam Maieſtatis Veſtræ, commendationem. Vtilis compendioſaque, pro altero intercedendi, eſt ratio, vt, quem magiſtratu ac dignitate auctum cupimus, eius virtutes decoraque facta, quo eius honor dignior adpareat, laudibus efferamus. Id vero in* Balbo *meo, Maieſtati Veſtræ commendando, non ſatis mihi eſt integrum obſeruare. Cum enim in meo*

eius, ad Cæſarem litteræ:

item, Georgii Szakmárii:

contubernio, per tot annorum ſpatia, ita fuerit aſſidue verſatus, vt in eo pene conſenuerit, & a meis veluti fontibus omnis ipſius actio atque inſtitutio, emanauerit; vereor, ne ſi eius laudandi partes obiero, meas ipſe potius laudes aucupari videar, & quidquid ſibi celebritatis adtribuam, mihi quodam modo vendicare. Illud tamen vnum, citra omnem oſtentationem adteſtari licet, præclaras hominis virtutes, eximiamque pene in omni diſciplinarum genere, eruditionem, in cauſſa fuiſſe, vt eum initio, mihi peculiariter adſeruerim. Inter reliqua vero, quæ ab eo profecta mihi gratiſſima exſtitere, hoc nimirum eſt cumprimis, quod ipſum Balbvm, *in Maieſtatis Veſtræ obſequia propenſiſſimum ſemper animaduerti. qui totis viribus ſibi elaborandum duxit, vt Maieſtatis Veſtræ gratiam, quam maximam, ſua ſolertia & ſedulitate, iniret, eiusdemque fauore ac munificentia, quam digniſſimus haberetur. Quin etiam, me ipſum, alioquin mea ſponte procliuem & incitatum, ſuis cohortationibus, in excolendam Maieſtatis Veſtræ amplitudinem, frequenter inflammauit, & vltro currenti, vt aiunt, ſtimulos & calcaria adiecit. Iam vero idoneum tempus effulſit, quo ſingularis Maieſtatis Veſtræ, in eum benignitas, conſtare poſſit. Si ſcilicet, Præpoſitura Viennenſis, ex gratia & benignitate Maieſtatis Veſtræ, ad ipſum deferatur. quo quidem Maieſtatis Veſtræ munere confirmatus, & ipſe feruentius alacriusque, priſtinis obſequiis obeundis, incumbet; & reliquis, hoc quaſi exemplo propoſito, ad ſimilia præſtanda, cupiditas augebitur. Quamuis autem, Sereniſſimus rex* Lvdovicvs, *dominus meus gratioſiſſimus, pro eodem, quem miro quodam fauore ac gratia, proſequitur, partes ſuas, hac in re, apud Maieſtatem Veſtram, interpoſuerit; nec ambigo, Maieſtatem Veſtram eiusdem, vt filii ac progeneri cariſſimi, precibus id conceſſuram: ſi quis tamen mihi, Maieſtatis Veſtræ humillimo ſeruitori, locus rogandi ſupereſt: Eidem, ex imo pectore ſupplico, vt hæc mea commendatio, pro homine, mihi tam diuturna conſuetudine iuncto, eaque, & integritate, & eruditione, prædito, apud Maieſtatem Veſtram aliquid ponderis, ac momenti habuiſſe videatur. pro quo, eo animoſius cupidiusque laboro, quo exploratius habeo, ipſum* Balbvm, *ita ad nutum & arbitrium Maieſtatis Veſtræ, omnia ſtudia ſua, curas, vigilias, ac ſolertiam, commodaturum, vt, ſi vnus ex omnibus, ad hoc munus obeundum, quæreretur, qui in omnium ſtudiorum, & obſequiorum genere, ei eſſet conferendus, vix reperiri poſſit. Is vero, ſi hac a Maieſtate Veſtra, munificentia decorabitur, me quoque ipſum, gratiſſimo munere, ab Eadem, adfectum eſſe, iudicabo, & hoc quidem nomine Maieſtati Veſtræ, me plurimum etiam debere, ingenue profitebor. In cuius gratiam, me, propenſiſſimaque obſequia mea, humillime commendo. Budæ.* Tantus nimirum fuit *Hieronymus*, vt ſummorum virorum, ad ſummum orbis moderatorem, commendatione, dignus haberetur. Ea tamen *Præpoſitura* potitus haud eſt; ſiue, quod *Paulli* illius, quem in litteris, Rex meminit, potior fuit ratio; ſiue, quod mors Cæſaris interceſſit, quo minus potuerit voti damnari Balbvs. Enim vero anno MDXXII. Piſonienſi hoc ſacer-

nullo ſucceſſu:

ſacerdotio fruebatur adhuc, functusque eſt, legati, ad Carolvm Cæſarem, munere. Ea de re Istvánffyvs *(z.)*. *Miſit*, inquit, *paullo poſt*, Lvdovicvs, *ex concilii, ſeu comitiorum decreto, legatos ad Carolum Cæſarem, ac Principes Germaniæ, quos Electores vocant, Wormatiæ congregatos, Gregorium Monachum Franciſcanum, ex nobili & clara Comitum Frangepanorum familia, Archiepiſcopum Colocſenſem, ac Ladislaum Sternbergum, Bohemicum Cancellarium*, & Hieronymum Balbum, Præpoſitum Poſonienſem, *vt contra Turcas auxilia implorarent. Ad quorum preces, publico Pannoniorum nomine factas, eleganti a* Balbo *recitata oratione, (is poſtea Epiſcopus Tergeſtinus, poſtremo vero Gurcenſis fuit,) promtis Germanorum omnium ſtudiis decreta fuere, initio menſis Maii, auxilia haud contemnenda.* Inter eius opera, ædes *Præpoſiti*, quas excitauit, hodieque conſpicuæ, inſignem merentur locum. Etſi enim, multum earum ſplendori, a ſucceſſoribus additum eſt, *Emericō* in primis *Czákyo, Cardinale & Archiepiſcopo Colocſenſi*, nuper fatis functo; qui nouam iis, & factam ad elegantiam ſeculi, ſpeciem induit; tamen, eas poſt ſe, *Hieronymus*, translatus ad exteros epiſcopatus, reliquerat, vt idoneæ haberentur, quæ reges hoſpitio acciperent. In primis celebres reddidit, Ferdinandvs I. quando cum Maximiliano filio, pridie inaugurato, Maria item, eius coniuge, diademate redimita, pranſurus, iſthuc diuerterat, Apud Istvánffyvm *(a.)* ſic lego: *Dum hæc geruntur,* Caesar *valetudinarius, in ædibus Antiſtitis Poſonienſis, templo contiguis, pranſus eſt, ac deinde, a filiis, ac ducibus, & proceribus, in arcem deductus.*

Balbi, *cum collegis ad* Carolum V. *legatio:*

excitauit ædes Præpoſituræ.

§. XI.

DIximus hæc de Balbo, deſtinato conſilio, vt viam præiremus his, in quorum poteſtate ſunt tabularia, quemadmodum mereri poſſent, non de præſulibus modo ſuis, ſed omni etiam ea ætate, quam illi vixerunt, illuſtraruntque virtutibus ſuis; ſi tantum vellent, quantum ſibi liceret. Eſt plerumque, vita ſacrorum virorum, magnis euentibus, nobilitata. quibus, ad communem vtilitatem, exprom.endis, nihil æque neceſſarium eſt, quam eorum munera, penitus excuſſiſſe, introſpexiſſe characteres, & quemadmodum, in vtraque republica, verſati ſint, cum cura, adnotauiſſe. Id vero, cum in *Balbo* tentauimus, vtinam liceret, in reliquorum *Præpoſitorum* laudibus, idem elaborare. Szent-Iványvs certe, ſcriptor S. I. induſtrius, catalogum *Præpoſitorum Piſonienſium*, inter *Hungariæ* deſideria, *(b.)* retulit. Neque nos poſſumus aliter, quam vt maiorem in modum rogemus, venerabilis huius collegii patres conſcriptos, ne ſe ipſos, ſuaque decora, deſerenda in poſterum, exiſtiment.

Auctoris deſiderium, poſſe Præpoſitos *reliquos, in lucem producere.*

z.) Lib. vii. p. 101, 23.
a.) Libro xxi. p. 426, 1.
b.) *Continuatione* Diſſertationis Paralipomenicæ, Memorabilium rerum in Hung. Catalogo vltimo, Catalogorum præ. termiſſorum, p. 57. *Optarem,* inquit ille, *vt poſteri ſupplerent, hac in parte, ſuorum anteceſſorum ignauiam ac ſocordiam.*

§. XII.

Iura V. Capituli *peculiaria:*

IAm, quod ad *Venerabile Capitulum* adtinet, tametsi connexæ eius cum *Præpoſito*, ſunt rationes; ſuis tamen gaudet iuribus, a *Præpoſitura* diſcretis. Lauta hæc olim erant, & opimorum redituum; ſed quæ, cum temporum difficultas, tum iniquitas hominum, inſigni prorſus iniuria, pridem diminuit. Enim vero, alendis *Canonicis* XIV. tot namque primitus fuiſſe inſtitutos, ſupra meminimus; eos oportuit

& reditus: eſſe prouentus, qui non modo ſufficerent, vitæ, cum commoditate tolerandæ; ſed etiam ſuſtentandæ dignitati, quæ ſacerdotium deceat. Prima, quod ſcimus, *Capitulo*, inflicta clades, ab Ottocaro fuit, cui-

clades ab Ottocaro *illata:* ius ſanguinolenta bella, ſupra *(c.)* deſignauimus. Euaſtata profecto, & deleta funditus vrbe, nequiuit *Capitulum* perſtare intemeratum. Diſerte ſcriptores, qui eius tempeſtatis hiſtoriam, in litteras retulerunt; præter cœnobium *Fratrum Minorum*, nihil quidquam a clade manſiſſe immune, referunt. Ac ſenſit omnino eius calamitatis mala, *Venerabile Collegium* eo dolentius, quo regem *ipſum*, cum vniuerſa regione, iniquiore vſum *fortuna*, conſtat. Acerbi, *nimirum ſunt*, *infelicium bellorum fructus*, neque tenet modum hoſtium rabies, cruore ſatiari neſcia. Vt ex buſto exſurgere cœpit *Piſonium*, non potuit non, & *Capitulum*, pro *difficillimorum* temporum habitu, quomodocunque recreari. *Belæ* certe IV. ea fuit ſollicitudo, vt, exuſta diplomata, ſuis tabulis compenſaret. Ergo, quidquid erat *Collegio*, ante bellum Bohemicum, libertatis, fundorum atque redituum, nouo id diplomate complectitur; addit, ſua ipſius ductus liberalitate, non pauca, vt eo celerius redintegrarentur res *Capituli*, ſuusque cultui publico decor, reſtitueretur iterum. At enim vero, pientiſſimam deſtinationem hanc, nouus & e Bohemia turbo, corrupit. Exceſſerat e viuis Bela, relicto Stephano filio, qui rebus, nondum reparatis vndiquaque, *moderaretur*. Is, dum intempeſtiuam, profligati ab Ottocaro, patris vindictam parat; prolecto in bellum Bohemo, *Piſonium (d.)* & cum eo *Capitulum*, in fortunam induit longe omnium *iniquiſſimam*. Deleta enim flammis vrbe, lautiſſima illa priuilegia, quæ ſacerdotio impertiuerat Bela, peſſum iuere denuo; iactura tanto maiore, quod bello ei immortuus Stephanvs, Piſonium in Ottocari poteſtate cogebatur relinquere. Accedente ad ſceptra Ladislao, Stephani filio, *nihilo* benignius, cum vrbe, & *Capitulo*, agebatur. Dedita quidem, proditione *Aegydii* cuiusdam, Hungaris vrbs fuit; ſed eo ſucceſſu, vt nouis belli iniuriis locus fieret: Ottocarvs enim, Hungarorum impreſſiones vlturus, cum ſexaginta millium exercitu, in Hungariam ſe citeriorem infudit. Ceſſit, tunc quoque, in rapinam *Piſonium*, peſſum iere ſacerdotia, nihilque non editum facinoris eſt, quo, nondum obductæ bellorum ſuperiorum cicatrices, recrudeſcerent.

reparatur a Bela IV.

iterata, a Bohemo, clades, vrbi & Capitulo, inflicta:

tertium, ab eodem euaſtantur.

§. XIII.

c.) Hiſtoriæ Vrbis Piſonienſis, *Periodo Hungarica*, ſeu Cap. III. §. IX. ſeqq.

d.) Lege omnino loco citato, §. X.

§. XIII.

HIs malis, cum vrbe, *Capitulum*, pluribus continenter annis, vrgebatur. Poſtea, *Ottocaro*, bello ſociali, quod coadunatis, cum Rvdolpho Cæſare, copiis, *Hungari* mouerant, cæſo, mitius cum *Capitulo* agi cœptum eſt. Recuperato enim *Piſonio*, Collegium quoque ſacerdotum, damna, quæ fecerat, reparare nitebatur. Ladislai certe factum eſt munificentia, vt inſtaurata *Capituli* priuilegia, nouo edito diplomate, confirmarentur. Exſtat in tabulario, regiæ huius benignitatis exemplar, cui argumentum his verbis inſcriptum eſt: *Donatio noua, poſt priuilegia* Belae, *per bellum Bohemicum & Teutonicum, deperdita, a* Ladislao *rege, ſuper Szamot, Körth, Völk, cum piſcaturis, & omnibus bonis reliquis, anno MCCLXXVII. collata.* Sequutæ poſtea ſunt, plures regis eiusdem tabulæ, quibus intemerata *Capituli*, & poſſeſſionum, quas habebat, iura eſſe voluit. Nam, anno quidem MCCLXXX. priores illas tabulas, prorſus confirmauit; anno autem MCCLXXXVII. inſigniter locupletauit. Atque, hæc *quidem* diplomata, antiquiſſima Capitulo eſſe *accepimus*, quæ ex tot cladibus ſuperant. *Fama eſt*, Ladislao, ex felici ea pugna, qua necatus eſt *Ottocarus* reduci, occurriſſe *Canonicos Piſonienſes*, vlteriore Danubii ripa; & victoriam congratulatos, mala ab *Ottocaro* accepta, compoſita ad ciendam miſericordiam oratione, queſtos fuiſſe, rogauiſſeque precibus conceptiſſimis, vti, quum victricibus armis e medio ſuſtuliſſet vaſtatorem, damna, quæ idem *Capitulo* intulerat, pro ſua bonitate, repararet. Lætus, ſupplici hoc ſacerdotii occurſu, Ladislavs, vniuerſam eam planitiem, *(e.)* quam legio, cuſtodiæ corporis deſtinata occupabat, *Capitulo* perenni iure, obtulit, ſimulque recepit, non commiſſurum, vt ſua, in recreandis eccleſiæ rebus, benignitas, *iure* poſſit deſiderari. Hanc demum campi portionem, in pratum vertit *collegium*, eximii hodie cenſus. Certe, ſi quid de ſontibus, qui ſunt ditioni venerabilis Collegii obnoxii, ſumendum ſupplicii eſt, heic id peragi videas. Sub idem tempus eueniſſe aiunt, vt, cum ante, in vico *Weidricenſi*, quem olim Bela incoluerat, degerent *Canonici*, ſedes ſuas propius, ad ædem *D. Martini*, transferrent. ea nimirum lege, vt vicus ille, prorſus vrbanis iuribus accenſeretur; domus contra, quas in vrbe culturi eſſent in poſterum *Canonici*, a tributis immunes redderentur. Itaque, vicus inde *Canonicorum* enatus eſt, quem vernacule, *Pfaffen-Gaſſe*, dixerunt eius ætatis homines, procul omni conuitio. Nam conſtat ex diplomatibus, vocabulum *Pfaff*, venerabile tunc fuiſſe, in eundem modum, ſicuti eſt hodieque nomen ſacerdotum. Sed, ne hæc quidem *Capituli* felicitas, diuturna eſſe potuit, ob *Iváni (f.)* Comitis, cum Alberto *Auſtriaco*, diſſi-

Cæſo Ottocaro, *reſpirat* Capitulum:

Ladislai, *erga id benignitas:*

Canonici, ex Weidriczenſi vico, in vrbem immigrant:

bello Auſtriaco, nouæ vrbis, & Capituli, calamitates:

e.) Obiacet ea vrbi, in meridiem, diffunditurque, a Danubii ripa, pone *Auſtriæ* fines, vſque ad *Köptsenienſis* territorii limites, diciturque Hungaris *Káptolom-Rétje*, Germanis, *Capitels-Wieſe*.

f.) Relege, quod ſemel iterumque citauimus, Cap. III. vrbis noſtræ §. XIII. XIV.

diſſidia, & cruenta ea, & cum damnis coniuncta vrbis, atque ſacerdotiorum. Gemina nempe, obſidione perdomitum *Piſonium*, diutius Auſtriaco paruit, dotis demum nomine, ANDREAE III. quem *Venetum* dicimus, reſtitutum. Ergo, dubiam, inter has conuerſiones, *Capituli* fortunam eſſe oportuit: quam tamen ANDREAS, anno MCCXCII. atque iterum, anno MCCXCVI. datis liberaliſſime diplomatibus, egregie, & reparauit, & conſtabiliuit.

reparantur ab Andrea III.

§. XIV.

Quid a Carolo I. *Capitulo ſit præſtitum?*

LAetiora, ſub CAROLO I. & huius filio, LVDOVICO I. non vrbi modo, ſed venerabili quoque *Capitulo*, tempora inierunt. CAROLVS enim, profligatis partim, partim vltro decedentibus æmulis, vti pacando vniuerſim regno, ita inſtaurandis ſacris Ordinibus, operam in primis nauandam ſtatuit: Exſtat, pietatis eius, in *Capitulum Piſonienſe*, inſigne documentum, anno MCCCXVII. ſingulari diplomate, perſcriptum, quo *Ladislai* non minus, quam *Andreæ* munificentiam adfirmabat. Anno dein MCCCXXIV. non tantum vetera *Capituli* iura, in tabulas denuo referenda curauit; ſed ſua etiam liberalitate, inſigniter locupletauit. Ad hanc ætatem, natales *Capituli* referunt alii. THVRÓCZIVM *(g.)* nominaſſe ſufficit: *Princeps*, inquit, *D. Martino ſacrata eſt Eccleſia, ad quam ſpectat hodie, Capitulum duodecim canonicorum, ſuo cum Præpoſito; cui initium fecerat, quidam* Petrus Gayzmir, *qui anno milleſimo, trecenteſimo quadrageſimo primo, in Eccleſia S. Saluatoris Canonicos quosdam fundauerat.* Nolim inficiari, quiscunque GAYZMIRVS ille fuerit, potuiſſe *Capitulum* donauiſſe reditibus; ſed, vt gloriam inſtituti *Capituli* ei tribuam, impetrare a me non poſſum. Auguſtiora ſunt huius fundationis exordia, quam vt homini priuato, tametſi diuiti pioque, tribui poſſint. Reges, ad ſe id pertinere exiſtimabant: quorum poſtea exempla ſequuti primores, cumulabant opes, in ſacra huiusmodi inſtituta. LVDOVICVS porro, nil quidquam in locuplatandis ſacris viris, parente remiſſior, anno MCCCLVII. litteras *Capitulo* impertiuit, quibus, &, priſcorum regum pietatem recognoſcebat, & noua, ex ſuo, adiiciebat beneficia. Iam tum vero in *Capituli* ditione cenſebantur: *Kürth*, hodie, *Vásárút; Völk; Szilincs; Csandal*, nunc *Torony*; *Csukara*, iam *Csukárd*; *Nyárasd*, & *Papſalu*; vici, alter altero opportuniores. Horum poſſeſſionem, SIGISMVNDVS quidem, anno MCCCCXXII. LADISLAVS poſthumus, anno MCCCCLIII. WLADISLAVS poſterior *Polonus*, anno MCCCCXCVII. ſuis, ſinguli, diplomatibus, venerabili *Capitulo*, confirmauerunt. Reliqua, quæ, ſiue ad Eccleſiam ipſam, ſiue ad alendos *Canonicos* adtinuere, iniuria temporum detriuit; vt hæc, quæ iam recenſuimus, reliquias merito dixeris, diuitis olim patrimonii. Huc, & vineam nomine *S. Annæ*, *(h.)* ſa-

an Petrus Gayzmir, *fundator* Capituli *queat dici?*

Ludouici, *erga* Capitulum, *pietas:*

Sigismundi, & Ladislai *fauor:*

beneficia reliqua.

g.) Loco citato. p. 194.

(h.) ſacris vſibus dicatam; domum item *S. Andreæ*, cuius beneficio, cuſtos *Capituli* perfruitur, retuleris. His interim reditibus, neque opimis, ſed nec tenuibus, aluntur hodie *Canonici XII.* Nam, duorum *(i.)* prouentus, muſicis, qui ſacros ritus ſymphonia honeſtant, impertiendus eſt.

§. XV.

MVlta ſunt, quæ ad venerationem *Capituli* pertinent. Præterquam enim, quod ſacris operantur, ſtatis horis, qui ei collegio ſunt adſcripti; magna eorum auctoritas eſt, in rerum ciuilium procuratione. Longum foret, neque conſentaneum inſtituto noſtro, ſi, quæ huc referuntur, ſigillatim deſcriberemus. Plena his ſunt *decreta regni*; vſus autem & obſeruatio, propemodum quotidiana. Illud ſilendum non eſt, quod *Loca Credibilia*, vt vocant, ſeu *authentica*, Capitulorum fidei, veterrimo inſtituto, ſunt commiſſa. *Archiua*, ſiue *Tabularia* publica intelligimus, vbi litteræ quorumuis adſeruantur, toties promendæ, quoties id vſus tulerit. Ingens *Piſonienſis* eſt commendatio; *tum, ob litterarum*, quæ ei inſunt, copiam; tum ob accurationem cuſtodiæ. quæ, cum vniuerſim toti *Capitulo*; tum *Syndico*, ſeu *Notario*, pro muneris ratione, incumbit. Relatum accepimus, cæſo ad Mohácsum, LVDOVICO II. cum *Buda* profugeret MARIA, vna cum theſauris regiis, ingentem litterarum vim, *Piſonium* illatam eſſe. Diſcas id ex anni MDLVII. *(k.)* decreto, quod, ne ignoretur a lectoribus, hic adſcribendum eſt: *Cum iam ſæpius Sacræ Regiæ Maieſtati ſupplicatum fuerit, vt litteræ, & litteralia inſtrumenta, diuerſorum Dominorum ac Nobilium, quæ ſuperioribus annis, in arce Poſonienſi, nunc vero in domo Præpoſituræ Poſonienſis, hic Poſonii ſunt repoſita, per Iuris peritos homines, ad id ſpecialiter deputatos, reuiderentur, & iis, ad quos pertinerent, diſtribuerentur; idque hactenus factum non ſit. Statutum eſt nunc, vt pro primo die, proxime futuri menſis Auguſti, duo Magiſtri Protonotarii, huc Poſonium venire, & vſque ad medium menſem præfatum, in perluſtratione, & reſtitutione huiusmodi litterarum, iis, ad quos ſpectant; a medio vero menſe, vſque ad eiusdem menſis finem, alii duo Magiſtri Protonotarii, ſimiliter in eadem re occupati, teneantur: quibus, de honeſtis expenſis, vſque ad id tempus, quo in hac perluſtratione fuerint occupati, per eos, qui litteras ſuas perquiri voluerint, prouideatur. Ad illud autem tempus, Comitatus omnes, qui litteras aliquas conquiri optauerint, Poſonium venire debeant. Quod ſi quæ difficultas apud ipſos Protonotarios ſuboriretur, ad vtros forte litteræ aliquæ ſpectarent, tales litteras, apud ſe retineant, vſque ad proximum terminum iudiciorum, & tandem, ad quos legitime pertinere videbuntur, reddantur.* Hactenus decreti verba,

V. Capituli *auctoritas:*

& veneratio:

habet Archiuum *publicum, fidei ſuæ commiſſum:*

h.) Eſt, in ea vinetorum regione, cui *Goldfus* nomen.

i.) Olim XIV. fuiſſe *Canonicos*, iam ſupra monuimus.

k.) Articulo XXIV.

sed quæ non de publico *Archiuo Capituli*, verum peculiari *Præposituræ* conditorio, accipi oportere, palam est. In iuribus *Canonicorum* peculiaribus, id quoque merito recensuerimus: quod testamenta condere, hæredesque scribere possint. Vtrumque, SIGISMVNDO in acceptis ferunt. quorum illud, anno MCCCXC. istud, MCCCCXXIII. diplomatibus editis, *Capitulo* impertiuit. Tametsi, præterea subsunt *Præposito*, Canonici Pisonienses; tamen, & sine eo, *consistoria* celebrare, & quod æquum est statuere, ius habent, a WLADISLAO, anno MDV. indultum. Plurium decretis regum, confirmatum *Capitulo* est: ne reciperetur in *collegium* quisquam, nisi qui *bullatus* esset, vt verba habent, vel *beneficiatus*. Liberos autem a iurisdictione *Comitis Pisonienſis*, aliorumque iudicum, non sacerdotes tantum; sed familiam quoque, pronunciauit, *Nicolaus Palatinus*, anno MCCLXXIV. Idem feciſſe LVDOVICVM I. anno MCCCLXXV. litteræ, quæ supersunt adhuc, testantur. Recognouit eam libertatem, anno MCCCXCVII. SIGISMVNDVS, planeque vetuit, ne quisquam, *ſubditos* Canonicorum, iis inuitis, captiuos queat ducere. A censu, *taxis*, & tributis, exemere eos: LVDOVICVS I. anno MCCCLIII. SIGISMVNDVS anno MCCCXCVII. item MCCCCXIII. MATTHIAS Coruinus, MCCCCLXIV. WLADISLAVS denique, anno MDXV. eius incendii occasione, quod supra *(l.)* memorauimus: quippe quo, vniuersæ *Canonicorum* domus, in cineres abierant. Immo vero, & vicos Capituli, a censu liberos esse voluerunt, iidem reges: MATTHIAS quidem, anno MCCCCLXIV. eodem, quod nunc meminimus, diplomate: WLADISLAVS, anno MCCCCXCVII. & MDIX. *Protectionales* denique, quas vocant, a SIGISMVNDO, anno MCCCC. item MCCCCI. ac denique MCCCCVII. accepere. Et quis prosequi possit reliqua? Sigillum, quo vtitur *Capitulum*, SERVATOREM CHRISTVM, tenella specie refert, tecto templi inter duas turres, insistentem, tenentemque sinistra globum, dextram contra, porrectis duobus digitis, alleuantem, cum περιγραφῇ: S. ECCLESIAE SALVATOR, ad hunc modum:

prærogatiuæ Canonicorum *reliquæ.*



De his, tale, non nemo, prognosticon cecinit:

Istropolis (m.) quæ picta vides insignia templi
Aetatis numerat, secula quina (n.) suæ. *Tur-*

l.) Historiæ Vrbis nostræ, Cap. III. §. L. ad diem XII. Aprilis, p. 181.

m.) Ita *Pisonium*, saltem flumentaneam eius partem, siue suburbium, *Danubio* proximum, adpellauisse, non raro, MATTHIAM *Coruinum*, eius diplomata loquuntur.

n.) Nempe, si ad BELAE IV. ætatem, referas, *Capituli* initia; quæ tamen, quod retrusioris sint antiquitatis, supra docuimus.

Turribus e mediis Saluator prominet orbis,
Numinis hic felix, nomen & omen habet,
Macte Poson animis Satoris nomine felix,
Post mille & septem, tempora maior eris.

§. XVI.

SVpra, ex COLOMANNI regis decreto, meminimus, *Ferri* candentis, & feruentis *Aquæ Iudicium*, Ecclesiæ Pisonienſi, ob *Præposituræ* excellentiam, indultum fuisse. quæ res, qualis fuerit, declarandum est, ex monumentis domesticis. Vocabantur, nimirum, in iudicii isthoc genus, hi potissimum, qui cauſſam iudici suo, ita dubiam, & in vtramque partem flexibilem, faciebant, vt, quid statueret, haud facile reperiret. Proinde, ne lata perperam sententia, conscientiam contaminaret, actorem, iuxta & reum, interrogabat iudex, vellentne, *Ferri candentis iudicio*, rem experiri suam? quod si parti vtrique placuit, addebatur litigantibus *Priſtaldus (o.)* qui eos huc illucue duceret, vbi candentis ferri iudicium obtinuit. Tum vero, cum se *intimauere Capitulo*, res omnis, ritu sacerrimo, peragebatur. quem vt adscribamus, res iam pridem obsoleta, nos admonet; lectoris autem gratiam inituros, eo certius confidimus, quo pauciores sunt hodie, qui ritum eum habeant cognitum. Prodiit, anno MDL. *Claudiopoli*, liber, *(p.)* sumtu *Georgii Monachi*, Episcopi Varadienſis, procusus, hoc titulo: RITVS EXPLORANDAE VERITATIS, QVO HVNGARICA NATIO, IN DIRIMENDIS CONTROVERSIIS, ANTE ANNOS TRECENTOS ET QVADRAGINTA, VSA EST, ET EIVS TESTIMONIA PLVRIMA, IN SACRARIO SVMMI TEMPLI VÁRADIENSIS, REPERTA. Eius fine exhibetur: *Benedictio Episcopalis, ſuper nouum ferrum, ad manifeſtandum verum iudicium, præparatum*, quam, en! tecum communicamus, lector, antiquitatis auide:

Ferri & aquæ Iudicium, Ecclesiæ Pisonienſi indultum:

eius ratio.

ORATIO.

BEnedic Domine Pater omnipotens, æterne DEVS, *per inuocationem sanctiſſimi nominis tui, & per aduentum vnigeniti filii tui, Domini nostri* IESV CHRISTI, *atque per donum Spiritus Sancti, ad manifeſtandum verum iudicium tuum, hoc genus metalli, vt sit sanctificatum & consecratum, vt omni dæmonum falsitate procul remota, fidelibus tuis, veritas veri iudicii tui, manifeſta fiat, per Dominum nostrum Ieſum &c.*

ritus Sacri formula.

o.) Seruus nimirum iudicis, & sententiæ, quam is tulerat, exsequutor, de quo vide COLOMANNI Regis Decret. Lib. I. Cap. XXVIII. seqq. Vox videtur esse Slauica, a *Priſtal*, hoc est, *adſtitit.*

p.) Forma quadripartita, oppido rarissimus, nigroque simillimus cigno, quem possidemus, edituri proxime in lucem publicam, in *Adparatu ad Historiam Hungariæ*, qui iam *Pisonii* excuditur: vbi, plura de eo ritu, edisserendi occasio se dabit.

ORATIO.

DEvs *Abraam, Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus omnium bene viuentium, Deus, origo, & manifestatio omnis iustitiæ, qui solus est iustus iudex, fortis & patiens. Dignare exaudire nos famulos tuos orantes ad te, pro benedictione huius ferri, vnde rogamus te Domine, iudicem vniuersorum, vt mittere digneris sanctam & veram benedictionem tuam, super hoc ferrum, vt sit refrigerium illud portantibus, & habentibus iustitiam, & credentibus in tuam iustitiam & fortitudinem. Et sit ignis ardens, iniquis & facientibus iniqua, & sperantibus in iniustitia sua & pompa diabolica. Conuerte, Domine, incredulitatem iniustorum, per virtutem & benedictionem tuam, & per inuocationem sanctæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et mitte in hoc ferrum vim virtutis ac veritatis tuæ, vt in eo semper per misericordiam & veritatem tuam, verissima iustitia, quæ tibi soli cognita est, fidelibus tuis, ad emendationem iniquorum, manifestissime declaretur, de quacunque quæstione, ratio fuerit agitata, & nullam potestatem habeat diabolica virtus, veritatem tuam, aut occultare, aut deprauare; sed sit seruis tuis in monimentum fidei, ad credulitatem diuinæ maiestatis tuæ, ad certificationem misericordiæ, ac verissimæ tuæ veritatis, per Dominum, &c.*

Tunc aspergatur ferrum aqua benedicta, & dicat Episcopus:

BEnedictio Dei *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, descendat super hoc ferrum, ad discenendum iudicium* Dei. *Amen.*

Sequitur Benedictio ad locum, vbi ignem accendere, & consecrare debent.

BEnedic Domine, *per inuocationem sancti nominis tui, hunc locum, ad manifestandum verum iudicium, vt omni dæmonum falsitate procul remota, fidelibus tuis, veritas iudicii tui manifesta fiat; per* Christvm *dominum nostrum. Amen.*

Benedictio Ignis.

DOmine *Sancte Pater omnipotens, æterne* Devs, *benedic hunc ignem, quem in nomine filii tui, Domini nostri* Iesv Christi, & Spiritvs Sancti, *benedicimus, & sanctificamus; Qui viuis & regnas, &c.*

Sequitur Missa Iudicii Candentis Ferri.

INTROITVS.

IVstus es Domine, *& rectum iudicium tuum, fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam.* Ver. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, Gloria Patri &c.*

ORA-

ORATIO.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, *& adspirando præueni, & adiuuando prosequere, vt cuncta operatio, omnis oratio, & a te semper incipiat, & per Te cœpta finiatur, per Domin. &c.*

LECTIO ESAIAE PROPHETAE.

IN diebus illis, locutus est Esaias Propheta, dicens: Quærite Dominum, dum inueniri potest, inuocate eum, dum prope est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.

GRAD.

CVstodi me Domine, vt pupillam oculi, sub vmbra alarum tuarum protege me. Ver. *De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitatem.*

Alleluia! Devs *iudex iustus, fortis & patiens, numquid irascetur, per singulos dies. Alleluia!*

EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM.

IN illo tempore respiciens Iesvs *in discipulos suos, ait illis. Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicunque dixerit huic monti, tollere & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunque dixerit fiat, fiet ei: propterea dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & fient vobis.*

OFFERTORIVM.

DE profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam!

SECRETA.

OMnipotens, sempiterne Devs, *qui non sacrificiorum ambitione placaris; sed studio piæ deuotionis intendis, da famulis tuis fidem rectam, spem inconcussam, & cor mundum, vt fides hæc tibi dona conciliet, & humilitas commendet. per &c.*

COMMVNIVM.

AMen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis.

Tunc communicet Sacerdos criminatum ſeu accuſatum, his verbis.

COrpus Domini noſtri Iesv Christi, *ſit tibi hodie ad comprobationem veri iudicii, Amen.*

ORATIO, POST COMMVNIONEM.

FIdeles tuos, Devs, *perpetua dona confirment, & vota noſtra, quæ præueniendo adſpiras, etiam adiuuando proſequere. per Dominum &c.*

Peracta Miſſa, pergat Sacerdos cum cruce, & aqua benedicta, & plebe, ad locum, vbi probatio fieri debet. Imprimis dicantur ſeptem Pſalmi pœnitentiales, cum Letania in qua interſerantur hi duo verſiculi:

VT iuſtitiæ non dominetur iniquitas, ſed ſubdetur nunc & ſemper falſitas veritati tuæ. Res. *Te rogamus audi nos. Vt verum iudicium hodie nobis manifeſtare digneris. R. te rog. Agnus Dei. Xpe. audi nos. Xpe. exaudi nos. Kyrieel. X. K.*

Poſtea dicantur orationes ad Ferrum.

BEnedic Domine *Sancte* Pater, *per inuocationem ſanctiſſimi nominis tui, & per aduentum vnigeniti filii tui, Domini noſtri* Iesv Christi, *atque per donum Spiritus ſancti, ad manifeſtandum verum iudicium tuum, hoc genus metalli, vt ſit ſanctificatum & conſecratum ad manifeſtandum verum iudicium tuum, vt omni dæmonum falſitate procul remota, fidelibus tuis veritas veri iudicii tui, manifeſta fiat, per eum, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſeculum per ignem. Amen.*

ALIA ORATIO.

Devs, *iudex iuſtus, qui auctor pacis es, & iudicas æquitatem. Te ſuppliciter exoramus, vt hoc ferrum ignitum, ad iuſtam examinationem cuiuslibet dubietatis faciendam, benedicere & ſanctificare digneris. Ita, vt ſi innocens ſit homo iſte, de prænominata cauſſa, vnde purgatio quærenda eſt, hoc ferrum ignitum, cum manu accepit, illæſus appareat; & ſi culpabilis ſit, iuſtiſſima ſit ad hoc virtus tua, vt in eo veritas declaretur. Quatenus iuſtitiæ non dominetur iniquitas, ſed ſubdatur ſemper falſitas veritati. per &c.*

ALIA ORATIO.

OMnipotens Devs, *te ſuppliciter rogamus, pro huius negotii examinatione, quod modo inter nos ventilamus, vt iuſtitiæ non dominetur iniquitas; ſed ſubdetur falſitas ſemper veritati, & ſi hanc præſentem examinationem aliquis, per aliquod maleficium, aut per herbas, tegere & impedire voluerit, tua ſancta dextera, iuſtiſſime iudex, euacuare digneris. per Dominum noſtrum.*

Tunc

Tunc aſpergatur ferrum aqua benedicta.

BEnedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, deſcendat ſuper hoc ferrum, ad manifeſtandum verum iudicium. Amen.

ORATIO:

OMnipotens, ſempiterne Deus, qui tua iudicia, incommutabili diſpoſitione, iuſtus vbique iudex, diſcernis, tu clemens in hoc tuo iudicio, ad inuocationem ſancti tui nominis, quod a te fidelium intentio deplorat, tua iuſtiſſima examinatione declara, per Dominum &c.

ALIA ORATIO:

Devs, *iudex iuſtus, fortis & patiens, qui ſedes ſuper thronum, & iudicas æquitatem, quoniam iuſtus es, & rectum iudicium tuum. Deus, qui Suſannam, de falſo crimine liberaſti, & tres pueros Sydrak, Miſach & Abdenago, de camino ignis ardentis, per ſanctum angelum tuum, illæſos eduxiſti. Quique per aduentum vnigenti tui filii, Domini noſtri* Iesv Christi, *mundum ſaluaſti, & per eius paſſionem, humanum genus redemiſti, Deus pacis amator & auctor, qui reſpicis terram, & facis eam tremere, reſpice, quæſumus, ad fidem & preces ſupplicum tuorum, qui querimoniæ ſuæ cauſas, ad tui iudicii examinationem deferre, & ſuper hoc ferrum igne candens, ad diſſoluendas eorum lites, gratiam tuæ benedictionis infunde, vt per illius miniſterium, & iuſtitia pateſacta clareſcat, & iniquitas victa ſuccumbat. Tuam ergo omnipotentiam, Domine, ſupplices deprecamur, & mente deuota, fideliter imploramus, vt ſicut olim ſupra memorati pueri, de ſuccenſa fornace illæſi, tua ſunt dextra liberati; ita, quicunque innocens de hoc crimine, vnde nunc iudicium agitur, in hoc ferrum igne candens, manum miſerit, ſanam inde atque illæſam, tua adiutus inuicta potentia, reducat, nec habeat ignis virtutem lædendi in eius corpore, quem de conſenſu huius facinoris conſcientia non accuſat in mente. Ita etiam dominator Domine, quicunque culpabilis, incraſſante diabolo, cor habens induratum, Maieſtatem tuam tentare, & male ſibi conſcius, hoc ferrum, ad tui iudicii examinationem paratum, manu ſua attingere præſumſerit, aut per aliqua maleficia, vel herbas diabolicas, ſe tueri, & crimen ſuum celare, fidemque credentium illudere tentauerit, tua, Domine, quæſumus, inuicta veritas, per virtutem ſanctæ crucis tuæ, quam adponimus, hoc totum euacuet, & manifeſto vſtionis ſigno, occulti facinoris crimen detegat, vt reus hic per pœnitentiam correctus, in futuri iudicii tui examine a culpa inueniatur penitus abſolutus, per Dominum &c.*

Poſtea communicet eum Sacerdos his verbis:

INterdico tibi, o homo, coram omnibus adſtantibus, per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & per tremendum diem iudicii, per myſterium

ſterium baptismatis, per venerationem omnium ſanctorum, vt, ſi de hac re culpabilis es, aut feciſti, aut ſciuiſti, aut baiulaſti, aut conſenſiſti, aut propter actam culpam denominatam, ſciens, factoribus iuuiſti, vt Eccleſiam non introeas, Chriſtianæ ſocietati non miſcearis, ſi reatum nolueris confiteri admiſſum, antequam iudicio examineris publico.

Tunc interrogetur ſceleratus a Sacerdote his verbis.

FRater, es iuſtus ab hoc crimine, de quo accuſaris? Reſp. *iuſtus ſum. Interrogetur: Mundus?* Reſp. *mundus ſum.*

Tandem accuſatus accipiat ferrum ignitum, hæc verba ſequentia dicendo.

PEr illud corpus Domini noſtri Iesv Christi, *quod hodie ſumſi, non confidens in vllum maleficium, nec in virtutibus herbarum, accipio hoc ferrum.*

§. XVII.

Euentus iudicii, exempla varia.

FVit hæc ferri conſecratio, & deſignatio ritus, quo vſi ſunt Sacerdotes, in iudicio. Nunc, quo id factitatum fuerit, in vtramque partem, euentu, videamus. Nam fuere omnino, qui adtrectato, quin immo portato etiam ferro, iuſtificati ſunt; fuere, qui combuſtis manibus, facinoris conſcientiam prodebant; ſed fuere etiam, qui, aut examen iſtud defugerent, aut ſimulata innocentia, fraude, & ſe contaminarent, & deluderent iudices; ſingulorum exempla adſcribemus. Sunt vero *(q.)* iſtiusmodi:

Paul Sacerdos, de villa *Duba*, impetiit, conuillanam ſuam, vxorem *Lodmer*, dicens, quod, cum ancillam quandam vendiderat, illa nondum precium perſoluit. Quoniam eadem ancilla, inſtinctu eiusdem viduæ, res ipſius ſubripiens, aufugerit: cuius facti cum præfata vidua ſe ignaram eſſe contendens; *(r.) Curialis (s.) Comes* de *Zounuk*, nomine *Vitalis*, de ancilla & rebus ſubreptis de *Paulo* Sacerdote, valentibus quatuor marcas, & quatuor ponda argenti, diſcutiens per priſtaldum *Numhiz* de villa *Chumburd*, miſit ad examen ferri candentis *Varadinum*, vbi homo *Pauli* Sacerdotis, portato ferro, iuſtificatus eſt. *(t.)*

Anno Dominicæ incarnationis, *Milleſimo Ducenteſimo, Decimo Septimo*, in ſeptimana: *Factus eſt:* Iobagio *Beli* venit *Váradinum*, probaturus ſororem ſuam iudicio candentis ferri, non eſſe meretricem, & ſigillata manu, exſpectauit, vsque *diem (u.) Veneris* aduerſarios ſuos,

q.) Exſcribimus ea, vti laudato libro, exhibentur.

r.) Legendum: *contenderet.*

s.) Erant *Curiales Comites*, aulæ præfecti, *Iſpán* Hungaris, iam & *Tiſztartó*, & latine: *Prouiſor*, dicti.

t.) In *Ritu Explorandæ Veritatis.* lit. A. 3. Coniicias hinc, vti in *Iudiciis Duelli*, pugiles; ita heic ſubſtitutos non raro fuiſſe baiulos, qui, aliena freti fide, periculum experiundæ veritatis facerent.

u.) Ergo, die *Veneris*, iudicii iſtud genus celebrari ſolebat, tamquam memoria perpeſſionum Seruatoris, inſigni.

ſuos, ſcilicet, raptorem ſororis ſuæ, nomine *Nicolaum*, & Paralimphum *(v.)* videlicet *Karáchinum* alium, & alios ſponſi ſodales, videlicet, *Tecam*, *Muchoriam*, *Vrbanum Porcan*, *Petu*, *Koch*, *Michedeum*, *Iacob*, *Michal*, *Nican*; ſed aduerſarii eius prænominati, in prædicto termino, non venerunt. Iudex huius cauſæ *Teca* Vicearchidiaconus, Priſtaldus *Hoth. (x.)*

Merth, comes Theotonicorum, litigauit contra vniuerſos villanos *Sudan*, pro ſex marcis, a ſeruitrice ſua, per ipſos violenter ablatis, iudice *Bedech*, curiali comite comitis *Martini*, Priſtaldo *Fachia*. homo itaque *Merth*, *Varadini* combuſtus eſt. *(y.)*

Ismaelitæ de *Nyr*, *Iliaz* & *Pentek*, coadiuuantibus aliis, impeciere Iubagiones *Martini* comitis de villa *Vámus* de latrocinio, ſcilicet *Egud*, *Botyka*, *Zobotha*, *Karaſun*, *Torka*, *Zekus*, *Ioacyn*, *Tukay*, *Iroslou*, *Iacobum*, & item iobagiones monaſterii de *Taplucia*, pertinentis ad genus *Mizidaczii* de eadem villa. Quorum nomina ſunt hæc. *Benedic*, *Nunige*, *Zobozlo*, *Borathe*, *Henuc*, *Luſutha*, *Zamacziomut*, *Buchi*, *Tomas*. pro iis omnibus, *Egud*, & *Benedictus*, pro ſe *ipſis & aliis*, portato ferro, iuſtificati ſunt. Iudice *Bank*, Priſtaldo *Bola (z.)*.

Et quis conſectetur infinita exempla alia. quæ, tametſi *Varadini* edita ſunt; eodem tamen, & ritu, & euentu, qui obtinebat Piſonii, accidere: vt non ab re, heic a nobis commemorentur.

§. XVIII.

Eius iudicii origo, vnde manarit?

AT enim, vnde inſolens hic ritus, exigendæ veritatis, ad *Hungaros* noſtros, promanauit? de gentibus namque peregrinis, haud quidquam disquirimus. Sunt, qui credant, illatum ex *Scythia* eſſe, ſub ipſa demigrationis Hungarorum initia, vbi hodieque, ſimilis propemodum ritus, adhibeatur, ſi quid rei dubiæ ſit diſputandum apud iudices. Diſerte editor laudati libri *(a.)* *Placet quibusdam*, inquit, *maiores noſtros, hoc examinis genus a ſuis maioribus accepiſſe. Nam dicitur apud illos Hungaros, quos adhuc Scythia vetus, noſtrorum maiorum ſedes, alit, etiam hodie, in tribunali, dum iudicia exercentur, in caldario, ſubiecto igne, plumbum feruere: & in plumbum illud, manus ſuas illos ingerere, quorum ſermo in dubium vocatur: vt hac ratione, ſermonis exploraretur veritas. Illos itaque, qui amantes fuere veritatis, manus ſuas, ex illo plumbo, citra omnem offenſionem educere, non ſecus, atque ex aqua tepida; eos vero, qui antepoſuiſſent vanitatem veritati, cum ſuæ manus periculo.* Hæc ille; ſed ex aliorum ſententia. Non diſquiro, ſitne hic ritus apud *Hungarorum*, in Scythia, conſobrinos, adhuc ſuperſtes; induci profecto nequeo, vt credam,

an ex Scythia?

v.) Lege *Paranymphum.*

x.) Ibidem lit. B. 2.

y.) Loco nunc cit. lit. B. 3.

z.) Ibidem, littera B. 3. parte auerſa.

a.) Præfatione p. a. 3.

dam, *Ethnicum* ritum adoptauiſſe *S. Stephanum*, acerrimum abrogatorem nefandi Scythiſmi: niſi forte in eam coniecturam venias; retento ferro candenti, cerimonias precesque diuiniores additas. Mitius, laudatus nunc editor ſentit, dum, *Mihi*, inquit, *aliunde, hic mos explorandæ veritatis deſumtus videtur: nimirum, ex illo ritu Iudaico, quo mulier ea, quæ in ſuſpicionem adulterii veniſſet, explorabatur.* Non eſt opus, diuinam legem recognoſcere ſcrupuloſius. Legitur ea apud *Moſen, (b.)* fuſe non minus, quam cum horrore. Enim vero, ab aliis gentibus, hic mos, ad *Hungaros* defluxit, iam tum, iſto vtentibus inſtituto, cum a Sacris Chriſtianis, alieni erant, ciues noſtri. Norunt antiquitatis eccleſiaſticæ periti, vix vllam gentem in Europa fuiſſe, quæ hunc ritum non ſibi feciſſet peculiarem. Quinimmo, *duelli* quoque; *feruentis aquæ; iuris iurandi*, cum vſu Cœnæ Dominicæ coniuncti, cerimonia, in eundem hunc finem, paſſim, a populis adhibebatur: id quod *Iudicia Dei (c.)* adpellabant. Nobis iam ſufficit, prærogatiuam hanc, ſi quæ tamen eſt, *Eccleſiæ Piſonienſi*, & cum ea, vrbi toti, adſeruiſſe.

vel Iudaismo:

auctoris ſententia.

b.) Numerorum Cap. v. commate 12. ad finem.

c.) Vide, *L'Hiſtoire de l'Egliſe Gallicane, dediet á Nos Seigneurs du Clergé, Par le* P. IAQVES LONQVEVAL. Tomo IV. Diſcurſu Præliminari.



CA-

CAPVT VI.

De HODIERNO VRBIS PISONIENSIS HABITV.



Vltimum iſtud ſupereſt, vt vrbem, quam hucusque, per varias temporum viciſſitudines, & prærogatiuarum acceſſiones, ſpectauimus; nunc propius contemplemur: &, cum interiores, tum exteriores eius opportunitates, plane explicemus. Neque enim minus iſtis rebus excellit *Piſonium*, quam, quas vidimus *hactenus*. Itaque, fas erit, *ad eum modum* diſpertiri commentationem, vt, primo, Vrbem ipſam; Ciues deinde, atque Magiſtratus; denique, circumſitum agrum, ſollicita cura ſtudioque, deſignemus.

ARTICVLVS I.

De *Situ, atque Aedificiis Sacris Vrbis Piſonienſis.*

SYNOPSIS.

PISONII *ſitus: eius amœnitates: cum ſalubritate aeris: & aquæ: ſoli item, vbertate, coniunctæ: opportunitates reliquæ: vrbis forma.* §. I.

Sacra ædificia: S. Martini Baſilica, *qua ſit mole: ſubſtructionum ratio: triplex ſacrarium: ſummum altare: ſanctuario inædificata monumenta.* §. II.

Præcipuum in his hucusque fuit: S. Iohannis Eleemoſynarii *conditorium: eius inſcriptio:* Ujlakii *alterum: tertium,* Martini Peteö: *Quartum,* Nicolai Pálffy: *vltimum: honorarium* Archiepiſcoporum *monumentum.* §. III.

Templi aditus geminus: turris habitus: Cœmeterium: portæ huc ducentes. §. IV.

Aedis conditor quis? an S. Ladislaus: *tanti operis occaſio: ad* S. Stephanum *referunt ædis origines alii: auctoris ſententia.* §. V.

Sacellum S. Iohannis Eleemoſynarii, *nuper veteri ædi, a* Principe Eſzterházio, *adſtructum: eius magnificus habitus: ara, ſuſtentando S. Iohanni Eleemoſynario, inſtructa: loculus reliquiarum: S. Iohannis Eleemoſynarii corpus, ſacello illatum: rei geſtæ ordo & magnificentia.* §. VI.

Templum Franciſcanorum: *eius ætas, & conditor:* Capella *mortuorum, priſci templi reliquiæ:* Ladislaus Cumanus, *nequiuit ædem nouam conſummare: dedicationis diploma, a* Lodomerio, *Archiepiſcopo Strigonienſi perſcriptum: habitus internus templi hodierni:* capella *S. Sebaſtiani.* §. VII.

Cœnobii moles: & partitio: opportunitates: præcipua templi celebritas. §. VIII.

S. Claræ *odeum: fuit olim* Ciſtercienſium *ordinis: quando* S. Claræ *monialibus ceſſerit? his diffugientibus, in ptochodocheum vertitur: fit ſororum* Dominicanarum, *vltimum refugium.* §. IX.

Reliquiæ B. Margaritæ *huc illatæ, deſcribuntur.* §. X.

Regum conatus, de B. Margarita, *inter diuos referenda.* §. XI.

Laudes B. Margaritæ: *Szegedii, in eam, carmen.* §. XII.

Fatiſcens vetuſtate cœnobium, Pázmány *inſtaurare occipit: conſummat* Loſſius: *templum: turris: cœnobium: moniales; quorum beneficio profecerint? earum poſſeſſiones.* §. XIII.

S. Vrſulæ *Sorores: cœnobii ſitus: ædes ſacræ: turris: cœnobium.* §. XIV.

Monſtri, hic emortui, hiſtoria. §. XV.

Collegium Societatis Iesv: *eius conditor: forma & poſitio: primi conditores:* Gymnaſium: *templi ſitus: & interiora.* §. XVI.

Sacella vrbis minora: S. Ladislai, *in prætorio Archiepiſcopi:* S. Catharinæ, *in vico Michaelis:* Corporis Chriſti, *in longo vico.* §. XVII.

Domus Sacerdotum: prætorium Archiepiſcopale: *eius ſitus, & opportunitates: principis* Emerici *in inſtaurando, magnificentia:* S. Ioannis Nepomuceni *Statua: areæ, in qua poſita eſt, amœnitas: pietatis, quæ hic eduntur, ſignificationes: prætorii habitus: quando in Archiepiſcoporum venerit poteſtatem.* §. XVIII.

Vicus Sacerdotum: *Præpoſiti ædes:* Canonicorum *domicilia: vrbica parochia.* §. XIX.

Collegium Ieſuitarum *ſuperius: a* Pázmáno *fundatum: erga id, Cæſaris liberalitas: officina eius pharmaceutica, qualem habeat* Mumiam. §. XX.

S. Emerici *ſeminarium: ab* Emerico Loſſio, *inſtitutum: clericorum, qui iſthic educantur, occupatio.* §. XXI.

Domus Paullinorum *: cui in acceptis ferenda: annalium Eremiticorum verbis, docetur: lites ob domus priuilegia, cum vrbicis magiſtratibus: lex ideo lata: ædificii ratio.* §. XXII.

Aedes, in ſuburbio, ſacræ: priſcæ: hodiernæ Fratrum Miſericordiæ: *inſtituti auctores: templi: turris: & cœnobii habitus: officina pharmaceutica: hortus: emortualis ædicula: & cœmeterium.* §. XXIII.

Patres Capucini: *ſacra eorum ædes: cœnobium: hortus.* §. XXIV.

Ordo SS. Trinitatis: *quando, & cuius patrocinio ad vrbem acceſſit: viridarium: donatum ciuitate Hungarica: templi hiſtoria: iaciuntur eius fundamenta: inauguratur, & cœnobium ædificari incipit: quorum liberalitate profecerit.* §. XXV.

Ordo Crucigerorum Hoſpitalariorum, *cum rubea ſtella: quando regnum ſubit: cuius potiſſimum patrocinio: eorum cœnobium: inſtituta: lis cum magiſtratibus.* §. XXVI.

Xenodochium S. Ladislai: *eius habitus: adminiſtratio, penes quos?* S. Ladislai *ſacellum, an ſit fundatoris indicium? Noſodochium, pro ſuburbiorum porta: qui eo ſoleant accipi: eſt ei ſacellum* Aſſumtioni B. V. Mariæ *dedicatum.* §. XXVII.

Cœmeteria ſuburbana, S. Laurentii: S. Michaelis: Oratorium A. C. *ciuium, cum cœmeterio: cœmeteria extra ſuburbia:* S. Iohannis: S. Andreæ: columnæ *per ſuburbia* Sacræ: *SS. Trinitatis: B. V. Mariæ: S. Ioſephi: S. Floriani.* XXVIII.

§. I.



NSedit Pisonivm, ſeptentrionali *Danubii* latere, poſitione molliter decliui, & a collium vitiferorum radicibus, qui ab aquilone adſurgunt, vsque ad amnem, paſſus bis mille, & amplius, in meridiem, porrecta. Occaſum, arx definit, monti impoſita prærupto, qua Danubium deſpicit; ſed, qua in ſeptentriones recedit, collibus connexo, vite obſitis. Quod ad orientem ſolem obiacet, in planitiem, ſecundo *Danubio*, & pone Carpathi exordia, explica- Poſonii *ſitus*:

tur, amœnam eam, & frequentibus oppidis vicisque distinctam. Ad eandem plagam, intra *Danubii* alueos, insula diffunditur *Cituorum*. quam Hungari, *Csallóköz*, Germani, *Die Schütt*, adpellant. Itaque, nihil situ hoc, animo concipi potest iucundius, commodius nihil. Quidquid enim, siue a cælo, siue a solo, exspectari potest opportunitatis, liberaliter id, natura parens, vrbi nostræ indulsit. Aere vigescit salubri, cum ob præterfluentis *Danubii* molem, vehentem, cum aquis, auram alienam a vitio; tum, ob sinum, pulchre adolescentis *Carpathi*. quo vrbs, quasi amplexu quodam, circumcluditur. Hinc vero, aquilones eam adflant, eo salubriores, quod montium obiectu, repercussi, multum remittunt de vehementia. Vt taceamus, concauo hoc positu, soles vernos, æstiuos, atque auctumnales, egregie contemperari. Nam, vere quidem, quidquid vaporum tellus niue grauidata, exhalat, mature id dissipatur; mitigantur æstate, venti frigidi; auctumno denique, fouetur aura, ex inclinantis anni ingenio, detepescens. Id vero, quantum habeat momenti, ad corporum salubritatem, nemo non videt, nisi forte, qui in antro Caci, consenuerit. Præterea, aquæ ad potandum idoneæ, *vis est vbique* inexhausta. Non est opus *Danubium aduocare*; *sunt* in vrbe putei, extra modum vbere, frigido & salutari latice scatentes, sunt & per collium deuexa, atque conualles, fonticuli perenne dimanantes. Ex his instructi aquæductus, tantum, & priuatis coenobiorum, & publicis silanis, aquæ suffundunt, quantum, cum ad ornandam vrbem, tum ad aquationem, & vsus reliquos, sufficit. Sed, nec soli benignitatem desideraris. Colles, qui vrbem ab occidente & septentrione, circumeunt, vti ludentibus varie lateribus, commissi sunt; ita, perpetua & continenti vinearum serie, insidentur. Ergo, amœnus hinc vrbi obtutus, prouentus autem, nisi anni contrairerit malignitas, vix vnquam satis æstimandus: si esset, vindemiæ, cum fœnore, quod erat olim, vendendæ occasio. Reliquum, *in continenti* rus, agris frumentariis, pabulis, & late porrectis pratis, luxuriat. At, quod intra *Danubii* diuertigia, per insulas spargitur, partim pomariis consitum, partim fœniseciis idoneum est: si vero siluescit, quod fit in alluuionibus, non lignationi modo, sed venatibus etiam; quemadmodum piscationi flumen; opportunitatem ministrat. Paucis: quidquid *Tiburi*, & *Tarento*, Horativs *(a.)* tribuit, id de *Pisonio*, fas est ceciniſſe:

Ister terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet: vbi non Hymetto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca Venafro:
Ver vbi longum, tepidasque præbet
Iuppiter brumas: & apricus Aulon,
Fertilis Baccho, minimum Falernis,
Inuidet vuis.

eius amœnitates:

eum salubritate aeris:

& aquæ:

soli item, vbertate, coniunctæ:

opportunitates reliquæ:

Enim vero, quod *Hymettus*, Atticis; Tarento, *Aulon*, montes amœni; atque herbis ille, hic vite, vberes, fuere; id nobis sunt, molles *Carpathi*, pone vrbem, exortus. Neque deest, quod *Venafri*, Campaniæ oppidi, baccis oleo tumentibus, opponamus, in hac *Pomonæ*, qua *Pisonium* honestauit, vbertate. Profecto, non male lusit, qui *Posonium*, conuersis litterarum elementis, *Opsonium (b.)* dixit, ob earum rerum copiam, quæ sunt vitæ, cum commoditate tolerandæ, necessariæ. Ceterum, vrbis ambitus, quadrum videtur referre, sed inæquale illud, & aquilonari angulo, repressum.

vrbis forma.

§. II.

Sacra ædificia.

VRbem ingressis, curarum præcipua est, vt sacras ædes inuisamus. Princeps in his, suo quodam iure habetur, S. Martini *Basilica.* Vetus est moles, atque solidæ non minus, quam vastæ *substructionis.* Solet ea, inter vrbis prodigia referri: quippe quæ, tanta porrigatur *vastitate, quam, ne vrbs quidem ipsa capiat.* quando enim nauis templi, cum *sanctuario*, longa & excelsa mole, in orientem protenditur, pars ædis postica, cui turris insedit, vltra vrbis mœnia, in occasum excedit. Id vero, consilione factum sit, an casu? non facile possis adfirmare: tametsi, e mœnium ratione, istud videatur adparere: nam ita connectuntur templi lateribus, vt opus prodant, multo, quam est sacræ ædis, recentius; saltem, ante fuisse templum conditum, quam vrbs muris, hac ora incingeretur, obuiam fiat, rem adtentius contemplantibus. Instructum est, per singulos fere parietes, lapide ad regulam secto: fornicem columnæ sustentant, gemino ordine positæ. Harum, octo numerauimus, vastas, extra modum, & forma ogdogona surrectas. Varie his innexa concameratio, sublime adtollitur, habetque permultum vetustæ elegantiæ. Columnis fere singulis, altaria adhæserunt. quæ, vti *Sanctorum* sunt nominibus dedicata; ita faciendis mysteriis seruiunt, habentque admensa sibi beneficia. Qua altius adtolluntur columnæ, suspensis labaris ornantur, quæ sunt magnorum, bello, aut pace, virorum titulis, insignita. Accepit hoc enim a maioribus, gens *Hungarica*, vt eorum, qui pro rege, & patria, præclari quidpiam facinoris ediderunt, memoriam, suspensis intra ædes sacras, vexillis, propagaret ad posteros. Occidentalis templi regio, quam vltra mœnia protendi meminimus, triplex habet sacrarium. quorum medium, *Parochi* est, &, qui cum eo rem sacram faciunt; alterum, *Venerabilis Capituli*, vbi id sacras vestes sumere; tertium, vbi coire in concilium, & de rebus grauissimis, disputare solet decernereque. Isthic, diadema deponitur, cum id e conditorio expromptum, deducitur in vrbem, ad regem, vel reginam

S. Martini *Basilica: qua sit mole:*

Substructionum ratio:

triplex sacrarium:

a.) Carminum Libro II. Oda VI. sequimur lectionem Bentlei. Habemus vero consentientes, qui & *Tarentum* viderunt, & nostræ hanc vrbis positionem.

b.) Vtroque modo scribimus: *Obsonium*, & *Opsonium*.

nam, inaugurandos. Sed, ipſi etiam Reges, hic ſumunt ornamenta, antequam prodeant ad ſceptra capeſſenda. quod, quid ſit ritus, ſuo loco *(c.)* cum cura, adnotauimus. Hinc egredientibus, altare ſummum, in obtutu eſt, vetuſti *(d.)* & turriculati operis, ne lucem, quam oriens adfundit, denſi lemniſci intercipiant. Latus ſanctuarii vtrumque, cippi ornant, & ſuſpenſa, ſummorum virorum, inſignia. Adſpectauimus in his, dextro quidem latere, *Pálffyorum;* ſiniſtro, *Eſzterházíorum*, & *Draskouithiorum.* Tropæa diceres, ita, omni bellico inſtrumento, & hoſtium manubiis, arte factis ſtatuaria, circumdata ſunt. Exhiberemus ſigillatim ſingula, niſi id copia vetaret. Ea tamen monumenta, prætereunda haud ſunt, quorum commemoratio, adfert momenti quidpiam, ad hiſtoriam.

ſummum altare:

ſanctuario inædificata monumenta.

§. III.

Præcipuum in his hucuſque fuit:

PRimas ſibi hucuſque depoſcebat, S. IOHANNIS ELEEMOSINARII conditorium. cuius memoriam marmor ſuffixum mauſoleo, exhibet, *quod P. PÁZMÁNY*, inſigni liberalitate, a ſiniſtris ſummi altaris, inſtruxerat. *Inſcriptio, nuper a nobis lecta*, ſic habet:

S. Ioannis Eleemoſinarii *conditorium:*

eius inſcriptio:

S. IOHANNIS ELEEMOSINARII, EPISCOPI ALEXANDRINI, CORPVS INTEGRVM, REGI MATTHIAE CORVINO, TRANSMISSVM FVIT CONSTANTINOPOLI, A CAESARE TVRCARVM. IN CAPELLA REGIA BVDAE ADSERVATVM, MIRACVLIS CORRVSCAVIT. AEVI ILLIVS SCRIPTOR, PELBARTVS *(e.)*, IN POMOERIO, ID TESTATVR, ET POST HVNC SVRIVS, XXIII. FEBRVARII. MANVSCRIPTI LIBRI, DE CLADE BVDENSI, ALTER LVPOCLAVAE IN SCLAVONIA, ALTER ROMAE IN BIBLIOTHECA AVGVSTINIANORVM, RECENSENT, QVOMODO AMISSA BVDA, PER EREMITAS ORDINIS P. PAVLI, VENERABILE CORPVS, IN VALLEM TALI, PROPE POSONIVM TRANSLATVM. VETVS SCRIPTVM, IN CAPITVLO POSONIENSI ADSERVATVM, INTEGRA FIDE REFERT, ANNO MDXXX. DIE PENTECOSTES, IVSSV IMPERATORIS FERDINANDI I. PER COMITEM POSONIENSEM IOHANNEM SZALAI, CORPVS S. IOHANNIS, VNA CVM SACRIS EIVS CLENODIIS, INGENTIS PRETII, CAPITVLO POSONIENSI, ADSIGNATVM FVISSE. HOC, ANNO MDCXXXII. EMINENTISS. ET REVERENDISS. CARDINALIS ARCHIEPISCOPVS PETRVS PÁZMÁNY, EX

c.) Superiori Cap. v. Articulo i. ſæpius.

d.) Dum hæc, curis poſtremis, anno MDCCXXXIV. recognoſcimus, noua, idem altare, forma, S. MARTINVM equitem, referente, inſtrui cœpit; DONNERO, quem mox laudabimus, artifice.

e.) Fuit PELBARTVS, Temeſuarienſis, Ordinis S. Franciſci, inſignis, & concionator, & ſcriptor.

EX HVMILI LOCO CONSERVATORIO, SACRVM CORPVS, ARGENTEO LOCVLO DOTATVM, HOC IN MAVSOLAEO REPOSVIT, AC LVCERNA PERPETVA ORNAVIT. AD DEI GLORIAM, IN SANCTIS AVGENDAM, ET PATROCINIVM S. IOHANNIS IMPETRANDVM.

Hæc illic legas. quæ auctor Magnæ Hungariæ, ſe ex *Bollando*, ad diem XXIII. Ianuarii; *Bollandum* vero, ex hiſtoria translationis, anno MDCXXXII. a GEORGIO DRASCOVITZIO, Epiſcopo Quinqueeccleſienſi conſcripta, hauſiſſe memorat: nos, marmor expreſſimus. Alterum monimentum, huic, aduerſo latere, oppoſitum, FRANCISCI UJLAKII eſt, *Epiſcopi Agrienſis*, & Locumtenentis *(f.)* per Hungariam, regii. Toto is corpore, ſacram veſtem indutus, redimitusque tiara, rubro e marmore, exſculptus eſt, cum triplici poemate. Bina, coronis inſcripta, conſpeximus. quarum ſiniſtra, iſtud diſtichon refert:

Ujlakii *alterum:*

Mille & quingentas, & quinque ſequentia meſſes,
Luſtra abiere decem, cum ſuper aſtra feror.

Dextra, contra ea, *hoc habet:*

Poſt actæ vitæ bis ſeptem luſtra quieſco,
Februus exoriens vltima fata tulit.

Verſus reliqui, media inter coronas tabula, leguntur ad hunc modum:

Hic poſuit cineres, Dominus Franciſcus ab Ujlak,
Effigiem cuius, nobile marmor habet.
Stemmatis hic radios, altus virtutibus, vixit
Ingenii clarus dexteritate ſui.
Vir grauis & conſtans, obſeruantiſſimus æqui,
Præditus & rerum cognitione fuit.
Magnus erat quondam, Ludouici regis in aula
Maior Fernandi tempore regis erat
Namque per Hungariam fuit hic a rege ſecundus,
Pauerat atque Tuas Agria præſul oues.
Hæc poſuit monumenta nepos Wolffgangus ab Ujlak,
Ne caderet virtus, digna perenne cani.

tertium Martini Pete:

Obiacet ei, aliud marmor, eodem, quo conditorium S. IOHANNIS ELEEMOSINARII fuiſſe diximus, pariete, memoriæ MARTINI PETE, Coloceſenſis præſulis, ſubſtructum. Oſtendit viri ſimulacrum ſcite factum, ornatumque ritu epiſcoporum. ſupra caput hæc vidimus:

NON EST VOLENTIS, NEQVE CVRRENTIS
SED MISERENTIS DEI.

Inferne, pauca hæc leguntur:

f.) Vide ISTVANFFYVM Lib. XIX. p. 355, 23.

EPITAPHIVM
ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. DNI. MARTINI PETE DE HETES, ARCHIEPISCOPI COLOCSENSIS, EPISCOPI IAVRIENSIS, LOCVMTENENTIS HVNGARIAE.

Poſtea, hi verſus ſunt adſcripti, venuſti ſatis:

Vrna breuis claudit Martini Antiſtitis oſſa,
Famam & virtutes, claudere nulla poteſt.
Si genus & ſtirpem, & natalia ſtemmata quæris?
Claros Peteo e ſanguine iactat auos.
Iudicium ſpectas, Diuæque oracula mentis
Regia Rudolphi nomina iura dedit.
Inclyta Sacrarum virtutum inſignia poſces,
Mitra ſacra capiti, tradita quina fuit.
Num maiora petis? potuit quo maximus eſſet,
Exſul (g.) pro fidei & regis amore mori.

MORTVO VIENNAE, A. MDCV. DIE III. OCTOB. AETAT. LIII. FRATER EIVS LADISLAVS, S. C. R. M. CONSILIARIVS, POSVIT HAEC ANNO MDCVII.

Quartum Nicolai Pálffy. Quartum marmor, obiicit paries, huic, e diametro, oppoſitus. Refert id NICOLAI PÁLFFY effigiem, toto corpore cataphracto, ad viuum exciſam, cum ἐπιγραφῇ:

DOMINVS ADIVTOR MEVS.

Atque in coronide:

MORTVVS MVNDO, VT VIVAT DEO:

Ad ima pedum, epitaphium inſculptum eſt:

ILLVSTRI HEROI, NICOLAO PÁLFFY AB ERDŐD, PETRI FILIO, COMITI POSONIENSI ET COMAROMIENSI, LIBERO BARONI, IN VERESKŐ, ET STOMPHA, EQVITI AVRATO, REGII CVBICVLI, IN HVNGARIA MAGISTRO, RVDOLPHI II. IMPER. ROM. ET REGIS ETC. CONSILIARIO, ET CVBICVLARIO INTIMO, HVNGARIAE CIS-DANVBIVM, GENERALI, PRAESIDIORVM STRIGONIEN. COMAROM. UJVÁRIEN. POSONIEN. SVPREMO CAPITANEO. CVIVS, PAR GENERI, ET TITVLIS, VIRTVS, REM HVNGARICAM, DIFFICILLIMIS TEMPORIBVS, CVM OMNIVM ADMIRATIONE, ET GRATVLATIONE, CONSERVAVIT ET AMPLIFICAVIT. DIE XXIII. APRILIS, IPSO S. GEORGII PROFESTO, A. DNI. MDC. PIE DEFVNCTO, CVM VIXISSET ANNIS XLVII. M. VII. D. XIII. MARIA FVGGERA, KIRCHBERGAE ET WEIS-

g.) Exſilii huius, mortis item, & ſepulturæ hiſtoriam, legeſis apud ISTVANFFYVM Lib. XXXII. p. 827, 45. ſequ.

WEISSENHORNII BARONISSA, MARITO, DE REPVBLICA, DEQVE SE, OPTIME MERITO, CVM QVATVOR SVPERSTITIBVS LIBERIS, MOERENS POSVIT.

Hæc, erectum marmor habet. Lapis autem, qui cineres tegit, iſtud exhibet diſtichon, iam propemodum obtritum:

PÁLFFYVS HIC SITVS EST, SATIS EST, NAM CETERA NOVIT,
ORAQVE PANNONIAE, CHRISTIADVMQVE SOLVM.
ANNO DNI. MDC. *(h.)*.

Eadem hac crypta, vxorem quoque *Nicolai*, & filios duos, *Stephanum*, atque *Iohannem*, conditos eſſe, emortualis numus, quem inſerimus, teſtis eſt.



Vltimum, iſta templi regione, (nam illud *Chriſtiani Auguſti*, ſupra deſcripſimus,) monumentum honorarium eſt, nuper, ſeptem *Archiepiſcopis*, eleganti opere, excitatum. Tabulam obſeruauimus, eidem parieti, cui *Tabernaculum* adſtructum viſitur, ſub ipſa concamerationis teſtudine, iconibus præſulum Strigonienſium, decoro ordine, inſignitam. Summum eius, Seruatoris in crucem acti, ſimulacrum ornat, cum his verbis:

vltimum, honorarium Archiepiſcoporum *monumentum.*

FONS ET ORIGO BONORVM OMNIVM.

ſequitur poſtea:

DOMINVS DEVS VESTER DEDIT VOBIS REQVIEM.
Ioſ. I. 13.

His ſubſunt, *Antiſtitum*, qui vltimi ſedem ornarant Strigonienſem, & nomina, & ſimulacra, cingulotenus, opere, ſcitiſſime albicante expreſſa, hoc fere ordine:

PETRVS PÁZMÁNY.

EMERICVS LOSSY.	GEORGIVS LIPPAY.
GEORGIVS SZELEPTSÉNY.	GEORGIVS SZÉTSÉNY.
LEOPOLDVS S. R. E. CARDINALIS A KOLONITS.	CHRISTIANVS AVGVSTVS DVX SAXONIAE.

Sunt his plura, quæ *Sanctuarii*, & ſolum exornant, & parietes; ſed, quibus deſignandis, vix ſuffecerimus, in hac, quam propoſi-

h.) Deſcribit mortem PALFFY, idem ISTVANFFYVS, Lib. XXXII. initio, p. 747, 21. vbi, & laudes viri legas: atque noſtro hoc Tom. I. p. 61. ſequ.

posítam habemus, breuitate *(i.)*. Templo egredientibus, tabula se offert, parietibus vestibuli suffixa, quam quidem, sine iniuria, silere nequimus. Ostendit vero ALEXANDRI M. sepulchrum, cum poemate isthoc paranetico:

En ego, qui totum vici certamine mundum,
Magnus Alexander, victus & ipse simul.
Omnia, quæ fluido cernuntur in orbe potenti,
Imperio quondam subiacuere meo.
Limitibus nullis siquidem mea summa potestas,
Circumscripta fuit: nil tamen inde tuli.
Sed miser heic iaceo, non me mea gloria sæuis
Acquisita armis, neue tuentur opes.
Sternebam reges, mors me iam sternit amore,
Sceptrum confringens, & diadema meum.
Vermibus esca datus, fueram qui vermis in orbe.
Arida linquentis portat & ossa - - -
Inuentusque cauus bufo, & quæ plurima terra,
Monstra ferunt - - - - - -
Non mihi sufficiens mundus fuit vndique captus;
Nunc breuis asser habet, cui breuis orbis erat.
Omnia vt intereunt, sic transit gloria mundi,
Irus & est subito, qui modo Crœsus erat.
Magnus Alexander, toto appellatus in orbe,
Quis nunc sim & qualis, te tabula ista docet.
Vermibus absumtos nunc adspice corporis artus,
Atque meo exemplo, discе perenne mori.

Auctor, *Michael Veresmárty* fuit, *Abbas* in *Bátа*, & nostræ huius ædis, *Canonicus*. Fallor? annon reges, qui ad capessenda sceptra, *Basilicam* subeunt, fluxarum huius orbis rerum, admonitos, hac icone verbisque, voluerit?

§. IV.

Templi aditus gemini:

HAec, quæ vidimus, ornamenta, intra ædem sacram fuere. Gemino aditu instructa est, maiori altero, qui ad portam flumentaneam, altero minori, qui in plateam *Sacerdotum* prospicit. Vtrique, porticus præstruitur, monumentis, sed obsoletis fere, insignita. Posticam ædis partem, cui tria inesse diximus sacraria, turris insedit, solidi operis, sed fastigiata humilius, idque vetusto opere, & in cuneum desinente simplicem, atque imbrice intectum. quo, reliqua etiam moles, vestita est; si turriculam excipias, paucis retro annis, a *Matthia Mack*, Ecclesiæ Parocho, & *Canonico*, super sanctuario, collocatam. quæ tota bracteata est, habetque tintinnabulum, cuius pulsu, ad bene comprecandum his, excitantur ἀγγέλοι, qui in mortis sunt articulo. Sed, maior illa turris, vti ab imis fundamentis, e quadrato lapide, laxius educta est; ita, æra campana, vasta ea & sonora, suspensa gerit. Cœmeterium, quod ædem sacram circuit, angustius est, quam, siue pro ædis mole, siue pro vrbis copia. quod equidem inde euenisse puto, quia, tria olim templa, vrbi *Parochialia* fuere; cœmeteria autem plura, *S. Iohannis* alterum, alterum *S. Annæ* nominibus, extra vrbis pomœria, dedicata. Porta cœmeterio duplex, speciosior illa, quæ versus vicum *Weidritzianum:* quippe, laxis gradibus, ostio patente, celsa apside, & simulacro *(k.)* equitis *S. Martini* insignis; humilior, contra, quæ ad sacerdotum plateam ducit: tertiam enim, quæ pone mœnia, adaperitur, & angusto admodum tramite, accedentes transmittit, vix in censum vocaueris. *Terrenum, quod cœmeterio obtigit*, salebrosum est, & densis sepulchris, ad eum modum confertum, vt vix adpareat vestigium, quod non ostendat tumuli quidpiam. Nam, epitaphia quidem rariora conspexeris; tabulas autem emortuales, e marmore, quin & metallo factas, frequentes admodum, quas parietibus templi, vt durarent perennius, adstructas videas.

turris habitus:

Cœmeterium:

porta, huc ducentes.

§. V.

Aedis conditor quis?

COnditorem ædis, difficile est designare, quod & historia silet; neque adsunt diplomata, quorum fidem tuto sequeremur. Sunt, qui opus, S. LADISLAO in acceptis ferunt: *Iam anno circiter MXC. a. D. Ladislao rege, conditum perhibetur*, inquit, *Hungariæ Magnæ*, auctor. Non contrait temporis ratio; tunc enim rerum potiebatur LADISLAVS: immo, eundem illum annum, reportata de *Ruthenis*, præclara clementique victoria, insignem habuit. Sed enim, qua, seu occasione, seu beneficio, diuinitus accepto, opus id moliri cœperit, non est in procliui existimare. Si dandus coniecturæ sit locus, vrbis eam oppugnationem fuisse credo, qua SALOMONEM, Pisonii conclusum, ad saniora consilia, fratres, GEYSA & LADISLAVS, reductum cupiebant. Erat nobis eius mentio superius, *(l.)* singulari prodigio nobilitata, quo induci facile potuit LADISLAVS, vt templi hoc ædificium, *D. Martino* voueret, si obsidionis euentus, sicuti accidit postea, pace terminaretur. Et fuit omnino familiare D. LADISLAO,

an S. Ladislaus?

tanti operis occasio:

i.) Optandum esset, vti doctorum aliquis, historiam *Basilicæ* huius, & quibus referta est, antiquitates, iusto commentario expromeret; designaret aras; adderet diplomata beneficiorum; Parochorum item nomina, & quæ sunt huius generis, reliqua. Quod eo fieri posset facilius, quia vetus MSCptum, possideri a non nemine, audiuimus, in quo res *Basilicæ*, a prima origine expromtæ, legantur: cuius tamen copiam, qui nobis fecisset, erat nemo.

k.) Opus est, cura & studio, *Iohannis Christophori Burgstalleri* senioris, tunc *Consulis*, procuratum.

l.) Periodo Vrbis Poson. *Hungarica*, Cap. III. §. IV. pag. 110. sequ.

vt oſtenta, & inſolitos euentus, piis votis *(m.)* proſequeretur. Ita coniiciebamus, cum in re dubia, ab amico moneremur; prima ædis fundamenta, S. Stephano, tribui oportere: quippe qui, *D. Martini* numen, poſt *Cupæ*, Simigienſis ducis cædem, non vna baſilica honorarit. De *S. Monte Pannoniæ* palam conſtat omnibus. Ad eandem hanc eius pietatem, referendam eſſe, *Piſonienſem* quoque hanc ædem, quam, vrbe in dotem accepta, moliri cœperit. Si primus fuiſſet templi conditor S. Ladislavs, inquiunt illi, non quidem *D. Martino* ſed *Virgini Beatiſſimæ*, eam, ſuo quodam more, dedicauiſſet: potuiſſe tamen, cœptam, a *Stephano*, molem, conſummauiſſe *Ladislaum*; eo quod vius alteriuſue anni operis, perfici haud potuerit: maxime, poſt pientiſſimi regis fata, vbi ſusque deque ferebantur omnia; dum *Ladislaus*, pacatum, ſuis virtutibus, regnum, Colomanno, ex fratre *Geyſa*, nepoti, gubernandum relinqueret. Fateor, multum veriſimilitudinis ineſſe, coniecturæ huic. Nam, vt ſacro ædificio, vacuam poſt ſe vrbem reliquiſſe, S. Stephanvm, credamus, vix caruerit iniuria; ſed, vt vltimam quoque, operi, ſi quod exorſus eſt, manum *potuerit imponere*, in tanta, ſacratiſſimarum occupationum, multitudine, *vaſtitate item ædificii*, non facile exiſtimaueris. Ergo, potuit, adfectum opus, ſub *Aba*, *Petro*, *Andrea Bela*, & *Salomone*, regibus, perpetuis bellis diſtentis, perſtitiſſe, cui poſtea inſigni pietate ductus, S. Ladislavs, colophonem impoſuerit. Quid vero de Salomone, ſedem *Piſonii* habente, ſtatuemus? Fas eſt opinari, ne eum quidem potuiſſe committere, quin manum operi admoueret, quantum eius, per iniurias fortunæ, quibus exagitabatur, licuit. Quomodocunque abitremur, *(n.)* vetus eſt moles, &, quæ ſub initia Colomanni, magna iam in celebritate fuit; ſed grandior etiam, quam vt tunc, regis vnius ætate, potuiſſet conſummari.

ad S. Stephanum *referunt adhuc origines alii:*

auctoris ſententia.

§. VI.

VEtuſtæ ædi, nouum, dum hæc commentamur, ornamentum adiectum eſt, Emerici *e Comitibus Eſzterházy de Galantha*, *Archiepiſcopi Strigonienſis*, *& S. R. I. Principis*, inſigni prorſus liberalitate. Sacellum, nempe, poſuit, aquilonari illo angulo, qui eſt inter chorum, & nauem Eccleſiæ, ita inædificatum, vt, cum moles, extus, templi parietibus, cohæſerit, pertuſo intus muro, oſtium habeat, laxum illud, & valuis, e ferreis clathris, magna factis arte, præcluſum. Mirati ſumus, in eo compendio, tantum, & elegantiæ, & venerationis, cumulari potuiſſe. Adſurgit propemodum in orbem, parietibus, multo marmore, quin & auro, ad regulas architectonices recentioris, inſtructis. Summa ſacelli, apſis, celſius concamerata, claudit. Huic, turricula inſedit, affabre facta, & lu-

Sacellum S. Iohannis Eleemoſinarii, *nuper, veteri ædi, a Principe* Eſzterházio, *adſtructum:*

eius magnificus habitus:

m.) Vide Bonfinivm, Decade II. Lib. III. p. 215. ſequ.

n) Vtinam ne inuideant publico, viri boni, manu exarata commentaria illa, quorum iam meminimus, & quibus perſcriptæ feruntur *Baſilicæ* origines.

& lucem circumquaque adfundens. Itaque, luculenta intus ſunt omnia. nam, & parietum extimior, feneſtram habet, pro molis portione, laxam pellucidamque. In primis, animum oculosque aduertit, ara, ſuſtentando corpori S. Iohannis Eleemosynarii, magno ſumtu, nitore autem longe exquiſitiſſimo, ſubſtructa. Vt ab imis fundamentis, e patrio marmore, *Pario* tamen multis modis nobiliore, ad menſæ modum, adſurrexit, præter diuiniſſima, *Paſſionis*, & ſepulturæ *Dominicæ*, ſimulacra, quæ baſin reliquæ molis exornant; duos *angelos*, ſtaturæ, vltra humanam excelſæ, oſtentat. E candidiſſimo hi marmore, arte *(o.)* conſummatiſſima facti, tumbam, cui ineſt S. Iohannes, molli adtrectatione, quaſi in aere eſſet, ſuſtentant. Tota ea, ex argento eſt, operis longe elaboratiſſimi. Latera ſic ſunt inſtructa, vt eductis, ſi vſus ferat, laminis argenteis, vitreus ſuperſit paries, per quem reliquiæ transparent. Quod vltra tumbam ſuperat, ornamenta occupant, facta ad augendam loci reuerentiam. In his, inſcriptiones obſeruauimus, quibus teſtatum fecit, ſacrarii conditor, qua deſtinatione, nouum hoc, *S. Iohanni*, mauſolæum excitarit. Et ea quidem, *quam pro limine*, ſiniſtro parieti, *inſtructum marmor* refert, *ad hunc modum habet:*

ara, ſuſtentando S. Iohanni Eleemoſynario, *inſtructa:*

loculus reliquiarum:

D. Iohannis,
Magni Alexandrini Patriarchae,
Eleemosynarii Maximi,
Lipsanis Sacris, ex Cypro, Byzantivm,
Inde Bvdam, isthinc in Vallem Marianam,
Ac demvm Posonivm, in Mavsolaevm Pázmánianvm,
Tandem, ex Mavsolaeo,
cvm locvlo priori argenteo reformato,
post secvlvm vnvm, isthvc translatis,
in perpetvvm obligationis svae
monvmentvm,
has aras dicat,
hanc aedem ponit.
D. XXVIII. Oct. A. C. MDCCXXXII.
Frater
Emericvs Eszterházy.

Super apſide, quæ aditum in ſacellum aperit, hæc legas:

Nvlli Sanctorvm;
Sed ipsi Deo Sanctorvm,
Qvamvis in memoriam Sanctorvm,
constitvimvs altaria.

S. Aug. L. XX. cont. Fauſt. Manich. C. XXI. Sec. IV. ſeu anno Chriſti 396.

Intra

o.) Inſtruxit, cum molem vniuerſam, tum in primis, ſtatuas, & S. Iohannis, tumbam, Georgivs Raphael Donner, Auſtriacus ſculptor, fuſorque, quo conſummatiorem vix vnquam vidit *Hungaria*; an vero pares habeat *Italia*, merito dubitamus.

Intra limen ſacelli ingreſſis, marmor calcandum eſt, emortuali ſubtus, EMERICI PRINCIPIS, cryptæ inductum. Opus ſimplex, & æqua, cum pauimento, ſuperficie, inſcriptionem, litteris, ex flauo ære, impreſſis, breuem eam, ſed dignam memoratu, referens:

SVB HOC
ADMIRANDAE COMMISERATIONIS
PRODIGIO,
DIVO IOHANNE ALEXANDRINO,
EGO, IN TE,
DEVS MEVS, MISERICORDIA MEA,
ASSISTENTE MIHI,
DVLCI MISERICORDIAE MATRE,
DORMIAM ET REQVIESCAM,
FRATER
EMERICVS.

Dextero, cum intraſti, latere, ingentis molis marmor, liuidi fere, & varie *illuſi coloris*, *parieti* inædificatum eſt, atque ad *eum* modum cauatum, vt, cum ſuperne *concham referat*, *infra* baſin habeat, ſtatuæ ferendæ, idoneam. Politiſſimum eſt opus, & vel ideo admirandum, quod, cum rudis erat lapis, *centenarios centum octoginta* ponderaret; elaboratus, eximiam parietis regionem veſtiat. Hic, EMERICI ſtatua, flexo poplite, vultu cernuo, & corporis habitu reliquo, ad pietatis ſignificationem compoſito, atque adtento ad S. IOHANNIS ELEEMOSYNARII aram, viſitur: prorſus ita facta, vt viuum crederes; niſi emortualia monumenta, quæ ſacrario inſunt, aliud loquerentur. Poſt tergum, repoſita in puluinari marmoreo, pedum, & mitra Archiepiſcopalis, iacent; vt ſint monimento, ne his quidem *inſignibus*, mortem depelli poſſe. quando verum eſt illud Poetæ: *(p.)*

Fatis agimur! credite fatis!
Non ſollicitæ poſſunt curæ
Mutare rati ſtamina fuſi.
Quidquid patimur mortale genus,
Quidquid facimus venit ex alto,
Seruatque ſua decreta colus
Lacheſis: dura reuoluta manu,
Omnia certo tramite vadunt:
Primusque dies, dedit extremum
Non illa nobis vertiſſe licet,
Quæ nexa ſuis currunt cauſſis.
It cuique ratus, prece non vlla
Mobilis ordo.

Illatum, nitidiſſimo ſacello, S. IOHUNNIS ELEEMOSYNARII corpus, tanta ſole-

p.) SENECAE, Oedipo, verſu 980.

ſolemnitate fuit, quantam, qui oculis non vſurpauere, vix animo ſunt concepturi. Dies XXVIII. Octobris, S.S. Apoſtolorum, *Simonis & Iudæ*, nominibus ſacer, pompæ illi deſtinatus erat. Vt is, ſereno cælo illuxit, confluere ad ædem *D. Martini*, ſummorum & imorum multitudo, cœpit, ſacrisque illic, quæ ad omnes aras fiebant, operari. Id, dum agitur, tribus opificum, ſuis ſub labaris ſingulæ, in ordines ſolitos abiere. Simul, *Diui* corpus, ritu ſacerrimo, ſublatum eſt, tubæ intus & tympana, cum ſymphoniacis modulationibus aliis, extus, ſcloporum, in arce, & circa vrbem, fragores tormentorum, frequentiſſimis diſploſionibus, intonuere. Corpus, nouo loculo iam ante repoſitum, ſacri viri geſtabant. Sequebantur e veſtigio, *Prælati*, ſacerdotum, & religioſorum ordines, nouæ item ſocietatis S. IOHANNIS, collegium. Hos, proceres, longa ſerie; inde, reliqua omnium ordinum frequentia, & quas diximus, opificum cohortes, prout quemque, ſeu pietas ſua, ſeu ducendæ pompæ ratio, inuitabat, comitabantur. Proceſſio fuit, longe magnificentiſſima, quodque per interualla locorum ſubſiſteret, vt memoriæ *D. Iohannis* litaretur eo liberalius, a hora diei matutina, in ſecundam vſque poſtmeridianam, protracta: dum *interim*, & *militaris cohors*, quæ intererat, & curules in arce, atque circum vrbem, machinæ, iterum, ac tertio, quartoque, euibrarentur. Deductum, ad eum modum circa vrbem, ſacrum cimelium; non minori pietatis ſignificatione, quam erat ſublatum, in ſacello, vti perpetuum illic conditorium haberet, repoſitum eſt. De his hactenus.

S. Iohannis Eleemoſynarii corpus, ſacello illatum:

rei geſtæ ordo, & magnificentia.

§. VII.

BAſilicæ D. MARTINI, ætate non minus, quam elegantia, templum FRANCISCANORVM ſuccedit, inter orientem & aquilonem, anguſta intermiſſa platea, verſus mœnia inſidens. Certiorem huic annum adſcribunt, hoc eſt, poſt CHRISTVM natum, MCCLXXX. quo id, a LADISLAO Cumano, poſitum excitatumque perhibent ſcriptores. Dicatum eſt B. VIRGINI MARIAE. De hac æde accipienda ſunt verba THVRÓCZII: *Ad B. M. Virginis ædem, quam* LADISLAVS IV. *iuſſu Romani Pontificis, anno Milleſimo, Ducenteſimo octuageſimo poſuit, magnum ordinis Seraphici Monaſterium ſtat.* Id ſi eſt, NICOLAVM III. eſſe oportuit, cuius pontificatum, in eundem annum, quo LADISLAVS regnum capeſſiuit, incidiſſe, ex PLATINA *(q.)* addiſcas. Iniit autem pontificatum, MCCLXXVIII. rebus humanis, triennio poſt, hoc eſt, eodem illo anno, exemtus, quem ædis natales inſignem fecerunt. Non inficiamur, has templi origines, quale nunc eſt. Vetuſtius tamen aliud, iam tunc exſtitiſſe, cum moles hæc primum cœperat ſubſtrui, *Capella Mortuorum*, aquilonari latere, ædi ſacræ hærescens, nos condocuit. Nempe, ædificium eſt, ducentis credide-

Templum Franciſcanorum:

eius ætas & conditor:

Capella mortuorum, priſci templi reliquiæ:

q.) De Vitis ac Geſtis Romanorum Pontificum, p. m. 518.

rim, annis, antiquius, quam LADISLAI Cumani opus. Coniecimus id, ex ſubſtructionum indole, ſolida, & ad morem Gothorum, e quadrato lapide, facta. Excelſa eſt concameratione, feneſtris, ab imo in altum, anguſto tramite, porrectis. Extus, columnæ denſius adſtructæ, parietes ſuſtentant. Longitudo, octodecim admodum paſſuum iam eſt. vnde coniiciebant *Patres* ipſi, *ſanctuarium* fuiſſe olim, maioris templi. Immo, adfirmatum nobis eſt, exſtare eius rei in veterrimis quibusdam ſchedis, mentionem, fuiſſeque primæuum templum illud longum, vniuerſim paſſus quadraginta. Atque eſt omnino, cur relationi ei adſentiamur. Nam BELAE IV. temporibus, cum vrbem euaſtabat OTTOCARVS, ſuum Patribus Minoritis, & templum fuiſſe, & cœnobium, inde conſtat, quod redacta, ad incitas, vrbe, exſpoliatisque partim, partim cæſis ciuibus, ingens matronarum multitudo, iſthuc tamquam ad aſylum, confugerat. Recitauimus *Chronici Leobienſis*, verba, quæ id nos docuerunt, eo loco *(r.)*, vbi cladem eam, profeſſa opera, commemorauimus, quæ heic relegenda volumus. Eodem vero bello, adtritam ædem ſacram fuiſſe, putamus, quæ dein toto fere *(s.)* decennio iacuerit in ruderibus, dum LADISLAVS, Belæ, ex Stephano *V. nepos*, *juſſu Pontificis*, non tam inſtauraret veterem ædem, quam conſtrueret nouam: relicto, vti fas eſt opinari, *ſanctuario*, quod nunc memorauimus, quodque tunc forte perdurauerat intemeratum. Haud vero potuit conſummare molem omnem *Ladislaus Cumanus:* quippe ſubito, morte violenta e medio ſublatus. Ergo, habuit, quod perficeret ANDREAS III. quem a patria, *Venetum* adpellamus: id quod ex dedicationis ſolemni ritu, & huius anno dieque, condiſcas; quæ omnia, LODOMERIVS, Strigonienſis Archiepiſcopus, ſingulari diplomate ad poſteritatem transcripſit, digno ſane, quod iſthic *(t.)* intertexatur, ob antiquitatis veneration nem. Habet autem ad hunc modum: LODOMERIVS, *Miſeratione Diuina Archi-Epiſcopus Strigonienſis, eiusdemque loci Comes perpetuus; Vniuerſis* CHRISTI *fidelibus præſentes litteras inſpecturis, ſalutem in omnium Saluatore. Quamuis Domini ſit terra, & plenitudo eius, ſpeciali tamen electione quædam loca, tempora, & perſonas ſuo cunctorum Conditor ascribere myſteriali miniſterio voluit, ſua mirabili, & humano eloquio ineffabili notione. Ex quibus Eccleſiam* B. MARIAE *Virginis, Ordinis* Fratrum Minorum *Clauſtralem de Poſonio, ad inuocandum Nomen ſuum, glorioſum, ab æterna quidem præordinatione, ſed temporali viſibiliter quaſi in effectum productione, diſpoſuit dedicare. Ipſam enim Eccleſiam* B. MARIAE *Virginis, Nobis Poſonii exiſtentibus, Venerabilis Pater,* Iacobus, DEI *gratia Vicarius Epiſcopus Noſter; præſentibus Venerabilibus Patribus,* Paſcaſio *Nitrienſis,* Paulo *Quinque Eccleſienſis,* Haab *Vacienſis,* & Theodoro *Iaurienſis, Diuina diſponente Clementia, Eccleſiarum Epiſcopis; Inclyto etiam Domino* ANDREA, DEI *gratia Rege Hungariæ, vna cum Baronibus, & Proceribus ſuis, cum vix numeroſa Chriſti fidelium multitudine interexiſtentibus ſolemnitati, ad laudem, & gloriam Diuini Nominis, & in Titulum Excellentiſſimæ* MARIAE *Virginis dedicando conſecrauit, & conſecrando dedicauit. Et quia Domum decet Domini ſanctitudo, vbi pius, ac deuotus* CHRISTI *fidelium acceſſus eſſe debet, vtque proniori, & deuotior concurſus omnibus, & ſingulis pateſiat, in Annuis Dedicationis eiusdem Eccleſiæ* B. MARIAE *Virginis reuolutionibus, in Feſto videlicet* Annuntiationis *eiusdem Virginum Virginis Glorioſæ, authoritate, imo verius Miſericordia Omnipotentis* DEI, *quæ ſuper omnia eius opera declaratur, ipſius Reginæ Cælorum, Matris* DEI IESV CHRISTI, *& Beatorum Apoſtolorum* Petri & Pauli, *ac Beati* Adalberti *Chriſti Martyris pretioſi, patrociniis confiſi, vnius Anni indulgentiam miſericorditer relaxamus, & conſimiles præfatorum Venerabilium Patrum* Iacobi *Vicarii Eppi. Nri.* Paſcaſii *Nitrienſis,* Pauli *Quinque Eccleſienſis,* Haab *Vacienſis, nec non* Theodori *Iaurienſis Eccleſiarum Epporum Annales per quemlibet Indulgentias in remiſſionem peccatorum factas, Authoritate Diœceſana & Metropolitana conſentiendo, approbamus, & approbando confirmamus. In cuius rei teſtimonium, præſentes conceſſimus litteras, Sigillo Noſtro authentico conſignatas. Datum* Poſonii *in craſtino Annuntiationis* B. V. MARIAE *Anno Dni. Milleſimo, Ducenteſimo, Nonageſimo Septimo.* Nempe, annus regni ANDREAE, ſeptimus, cum dedicaretur templum, inierat; vt facile ſit ad colligendum, non fuiſſe prorſus exædificatum, cum ſceptra capeſſiuit: alioquin, neque regis pietas, neque Archiepiſcopi ſollicitudo, ædem, toto ſeptennio, reliquiſſent ſine conſecratione. Ceterum, moles ipſa, opere ſubſtructa eſt, lateritio quidem, ſed ex ſeculi ingenio, eleganti, ac firmo, atque in orientem porrecto, ad quam plagam, ara princeps, *Viſitationem B. M. Virginis*, eleganti icone, referens, poſita eſt. Reliquus templi adparatus, nihil non venerabile oſtendit, ſiue altaria ſpectes; ſiue priſca monimenta, virorum, optime de rege, & patria, meritorum; atque in monumentis quidem præcipuum eſt, *Drugethi* cuiusdam *de Homonna*, meridionali aræ maximæ latere, parieti inſtructum. Statua eſt, e rufo marmore, ſcite facta, militem exhibens cataphractum, & vti oſtendit ſimulacrum, armis indutum pretioſis. Nomen indagare non potuimus, credo, ſiue obliteratum vetuſtate, ſiue noua parietis incruſtatione, quod fit, adobrutum. Ante ſummam aram, *Patrum* eſt crypta, cui inferunt ſuorum non minus, quam eorum cadauera, qui cum familia *D. Franciſci* tumulari cupiunt. Pauimentum ædis reliquum, multis itidem marmoribus conſtratum obſeruauimus; ſed quorum pleraque omnia, ita ſunt obtrita, vt, ad quos pertineant, ne diuinando quidem adſequare. Commendatur, ob laxitatem, *Lippaia-*

Ladislaus Cumanus, nequiuit ædem nouam conſummare:

dedicationis diploma, a Lodomerio *Archiſpiſcopo Strigonienſi perſcriptum:*

habitus internus templi hodierni:

r.) Hiſtoriæ Vrbis Piſonienſis, *Periodo Hungarica*, ſeu Cap. III. §. X. II. p. 126. ſequ.

s.) Euaſtata fuit vrbs, anno MCCLXXI. templum autem, anno MCCLXXX. ſubſtructum.

t.) Communicauere id nobiſcum, R. R. Patres, ex tabulario ſuo, *Archiuum* dicimus, inſigni bonitate depromtum. Quod ſi reliqui *Ordines* ſacri, eadem facilitate, vellent efficere, multum inde lucis, *Templorum Hiſtoriæ*, adfunderetur.

næ gentis ſpecus, non longe a porta templi, ſiniſtro intrantibus latere, ſubſtructa: vt iam vexilla, & adpenſa hinc atque illinc inſignia nobilium virorum, taceamus. Qua templo cœnobium interius connexum eſt, *Capella* occurrit *S. Sebaſtiani*, cuius ſimulacrum, arte factum ſtatuaria, altare præſentat. Ius in eam, vrbici magiſtratus habent, beneficio, ſed tenui profecto, partum. Ita coædificata cœnobio eſt, vt ex eius ambulacro, tamquam de choro, facientem myſteria ſacerdotem, adſpectare poſſis. Iſthic, *Ladislai Comitis Csákii* de *Kereſztſzeg*, monumentum, rubro, ſed infracto marmore, intectum obſeruauimus. Extra ſeptentrionale templi latus, geminum, noſtra ætate, ſacellum, exædificatum eſt, quorum anterius, *Capellam* refert *Lauretanam*; poſterius veteri ædi hæreſcens, totam paſſionum Seruatoris I. Chriſti ſeriem, ſtatuis e ligno factis, adumbratam. Hic & ſepulcrum CHRISTI, quaſi in ſpecu quodam adornatum vidimus, quod annis ſingulis, cum eſt mortis *Dominicæ*, communis Chriſtianis omnibus, recordatio, vario adparatu inſtrui conſueuit. Aditur, ex *Lauretana* illa.

Capella S. Sebaſtiani.

§. VIII.

Cœnobii moles: & partitio:

VLtra, Cœnobium, meridiei obuerſum, adſedit, ingentis capacitatis, & ad eum modum diſpertitum, vt partem ædificii, templo confinem, *Monachorum* familia, per cellas diſtributa, colat; partem vero reliquam, quæ inde procurrit, hoſpitum accipiendorum gratia, inſtructam habeat. Et accidit non raro, potiſſimum, cum ſunt comitia, vt principes viri, lubenter iſthic hoſpitentur. Nuper *Noſodochium*, corrogatis eleemoſynis, ea monaſterii regione, exædificatum eſt, qua id *Ieſuitarum* cœnobium contingit. Nondum prorſus conſummatum eſt opus, in tres contignationes eductum. Aiunt, arctius eſſe, quam vt ægris accipiendis idoneum ſit. non, quod non habeat cellas ſuffecturas pluribus, ſed, quod anguſtiores ſunt, quam id male ſe habentium commoditas, & rationes ſalubritatis aliæ, requirant. Huc, ex vicinia inferuntur ægri *Franciſcani*, curandæ valetudinis cauſſa. In cœnobii opportunitatibus retuleris, inexhauſtum puteum, eumque, ob laticis ſalubritatem, tota vrbe facile optimum. Ergo, frequenter hauritur, deferturque ad menſas, etiam adparatiſſimas. quod vnum ingens ad ſalubritatis opinionem, momentum eſt; vigeſcunt enim aquæ puteales, ſi hauriantur liberalius; lenteſcunt contra, ſi parcius egerantur. Sunt, & ſilani, intra monaſterium, perennibus aquis ſcatentes. His ſuburbani colles, deriuatam, per ſubterraneos ductus, aquam, vbertim adfundunt. Duo, id genus fontes, viridariis inſunt, minori alteri, quod ædificio cœnobii circumquaque clauditur; alteri laxiori, cœnobio, ab oriente, adpoſito, ſub obtutum Monialium *S. Vrſulæ*, a quibus, platea interlabente, diſcriminatur. In primis oculos noſtros aduertit, ſtatua crucifixi Seruatoris,

opportunitates:

toris, in diæta, ſeu cœnaculo, quod *refectorium* vocant, feneſtrarum vni, inſtructa, ad eum modum, vt e vulneribus ſingulis, fiſtula promineat, aquam fundens ad arbitrium. Alioquin, ea eſt capacitate cœnobium, vt vel centenis viris, habitationes ſingulas poſſit ſufficere. Vidimus heic, *Bibliothecam* quoque, tenebroſo fornice, inter ædem ſacram, & S. SEBASTIANI ſacellum, haud parco librorum adparatu, refertam. Veteres erant plerique, *Patrum*, & *Scholaſticorum* habentes commentaria. Hic, & ornatus Eccleſiaſticos, vltra quam reris, pretioſos, multarum item familiarum, quin *Regni* ipſius *tabularium* recentius, grandi ciſta ferrea, conditum, ſpectauimus. Præcipua templi celebritas, inde eſt, quod noui reges, auguſtali ſolio iſthic reſidentes, palam, & ius dicant, & *auratos equites*, patrio inſtituto, creent. qua de re, ſupra diximus.

præcipua templi celebritas.

§. IX.

S. Claræ *Oduum:*

ODeum S. CLARAE, iam memorandum eſt, non tam ob vicinam; eſt enim occidentaliore vrbis regione, commode ſepoſitum; quam antiquitatem: quippe qua, æmulari poſſe credunt, *Franciſcanorum*, de quo diximus, cœnobium. Conſtans eſt enim narratio, *Ciſtercienſium Virginum*, primitus fuiſſe domicilium. Quod ſi credamus, ſicuti fas eſt credere, toto, & quod excurrit, ſeculo, *Franciſcanorum* ætatem, *Ciſtercienſium* hæc familia, anteibit. Nimirum induxit in Hungariam *Ciſtercienſium* ordinem vtrumque, *Monachorum*, & *Monialium*, BELA II. ſeu *cæcus (u.)*. Id vero tunc feciſſe putandus eſt, cum, & reipublicæ, & pietati vacabat adhuc. hoc eſt, poſt prima regni exordia, quæ in annum MCXXXII. inciſſe, certum eſt. Atque, eadem hac ætate, in vrbe noſtra collocatas virgines, oportuit. Sesqui ſeculum hoſpitatas iſthic fuiſſe, inde conſtat, quod earum interitum, ad annum MCCXCVII. refert THÚRÓCZIVS *(v.) Sorores*, inquit, *S. Claræ, eum implent locum, quem Ciſtercienſes tenebant moniales. quæ anno Milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſeptimo, interiere.* Vtinam cauſſas interitus adnotaſſet! Ego, ei bello adtribuerim, quod ANDREAE III. nam is tunc ad clauum reipublicæ, ſedit, cum ALBERTO Auſtriaco, ſocero poſtea ſuo, interceſſit: vbi tamen maturiorem *Ciſtercienſium* virginum occaſum eſſe oportebit, eo quod exardeſcens bellum, tempeſtiua pace, ad annum MCCXCI. reſtinctum, & *Piſonium*, Hungaro redditum eſt. Certe, iisdem iſtis annis, quibus defeciſſe dicuntur *Ciſtercienſes* ſorores, ANDREAS, in ornanda vrbe noſtra *(x.)* nihil fecit reſidui. Quidquid eius ſit, ſucceſſere *Virgines S. Claræ*, in cœnobii poſſeſſionem. At enim, tumne demum, cum, cæſo LVDOVICO II. metu imminentis *Solymanni*, Budenſes ſorores iſthuc immigrauere. Ita fert multorum opinio; res ipſa

fuit olim Ciſtercienſium ordinis:

quando S. Claræ monialibus ceſſerit?

u.) Vide, *Actionem S. Ordinis Ciſterczienſis*, in ea Monaſteria auita, quæ ab aliis, ſine legitima conceſſione, ſunt occupata, &c. *Viennæ Auſtriæ* A. 1649. forma quadrip. p. 2.

v.) Loco citato, p. 194.

x.) Relege Cap. III. §. XIV. ſeqq.

ipſa aliter loquitur. Vixerunt, hic iam, ea tempeſtate, virgines, cum clades *Mohácſiana*, regnum vniuerſum adflixit; tunc vero hoſtium formidine, ſuadenteque MARIA regina, quæ huc euaſerat, vacuo poſt ſe relicto cœnobio, ad tutiora ſe receperunt. Proinde, ne ſacrum ædificium, profanis vſibus fœdaretur, Rex FERDINANDVS ptochodochiorum *(y.)*, quæ metus belli peſſum dederat, alumnos, iſthuc transferri iuſſerat. Plures anni abiere, cum ab his inquilinis, cœnobium poterat repurgari. FERDINANDVS certe, eadem prouidentia, qua rebus pauperum conſuluerat, Virgines iterum reſtituit; tametſi, haud carituras moleſtiis, quas bella Turcica, iuxta & ciuilia, ſubinde creabant. Illud ſilendum haud eſt, in *Cœnobio* hocce noſtro, emortuas penitus fuiſſe *Dominicanas* Sorores, quas metus hoſtium, ex *Inſula Leporum*, cum reliquiis B. MARGARITAE exturbauerat. Ac primo quidem, ad *Váradinum*, ſede haud diutina; *Tyrnauiæ* poſtea, apud *Dominicanos*, diuiſo inter vtrosque cœnobio, conſederant. Suſcepit earum curam MAXIMILIANVS II. ac, ne deeſſet, vnde vitam tolerarent, vicis *Nagy-Koloſs*, *Kis-Koloſs*, & *Láczho*, easdem donauerat: *(z.)* cum anno MDCXIV. Cæſaris non minus, quam ſummi Pontificis, iuſſu, in contubernium *ſacrarum noſtrarum virginum*, deportarentur. Erant in iis, quæ *S. Claræ* regulam acceptarunt; ſed erant etiam, quæ religionem veterem, conſtanter retinuerunt. *poſt annum* demum, MDCXXXVII. prorſus emortuæ. Itaque, celeberrimum illud *Dominicanarum* cœnobium, quod *B. Margaritæ*, BELAE IV. filia, pietate ſua illuſtrauerat, in hoc *S. Claræ*, tumulatum eſſe, haud iniuria, adſerueris.

his diffugientibus, in ptochodocheum vertitur:

ſit ſororum Dominicanarum, vltimum refugium.

§. X.

Reliquiæ B. Margaritæ, huc illatæ, deſcribuntur.

HAc interim occaſione, ne quid ſiluiſſe, arguamur, reliquiæ B. MARGARITAE, Piſonium illatæ ſunt. Deſcripſit eas αὐτόπτης, FR. SIGISMVNDVS FERRARIVS. *(a.)* cuius verba, lectorum gratia, adtexemus: „ Corpus, *inquit*, ceteræque exuuiæ, ſanctiſſimæ „ Virginis Margaritæ, in Monaſterio Inſulæ B. Deip. ſeruatæ, colebantur, quoad Solymanno, Turcarum Tyranno, Hungaria deuaſtata, „ Sanctimoniales fugam inde arripientes, ſacra pignora, ſecum Tyrnauiam, ad Conuentum S. Iohannis Baptiſtæ, aſportarunt. Vbi Fratres, loco ipſo diuiſo, partem ſibi retinentes, partem Sanctimonialibus conceſſerunt. Extinctis deinde Fratribus, totum Sorores obtinuerunt, donec elabente tempore, Monaſterio Societati IESV addicto, ipſæ cum ſacris oſſibus, & reliquiis, rebusque cæteris, Poſonium, in Monaſterium Clariſſarum, multis ex eis nequicquam relu-

„ ctan-

y.) Explicuimus rem ſupra, Cap. III. §. vltimo.

z.) Hiſtoriam omnem, ad vrbem *Tyrnauienſium* Cap. I. §. XVII. ſeqq. exprom-

ſimus, vbi etiam diploma MAXIMILIANI, legas.

a.) In, de Rebus Hungariæ Prouinciæ Ordinis Prædicatorum. Partis II. Cap. XXIX. p. 326. ſeqq.

„ ctantibus, deductæ ſunt: e quibus etiam anno MDCXXXVI. duæ „ adhuc, valde prouectæ ætatis, quæ fuerunt Prioriſſæ, nec vnquam „ Sacrum Ordinis Prædicatorum habitum permutarunt, ſuperſtites „ erant; ſed vna ex eis mortua, non adeo longe ab anni eiusdem „ initio, adhuc altera, dum hæc edimus, anno MDCXXXVII. vi„ uit. Cum mihi anno MDCXXXV. pie inueſtiganti, de loco ſan„ ctiſſimarum harum reliquiarum, (nonnullorum enim noſtrum fa„ ma ferebatur, eas Viennæ, apud Clariſſas quasdam exiſtere,) a D. „ Stephano Sennyei, Epiſcopo Iaurienſi, & Regni Hungariæ Cancel„ lario, indicatum fuiſſet, Piſonii aſſeruari, ingens animum deſide„ rium incendit, illas, quando mihi per ſtudiorum occupationes lice„ ret, primo quoque tempore viſitandi. Itaque, inſtituta peregrinatio„ ne, præmiſſisque aliquot precum, ieiuniorum, conſimiliumque, „ piis exercitiis, Poſonium, octo germanicis milliaribus Vienna diſtan„ tem vrbem, ſeptima Septembris die, perueni. Vbi a Religioſis „ Sanctiſſimi Patris Franciſci de Obſeru. hoſpitio beneuole exceptus, „ P. Guardianum, & P. Prouincialem, qui tunc aderat, enixius roga„ ui, *vt ſacra* pignora, (cuius cauſſa illuc veneram) *viſitandi facerent* „ facultatem; *ac denique*, (*licet initio Patres* aliquanto difficiles ſe „ præbere viderentur,) quod tantopere cupiebam, & efflagitabam, „ R. etiam P. Iacobo Némethi agente, obtinui. Quare, ad horam „ primam pomeridianam, ipſa die Natali B. Virginis Deiparæ, R. P. „ Rector Collegii Societatis IESV, cum P. Némethi, ego, ſociusque „ meus, ad Clariſſarum templum iuxta præſcriptum, acceſſimus: „ quando P. Confeſſarius Sanctimonialium, vnaque ſocius illius, ſa„ cras reliquias, e feneſtella Sacriſtiæ miniſtratas, paullatim ad ſum„ mum altare detulerunt. Tum porro, ſolutis mihi ex oculis, vber„ rimis lacrymis, DEO, pro tantæ Virginis gloria, tantaque gratia „ mihi collata, gratias, quas potui, maximas, egi: laudes eiusdem „ S. Virg. mecum feruentius celebraui; meis, confratrumque deli„ ctis, coram DEO confeſſis, veniam, per illius merita, humillime „ poſtulaui, me Ordinemque meum in Hungaria extinctum, per illa„ met ſerio commendans: ac denique, ad ipſas Sanctas reliquias pro„ pius contuendas, & venerandas, qua potui pietate, ſpe, gaudio„ que plenus, ac lachrymis perfuſus, acceſſi. Aderat caput, cui „ circulus, Excellentiſſimæ & Illuſtriſſimæ D. Chriſtianæ, Excellentis„ ſimi & Illuſtriſſimi D. Nicolai Eſterházy Comitis, & Principis Pa„ latini coniugis lectiſſimæ, pietate, & opera, pretioſe elaboratus, „ cum hac inſcriptione, ex vnionibus confecta, CAPVT BEATAE MAR„ GARITAE VIRGINIS, FILIAE BELAE QVARTI, REGIS HVNGARIAE. „ Aderant etiam oſſa plurima, ex coſtis, tibiis, brachiis, aliisque „ partibus. Quamquam multa etiam illorum pars, deſideraretur. „ quod ii, ad quos ſpectabat cuſtodia, vel minus diligentes, pro „ tanto theſauro, vel plus iuſto prodigi, nedum liberales olim exſti„ terint. At vero, cum caput, tum oſſa reliqua, colore ſubrubro,

„ &

„ & nigricante. Ex veſtibus etiam aderat pars integra candidæ veſtis „ ſcapularis, in deſcenſu ſenſim ſe in latum porrigentis. Fruſta etiam „ tunicæ, ſatis detrita. Fruſtulum itidem panni ſerici albi florigeri, „ quod Pater ille Confeſſarius, ex antiqua traditione, aiebat eſſe par- „ ticulam cappæ (quam vocant) ſiue pallii ſerici nigri coloris, quod „ (cum illo humatum fuiſſet ſacrum corpus virgineum) immutato „ colore, candidum miraculoſe redditum fuit. Vidi etiam cingulum, „ duorum digitorum latitudinis, quo Virgo Sanctiſſima, ad viuam „ carnem, incingebatur: vidi præterea, partes cilicii, eius præſertim, „ quod in modum retis erat intextum, flagellorum etiam, & virgarum „ particulas, quibus ſe Virgo ſancta macerare, & cædere conſueue- „ rat. Quanta tunc mihi lætitia, quot ſacris illis reliquiis, (dem- „ ptis oſſibus, quibus præ reuerentia auſus non fui) oſcula fixerim, „ quibus lacrymis perfuſus ſim, nouit Deus, qui etiam mihi hæc „ ſcribenti, ex ſancta illa recordatione, vbertim eas ſubminiſtrat. „ Optabam reliquiarum illarum, Patronæ meæ Sanctiſſimæ, longeque „ ſingulariſſimæ, aliquid mihi dono dari: preces adiunxi: negatum. „ Tum nihil moratus, exempta forcipe, quæ mihi erat in promtu, „ tenues ex *cilicii, & tunicæ partibus*, *particulas abſcidi*, & pia ra- „ pina correptas, theſauri ſane, quam pretioſiſſimi, loco, retinui. „ Ex certiſſima hac relatione noſtra colligere licet, *non vere* (*mini-* „ me tamen mala fide) a viris grauibus ſcriptis conſignatum, Sa- „ crum Virginis corpuſculum, poſt varias illius per Hungariam trans- „ lationes, hodie Poſonii requieſcere ita integrum, vt non a quatuor „ ſeculis, ſed a paucis annis videatur depoſitum. Nec id minuit „ Virg. ſanctitatem, cum neque id ſemper maioris ſit ſanctitatis ar- „ gumentum; nam, quorundam minorum Sanctorum corpora, adhuc „ integra; maiorum vero, oſſa ſola, vel etiam cineres extant, vt „ oculari demonſtratione poteſt oſtendi. Hactenus Ferrarivs. *Cum* „ *adhuc in Inſula Leporum priſtino illo conditorio adſeruaretur B. Virginis* „ *corpus*, *indulgentiis cohoneſtatum fuiſſe*, *laudatus* Ferrarivs, *(b.) au-* „ *ctor eſt. Ita vero, antequam tabulas producat, ſcribit:* Iohannes Do- „ minici, Cardinalis Raguſinus, *in* Hungariam ad Sigismundum Re- „ gem Legatus a Latere, pro dirimendo ſchiſmate, quo Eccleſia di- „ ſcindebatur, a Gregorio XII. miſſus, anno III. eius Pont. Chriſti „ MCCCCIX. litteras, inſequentis tenoris, pro 140. dierum indul- „ gentia, corpus B. Margaritæ Virginis viſitantibus, conceſſit. quas, „ ex autentico originali, a Sanctimoniali noſtri Ordinis Poſonii, ad „ Clariſſas, degente, ad meam inſtantiam poſtulato, deſumptas, vti „ etiam Officium eiusdem B. V. R. P. Iacobus Némethi, Societatis „ Iesv, ſolita charitate, communicauit. Iohannes Cardinalis Tit. „ S. Sixti, Legatus, dat omnibus viſitantibus hanc Eccleſiam, & „ Corpus Beatæ Margaritæ Virginis, centum & quadraginta dies In- „ dulgentiarum, perpetuis temporibus, qualibet vice. Iohannes, „ mi-

b.) Ibidem Cap. xxxi. p. 339.

„ miſeratione diuina, Tit. S. Sixti Presbyter Cardinalis, Apoſtolicæ „ Sedis Legatus. Vniuerſis Chriſti fidelibus, præſentes noſtras litteras, „ inſpecturis, ſalutem in Domino ſempiternam. Splendor paternæ „ gloriæ, qui ſua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fi- „ delium, de clementiſſima ipſius maieſtate ſperantium, tunc præci- „ pue benigno fauore proſequitur; cum deuota ipſorum humilitas, „ Sanctorum precibus & meritis, adiuuatur. Cum itaque, ſicut ac- „ cepimus, ſit Monaſterium, & locus Eccleſiæ, Beatæ, & glorioſæ „ Virginis Mariæ de Inſula Danubii, Ordinis Prædicatorum, dioece- „ ſis Veſprimienſis; in quo quidem monaſterio, ſiue loco, glorio- „ ſum corpus Beatæ Margaritæ Virginis, in Domino requieſcit; ad „ quod corpus viſitandum, maxima ſe dirigit deuotorum multitu- „ do: Nos, cupientes diuinum cultum, & Sanctorum Dei, vbili- „ bet ardenter reuerentiam augeri; vt eadem Eccleſia congruis ho- „ noribus frequentetur; & corpus dictæ Beatæ Virginis, ſedulis de- „ uotionibus, eo feruentius, ac libentius fideles Chriſti, viſitent, & „ confluant ad eosdem, quo exinde dono cœleſtis gratiæ vberius con- „ *ſpexerint* ſe refertos; auctoritate Apoſtolica, *qua ſpecialiter fungi-* „ mur in hac parte, *omnibus*, *vere pœnitentibus*, & confeſſis, di- „ ctam Eccleſiam, Beatæ, ac glorioſæ Virginis Mariæ, & dictæ B. „ Margaritæ Virginis corpus, deuote viſitantibus, ac ad dicti Mo- „ naſterii, ſiue Eccleſiæ fabricam, manus porrigentibus adiutrices, „ vice qualibet in perpetuum, centum & quadraginta dies de indul- „ gentia, tenore præſentium, miſericorditer elargimur. Datum Bu- „ dæ, dictæ Veſprimienſis dioeceſis, ſub noſtri Maioris Sigilli appen- „ ſione, Vndecimo Calendas Aprilis, Pontificatus Sanctiſſimi in Chri- „ ſto Patris, & Domini noſtri, Domini Gregorii, diuina prouiden- „ tia Papæ XII. Anno tertio. *Sigillum fuit confractum.* Ioan. Sal- „ uatus.

§. XI.

Regum co- uatus, de B. Marga- rita, *inter diuos refe- renda.*

Atque, elaboratum omnino fuit a Regibus Hungariæ, vti, in *Sanctarum*, numero referretur *B. Margarita*. quod tamen ſucceſſu caruit: non quod deerant neceſſaria, ad eum ritum, documenta; ſed quod, nunc Pontifices Romani, quorum id muneris fuit, nunc Reges, rem eam procurantes, morte præueniebantur. Iuuat, geminam, eius argumenti epiſtolam, Matthiae *Coruini*, ad Pivm II. adſcripſiſſe, præeunte iterum Ferrario *(c.)*: „ Sanctiſſimo in Chri- „ ſto Patri, & Domino, Domino, Pio, diuina prouidentia, Sacro- „ ſanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Eccleſiæ, Summo Pontifici, Do- „ mino noſtro clementiſſimo. Beatiſſime Pater, & Domine! poſt „ humilem noſtri commendationem, ad pedum oſcula beatorum. „ Inter multa ardua negotia, quibus nunc maxime vrgemur, & de

c.) Loco citato Cap. xxxiv. p. 380.

„ iis etiam ſolliciti ſumus, quæ ad honorem D. Maieſtatis, & Sacræ „ religionis pertinent incrementum: immo, quodammodo magis in „ præſentiarum veniunt in mentem ea, quæ deuotionis ſunt, quam „ in otio domeſticæ quietis. Proinde, non erit mirandum, ſi hoc „ potiſſimum tempore, Veſtræ Sanctitati, ea ſuggerimus, quæ plus „ pacis tranquillitati, quam caſtrenſibus negotiis, conuenire videntur. „ Verum, vt apertius intelligi poſſit, quod intendimus, paullo al- „ tius repetito initio, ſummam tamen breuiter proponemus. Eſt „ quædam inſula Danubio circumflua, in conſpectu huius ciuitatis „ noſtræ Budenſis, quæ olim Leporum, poſtea B. M. Inſula dicta „ eſt. In ea inſula, Monaſterium exiſtit Sanctimonialium Ord. Præ- „ dicatorum, quod quidem Monaſterium, Rex Bela, prædeceſſor „ noſter, fundauerat, & in eodem filiam ſuam, nomine Margare- „ tam, Deo Virginem dedicarat. Ea Margareta, vitæ honeſtate, & „ ſanctis operibus, tantam cælitus gratiam promeruit, vt tam in co- „ pore, quam poſt obitum, magnis, & euidentibus miraculis cor- „ ruſcarit, quemadmodum adhuc multorum fide digna teſtimonia „ comprobant; & poſt eius mortem, a diuerſis Romanis Pontifici- „ bus, vel deputati, vel miſſi inquiſitores, examinatis inde pluribus „ idoneis teſtibus, & tota profitente Hungaria, comperiſſe, ac ſcri- „ ptum reliquiſſe, dignoſcuntur. Sed, vt fit, Regum pariter, & „ rerum frequenti mutatione, ſuſceptæ rei conſummatio, vel pro- „ rogata fuit, vel neglecta. Nunc igitur, Beatitudini V. in eo quam „ humillime & ſtudioſiſſime, ſupplicamus, quatenus rem hanc inter- „ miſſam, & ſibi forſitan diuinitus, vt alia multa & præclara, iam „ diu ſeruata, per ſe, aut per ſuos recognoſcere dignetur: & cum „ intellexerit, omnia, quæ ad id opportuna, & neceſſaria fuerint, „ ſatis conſtare, & ita placuiſſe Altiſſimo, diuinæ exinde benignita- „ tis affluentiam, Apoſtolicæ auctoritatis præconio, & ſolemni pu- „ blicatione, declaret. Faciet in hoc V. Sanctitas, rem glorioſam, & „ Nobis, ac noſtris omnibus optatiſſimam: immo, quod vel pri- „ mum, vel ſolum, in talibus ponderandum eſt, multorum deuotio- „ ni, & ſaluti profuturam, ac Omnipotenti Deo plane acceptam, „ qui accenſam lucernam, non vult abſcondi; ſed illuminantem eam „ in edito poni, & ſe in Sanctis ſuis præcipit laudari. Qui & Bea- „ titudinem Veſt. diu felicem ſeruet, Eccleſiæ ſuæ regimini, & augmen- „ to. Datum. Matthias Rex Hungariæ. *Hæc ille ad Papam. Ad Cardinales autem, ad hunc modum:* „ Scripſimus Sanctiſſimo D. N. „ pro eleuatione Corporis, ſiue Canonizatione *B.* Virginis Margaritæ, „ olim Belæ Regis, Prædeceſſoris noſtri, filiæ, Sanctimonialis quon- „ dam Ordinis Prædicatorum, in Monaſterio Sanctæ Mariæ de Inſula, „ iuxta ciuitatem noſtram Budenſem, Danubio circumflua: de cuius „ Virginis ſanctitate & miraculis, multa & magna teſtimonia, produci „ poſſunt. Proinde, Reuer. Paternitates Veſtras, quam diligentiſſi- „ me rogamus, quatenus rei tam honeſtæ, & piæ ac ſalutiferæ, pro- „ mo-

„ motionibus & ſuffragiis ſuis adeſſe velint. In quo nobis quidem, „ & noſtris plurimum, ſed Deo longe amplius complacebunt. Datum. Dolemus, cum Ferrario, diem annumque, ſcribarum negligentia, in manu exarato codice epiſtolarum *Coruinianarum*, deſiderari. Subſcribo autem coniecturæ illi, perſcriptas fuiſſe, vel ſeneſcente anno MCCCCLXIII. vel certe ineunte anno MCCCCLXIV. quo Pivs II. decimo ſeptimo Calendas Septembres, *Anconæ*, in bellum, aduerſus *Turcas* profectus, *(d.)* fato conceſſit, antequam deſtinatam *canonizationem*, exſequeretur.

§. XII.

CEteroquin, multi, laudes *B. Virginis*, non ſcite minus, quam prolixe, decantauere. Placet in his, venuſtiſſimum *(e.)* carmen, *Franciſci Leonardi Szegedy (f.)* Tyrnauienſis, quod is, ex Hungarico, latinum fecit, atque Concham Divae Margaritae, inſcripſit: *Laudes* B. Margaritæ:

Szegedii *in eam carmen.*

Forte Venus, ſtipata roſis, tymbraque curule
Preſſit ebur, pulchroque ſedens temone Cupido.
Iucundamque vehens per cæli nubila matrem
Feſſus, Amyclæos ad frena citauit Olores.
Illa fatigatos per nubila corporis artus,
Et duras quaſſata ſtrias, lirasque viarum,
Et pertæſa polos, natales marmoris vndas
Viſere, cæruleasque Deas parat, & freta puppi
Findere, ſeu molli volitare per æquora ſulco,
Siue Cypron charam, grauidamque Amathunta metallis,
Dilectamque Paphon, cultu celebremque Cytheram,
Regnaque Neptuni læua peragrare carina,
Denique Sidonia mens eſt conſidere concha.
Prouehitur, fuſos euentilat aura capillos,
Et Zephyri ludunt, Euri, Boreæque furores,
Et ſæuas mittunt iras, dominæque ſecundant.
Circum præludens, tenerum volat agmen Amorum,
Dorida nunc iaculis feriens, leuibusque ſagittis
Irritare ſtudens vaſtis Nereidas vndis,
Nunc ipſum cogens varios aſſumere vultus
Prothea, quo formis iuuenilia tela fatiget.
Iamque procelloſum (ſed quis mare credat amare?)
Vorticibus blandos puerorum ſenſerat ignes,
Et placide ſtratum dominæ compeſcuit Euros.
Exhilarata Venus puerorum luſibus, ibat,

d.) Platina, in Vita Pii II. p. m. 750.
e.) Ferrarivs id, cum reliquis, adſeruauit, loco citato Cap. XXXIII. p. 352.
f.) Poſtea *Váczienſis*, atque inde *Agrienſis* Epiſcopus.

Iamque venuſtatem Charitum mirata, tuetur,
Tam blandas ſortita Deas, quantumque decore
Anteit has, tantum ſe contemplata, ſuperbæ
Indulget formæ, candoreque pectora mulcet.
Viſitur interea placido per cærula ferri
Aequora Virgo Noto, vibrare niuentia ponto
Brachia, Sidonia pariter conſidere concha,
MARGARIS, *adgenitæ referens cognomina gemmæ:*
Iam medio Veneri ſeſe tulit obuia ponto,
Dulcibus & Zephyris, & præludentibus auris,
Accelerat conchamue Deæ vicina coercet.
Cuius in auratis poſtquam Dea vultibus hæſit,
Eximium ſpeculata decus, multumque decori
Oris honeſtatem, pulchros & corporis artus;
Cuius lacteolis hærens nix candida malis,
Sanguine, vel Tyrio madefacta recenter ab oſtro,
Deleret natum liliisque roſisque colorem:
Florida labra, poli radiantes ignibus orbes
Et Bereniceæ collecta modeſtia frontis,
Et ſiue ſtellato ceruix formoſa monili,
Deliciis ſatis vna ferox, croceique capilli
Idaliam tenuere Deam. cui talia fatur:
Quæ Dea cæruleo conſurgis marmore? ſummo
Nondum viſa Ioui, ſublimique inuida cælo,
Et cui Nympharum ſpecies non ſufficit, ipſum
Cogis in Idæo formæ renouare tribunal
Vertice, cui ſummi coniux Iouis, atque Minerua,
Cedere ſponte parant: quantum ſoror aurea Phœbi
Naiadum niueos vultus, & Oreadas omnes,
Quantum egomet pulchras forma Nereidas exto,
Deliciis, o Virgo ferox, me cedere cogis,
Et tibi, quæ nulli didicit parere Dearum
Frons paret Veneris. naſci tuque vnica mecum
Digna mari, noſtraque potes conſidere concha.
O mihi præ reliquis dilecta virago Deabus,
Laurentesque inter multum formoſa puellas!
Quis morum fideique modus: quæ cauſa viarum?
Quis Deus eſt felix, his vultibus inclyta Virgo?
Quiſue thoro? an viduos ducis ſine coniuge ſoles?
O penſa niueæ fugientia damna iuuentæ!
Exerce formam, quam non tibi, Regibus illam,
Atque Ioui natura dedit; non lilia malis
Hancue roſam dedit, vt ſolo marceſcat in horto;
Sed genio, ac celſo Regum libetur honori.
Mactе voluptatem naturæ ſumito, celſis

Regi-

Regibus indulge thalamos! Sed plura volentis
Præſcindit vocem, dictis ſimul increpat illam
Virgo, verecundo ſuffuſa rubore. Quid, inquit,
His animum mulcere paras, Venus improba dictis?
Laſciuis Regum thalamis, genioque ſalaci
Indulgere iubes, & virginitatis amatæ
Candorem temerare, breui & violare volupta?
Non Dea, Cerbereo magis aſt idea malorum
Orta mari, lupa dira, ſcelus, ſtuprumque Deorum,
Fœda libidinibus, terraque exoſa, poloque,
Mentibus aſtrigeris, apage, ique furentibus vndis
Marmoris, aduerſo ventorumque agmine facto,
Atque procelloſo laſciuam vortice concham,
Veſanasque faces iratum deuoret æquor.
Non ego ſum ponto, conchaue Sidonide ſaxum,
MARGARIS, *& caſto Regum prognata cubili,*
Pannonidum, cui BELA *parens hoc nomine quartus*
Vngariam late ſceptri moderamine rexit.
Non mihi ſacra parent Venus, atque Thalaſſio, nulla
Connubii ſociata placent commercia: mitto
Corde iocos, & mitto faces, rixasque iugales,
Laſciuasque thori lites, ſine lege pudoris,
Denique mille cruces, quas fœda libido crearet.
Virgineo, cæleſtis Hymen, caſtusque Thalaſſus
Cordi fixus erit, pulcherque Cupido tonantis
Virgineo iam corde cubat. Cæli vna cupido
Me tenet: hæc iaculis præcordia fixit, & igne
Aethereo placidum Chriſti inſpirauit amorem.
Non ego, vel crines hos, pectine como procaci,
Non frontem, non haſce genas, auresque lapillis
Eoaque onero gemma, Diuisque Dynaſtis,
Principibusque procis, aut furtis Nympha Deorum.
Sed magis exonero, quod maieſtate coruſcat,
Exornoque animum candore pudoris, vt omne
Virgineæ fidei tuear ſine crimine fœdus,
Virgineo Sponſo, cuius caſtiſſima tæda,
Hoc tenerum pectus, caſtis ardoribus vrit:
Imo ſub hac forma, ſi forte pericula ferret
Aurea Virginitas, nec tuta micare procorum
Impetibus poſſet, Cythereia quidquid amare
Occipiat, ſcindam, ſpargamue cruore pudico,
Seu oculos: fodiendo oculos, ero Lucia (totum
Quæ ſine luce ſatis conſpexit Lucia mundum)
Siue mamillarum decus, hinc ero Virgo Sicana:
Seu nares, ſeu dentis ebur, ſeu brachia tuto

Seu

Seu labra, ſiue pedes, pro virginitatis amore,
Aut noua Apollonia, aut Euphemia corpore læſo,
Per mare, perque Notos, & mille pericula, mille
Dulci virgineum Sponſo ſeruabo pudorem,
Inter vt haſce roſas, & candida lilia cordis,
Pulchrior hiſce roſis, liliisque quieſcat Iesvs.
Increpat his Venerem dictis. Sic fata rudentes
Laxauit, fugiensque faces, & inane Dionæ
Carmen, & incepta decurrit marmora concha
Prouehitur, ſed non potuit vitare ſuaues
Sirenum ſcopulos; Matris, Regisque Boemi,
Atque Patris, qui dulce melos cecinere iugali
Lucentes tæda, demulcentesque cubile,
Et claros Regis thalamos ſuaſere Boemi.
Præterit hanc etiam generoſa virago Charibdim,
Atque iterum per mille cruces, per mille mucrones,
Virgineos mauult in fruſta ſecarier artus,
Quam mutare fidem, dulcemque relinquere ſponſum.
Vrget iter felix, euitat & æquoris vndas
Scyllæosque canes, truculentaque ſaxa Malææ
Lethiferasque faces Veneris, ſcopulosque minaces
Deliciis linquit Sirenum dulce venenum.
Poſt vigiles curas exanthlatosque labores,
Et fuſas cælo lachrymas, & flagra, precesque
Et perpeſſa malas hiemes, perpeſſa rigorem,
Frigoraque ac æſtus, virtutumque inuia quæuis,
Arida mox caſtos febris depaſcitur artus,
Fatum poſtremas immittere iuſſit habenas
Virgineæ conchæ, dum iam ſatis æquoris vndis,
Et iactata malis, metiri cærula concha
Marmora deſierat. Tandem Cynoſura beatis
Illuxit radiis, cælique appellere ripis,
Figereque æternum ad cæleſtia littora clauum
Suaſit, vt æterna felix ſtatione quieſcat,
Per Boreas, gelidosque notos ſæuasque procellas,
Per mala mille, cruces, ieiunia, flagra, labores
Sponte vel inuito, placida ſed mente ſubactos.
Virginea concha laſciuum enauigat orbem,
Tangit & optatæ portumque ortumque ſalutis.
Nauigiique iſtam diſcedens præbuit artem:
„ *Non eſt ad cælum molli ſpirante Fauoni*
„ *Flamine puppis iter, rapido ſed flumine ſæuum:*
„ *Euris non Auris ſpirantibus, itur ad aſtra.*

Non

Non potuimus non, oblectando lectori, hoc, tam inſigne carmen, adſcripſiſſe. Iam ad res cœnobii redeamus.

§. XIII.

Fatiſcens vetuſtate cœnobium, Pázmány, *inſtaurare oœcipit:*

FAtiſcere vetuſtate occeperat monaſterium. quod, ne corrueret penitus, *Petrus Pázmány*, Cardinalis, ſuo more prouidit. Ergo, deraſo ad ima fundamenta, ædificio, nouum aliud, ſolidius multo, & ad habitandum commodius, ingenti ſumtu, moliri. Succedebat cœptum, Pázmáno, operas vltra modum vrgente, iamque conſummari debebat moles: quippe, tectotenus ſubducta; cum ille, anno MDCXXXVII. die XIX. Martii, naturæ debitum perſoluit. Itaque, adhæſit aliquantiſper opus, donec Emericvs Lossy, muneris factus ſucceſſor, ſua id munificentia, conſummaret. Vtriusque hanc pietatem, inſcriptio portæ, in orientem adſpicientis, loquitur, quam in vita Lossii, *(g.)* dedimus. Templum ei, ab oriente, adhæſit, longum paſſus quadraginta, latum vndecim, ſtructura elegante, ornatu *inſigni*, & *quæ* lucem immittunt, *luculentis* feneſtris. Turris, ædi ſacræ connexa, *gracili quidem*, ſed firma mole, ſurrigitur. Antea, in cuneum faſtigabatur, qui e ſecto vermiculatoque lapide, conſtabat totus; ſed quem anno MDCCIII. vehementior turbo deiecerat. Proinde, nouo eam inſtrui faſtigio oportuit, ligneo ſcilicet; ſed quod æneis bracteis, inductum eſt, habetque obtutum, multo quam antea, elegantiorem. Inde, in occidentem partim, partim in ſeptentrionem, cœnobium producitur, paſſuum circiter tercentorum, ambitu. Forma eſt, ad quadrum facta, muris ſublimibus, ſolidis tamen, conclauibus omnino copioſis, quæ lucem, in interiorem ædium partem obuerſis feneſtris, accipiunt, ne ſit proſpectandi foras modus. Aream, hortus interſtinguit, pro more clauſtrorum, non is quidem laxus, ſed qui tamen ſufficit, exercendis operis ſacrarum Virginum, cum eſt eis, a ſeuerioribus exercitiis, ceſſatio. Inſunt autem copioſo numero. quarum aliæ, obſtrictæ ſunt ad regulam S. Clarae; aliæ, educationis cauſſa, aparentibus, aut conſanguineis immiſſæ, adſueſcunt & ipſæ, vitam alienam ab illecebris, degere. Tametſi vero, *Germanas* & *Slauas* ſorores alit cœnobium? tamen, *Hungarica* natio, præcipuas fere partes, obtinet. Hinc patrium vulgus: *Magyar Apácza Kalaſtrom*, id eſt, *Hungaricarum Monialium Clauſtrum*, adpellat hodieque. Poſt Lossii, Strigonienſis Archiepiſcopi, munificentiam illam, non vno beneficio, cum ab optimis regibus, tum a Szétsénio, auctas fuiſſe, conſtat. Atque habent omnino, vnde viuant, non modo ſine querela, ſed etiam commode. Enim vero, ſeptem in ditione vicos numerant, opimos ſane, & amplorum redituum. Sunt nimirum: *Alsó*, & *Felsö-Jánok*; *Bóldog-Falua*; *Diószög*; *Nagy-Magyar*; *Tárnok*; & *Ujhely-Ióka*. His moderandis, virum præficiunt, ex præci-

consummat Lossius:

templum:

turris:

cœnobium:

moniales:

quorum beneficio profecerint:

earum poſſeſſiones.

g.) Supra, Hiſt. Vrbis Piſon. Capite v. Artic. vi. Num. viii. §. xxvii.

præcipua nobilitate, qui non modo iuribus ſuis, ſollicite adtendat, ſed prouideat etiam, ne quid e reditibus, vel intercidat, vel male collocetur. quo munere dum hæc ſcribimus, EMERICVS CSIBA, *de Nagy-Ladan* vir laudatæ æquitatis, idemque *Piſonienſium* prætor, & prouinciæ Piſonienſis fiſcus, magna ſacrarum virginum adprobatione, fungitur.

§. XIV.

S. Vrſulæ *Sorores:*

QVia, in commemorandis *Sacris Virginibus* verſamur, res ipſa poſcit, vt ne S. VRSVLAE Sorores, ſilentio prætereamus. Recentiores eæ ſunt in regno, quam reris: quippe, anno demum MDCCXXIII. lege perlata, *(h.)* acceptæ in Hungariam. Reſedit clauſtrum orientali vrbis parte, vltra *Franciſcanorum*, & *Societatis* IESV, cœnobia templaque, opportunitate prorſus eximia. Præterquam enim, quod mœnibus vrbis propemodum hæreſcat, ſecretum eſt ab hominum celebritate, plateis, vtroque latere, decurrentibus; quarum, quæ ab occidente eſt, *Franciſcanos*, & *Ieſuitas*; quæ autem ab oriente, mœnia, ſed anguſtiore, quam prior illa, tramite, a cœnobio ſeiungit. Aedem ſacram, *Auguſtanæ Confeſſionis* ciues, Hungari & Slaui, moderante operas, *Andrea Segnero*, vrbis Conſule, ſuperiore ſeculo, poſt annum MDCXL. excitauerant. Poſtea, cum eorum ſacra, vrbe proturbarentur, familiæ S. VRSVLAE, auguſtali liberalitate, obtigit, quæ huc, elaborante in primis *Leopoldo Kollonitſchio*, immigrauere. Aedes ipſa, quatuordecim circiter orgyias longa, ſeptem vero lata, ab occidentali aquilone, in meridiem orienti obuerſum, protenditur. Teſtudine, pro ædifici modo, ſublimi eſt, & odeo, ſiue cantibus virginum, ſic ſatis idonea, vt quam accepit vocem, congeminet. Eſt enim id, inter pietatis *Vrſulinarum* exercitia, vt ſymphoniacis concentibus, ad ſtuporem vsque ſuauibus, cultum diuinum ſciant honeſtare. Eximium templo decus, turris conciliat, celſo faſtigio, tecto ſupereminens. E materia contabulata tota eſt; verum, multo ære obducta. Recens eſt opus, ideoque, factum, quam olim fuit, elegantius. Hinc, non raro, tamquam e ſpecula per clathros, deſpectant ſacræ virgines. Quia enim prope ad mœnia turris eſt, proſpectum habet, in ſuburbana, longe patentiſſimum. Pone ſacram ædem, cœnobium init, porrecto in meridiem, amplo & ſolido ædificio, quod anno MDCCXXXI. & ſequentibus, Princeps, *Emericus Eſzterházy*, Archiepiſcopus Strigonienſis, vſque in forum frumentarium, ſuo ſumtu produxit: auxitque adeo *Virginum* opportunitates, vt, cum antea frequentes conuixerint, iam ſororum numerum geminare poſſint; ſaltem, plures adſciſcere, quæ ſeuerioris diſciplinæ gratia, ſiue ſuapte, ſiue parentum voluntate, ad cœnobium accedunt. Hæc, anterioris ædificii facies eſt; poſticam nondum exædificauere; adhuc enim, vti erant ciuium domus, quas ſuas poterant

cœnobii ſitus:

ædes ſacræ:

turris:

cœnobium:

h.) Articulo XCVI.

rant facere, exſtant, laceræ eæ, & in ruinam pronæ. Hac ora, & viridarium eſt, egregie cultum, atque oblectandis virginibus, prorſus idoneum. Niſi ciuium ædes aliquot, quæ iſto angulo interſunt, vetarent, in quadrum, moles cœnobii, ex facili coire poſſet. Tum vero, nihil auguſtius, commodius nihil, ſacris Virginibus, obtigerit. Sororum pleræque *Germanæ* ſunt, admixtis ſimul, *Slauicæ*, quin & *Hungaricæ* gentis, alumnis. Factum inde eſt, vt ab his *Moniales Germanicæ*, *Slauicæ* ab aliis, vocitentur. In primis, magno inſunt numero, quæ heic educantur erudiunturque ad muliebres elegantias, vitæ integritatem, & quæ ſunt ſexus eius opera. Quin & *Scholas*, magno puellularum confluxu, ſuo quodam inſtituto, docere, in more habent.

§. XV.

Monſtri, hic emortui, hiſtoria:

DIgredi iam hinc poſſemus, niſi nos, illud concretarum puellarum monſtrum, quod ne exteri quidem ignorant, detineret. Iſto enim cœnobio, pietate CHRISTIANI AVGVSTI, *Cardinalis de Saxonia*, reconditum vixit, emortuumque eſt: *Dabimus* vero eius hiſtoriam, GERHARDI CORNELII DRIESCHII, viri nobis amiciſſimi, verbis: „ Sunt, inquit, *(i.)* „ in Comitatu Comaromienſi, in terris Illuſtriſſimi „ Zichii (pagus Hungaris Szöny dicitur) a Parentibus colonis, qui„ bus ſua vita conſtat, dum hæc ſcribo, Anno CIↃ. IↃCCI. VII. „ Kalendas Nouembreis procreatæ in lucem duæ filiæ gemellæ, po„ ſtica parte, qua ſpina dorſi deſinit, concretæ, ſic, vt altera alte„ ram ſequi, quo ſe cunque vertat, cogatur, cetera, haud defor„ mes aſpectu, niſi concretio illa corporum, prodigium efficeret. „ Binæ ſingulis manus, totidem pedes, & capita, nec non corpo„ ra: Suus membris omnibus vſus, rationis multo etiam, quod mi„ rere, certior; vt, ſi ſedentes ſolum videris, neque ſciueris, hic „ monſtri notare nihil valeas. Maiori natu, quæ lucem citius aſpexit „ tribus horis, Helenæ, minori Iudithæ, nomen eſt. Hæc, ante an„ nos circiter tres, ſtupore apoplectico tacta, linguæ modicum ex „ eo, ac bonæ mentis officium impeditum, habuit, ſimplicitatem „ quandam ingenii modo vt redoleat. Illa, animo ſemper integro, „ atque ſpiritu prædita eodem, pudica facie, non inconcinnis mo„ ribus, intuentium in ſe oculos ad miſericordiam commouet, vt„ pote quæ rationis plane compos, ſororis tenerrime amans, nec „ ſtatus ignara ſui, duplicem miſeriam tolerat, ſuam, & iſtius. Du„ ctæ ſunt olim infantes per varias regiones, ac prouincias, Germa„ niam, Angliam, Galliam, Italiam, Poloniam, Batauiam, Auſtriam, „ Morauiam, Hungariam, a Medico Hungaro, nomine *Cſuszio*, qui „ easdem certa pecunia, ad tempus, ſibi a parentibus concreditas,

i.) Hiſtoriæ *Magnæ Legationis Cæſareæ*, quam fortunatiſſimi CAROLI VI. auſpiciis, poſt biennalis belli confectionem, ſuſcepit, DAMIANVS HVGO VIRMONDTIVS, magnus, ad Portam, Orator. Viennæ, MDCCXXI. Lib. I. pag. 41. ſeqq.

„ & elocatas, bona eorundem venia, paterno à ſolo abduxit; vnde
„ trium gentium linguis, Germanica, Gallica, Hungarica, hodie-
„ dum etiam loquuntur; alias, deſuetudine, vſuque interrupto, æta-
„ te præſertim nondum ſatis confirmata, omnino dedidicere. Dux
„ Auguſtus Saxo Cizius, inter Purpuratos LXXII. Patres, a conſtan-
„ tia religionis, timore erga Deum, & caritate in proximum, no-
„ tiſſimus, Archiepiſcopus Strigonienſis, veritus, ne frequentes hæ
„ peregrinationes, puellarum adhuc infantium innocentiæ officerent,
„ ac mores denique illarum, vt fieri non raro aſſolet, plane depra-
„ uarent, pacto, perſolutoque pretio, a medico redemit, & reuo-
„ catas domum ad ſuos, Virginibus, a Diua Vrſula nuncupatis, in-
„ tra Poſonium deinceps educandas, commiſit, neceſſariis ad hoc ſump-
„ tibus, benigne ſubminiſtratis. Ingreſſæ, non diu puerilem æta-
„ tem fuerant, nonusque illis annus agi cœptus currebat, quando
„ harum in diſciplinam Virginum tradebantur. Hic legere primum,
„ ac ſcribere, ea, quæ ad fidem neceſſaria ſunt, mente, atque ani-
„ mo comprehendere, operas manuum exercere varias, acu præci-
„ pue *phrygionica pingere*, denticulatas affabre fimbrias *conficere*,
„ & cetera, quæ ſunt *eiusdem generis*, *edoctæ fuerunt*. Vidi ego,
„ ex illarum operibus aliqua, quæ magiſtras hac in arte feciſſe non
„ pudeat. Receptæ autem ſunt ſacrum hoc in collegium, anno ſe-
„ culi X. die XII. Kalendas Aprilis, ibi XI. manſionis, vitæ XIX. iam
„ plane complerunt. Iſthoc Diuarum contubernium, quod adhuc con-
„ ſtanter incolunt, nunquam poſtea deſeruere. Addita illis e pruden-
„ tioribus virago, quæ indeſinenter adſit, quo velint, ducat,
„ actionibus inuigilet, de quibus reſpondere, ad aliosque referre,
„ ſi neceſſum fuerit, aliquando poſſit. Ex hac, ſcire, quæ cupie-
„ bam, remotis arbitris, nullo negotio percepi. Crediderat nam-
„ que, quod res quoque erat, non curioſitatis gratia, ſed officii,
„ ac boni publici cauſſa, iſta a me rogari; quare, alios omnes ſecedere
„ iuſſi, ſolus cum eadem remanens, vt, quæ his præſertim iuniori-
„ bus aliquot, præſentibus accuratius explicare verecundia illam an-
„ tea prohibuerat, *maiori mecum* libertate, communicaret. Par-
„ tes, quas vel nominare pudor, honeſtasque vetuit, per quas po-
„ tus, ciborumque feces, & reliqua corporis excrementa, (ſit ver-
„ bo venia,) eiicimus, non illis his, quibus nobis, conſtitutæ lo-
„ cis. Illis quidem, vbi nos eas habemus, occluſa ſunt omnia, at
„ inferne, qua parte concretio illa corporum *incipit*, easdem obti-
„ nent vtrique communes. Neque tamen, *cum* neceſſitas alterutram
„ premit ad exonerandum, exempli gratia, *ventrem*, altera ſe quo-
„ que ſentit, tam inutili pondere grauatam, vt ſatisfaciendum ne-
„ ceſſario naturæ ſit: ſed iam huic, iam illi, iſtud imbecillitatis hu-
„ manæ incommodum, perferendum *eſt*, fitque etiam, vt, cum
„ aluum purgat altera, alteri meatus ſit vrinarius aperiendus. Mulie-
„ bria, quæ ſtatis feminas vicibus incommodant, non vno ambabus
„ tem-

„ tempore veniunt. Octidui quandoque interuallo, ac longiori,
„ diſiuncta ſunt. Dum dormit hæc, ſæpe vigilat illa, & in alterius
„ labore, altera nonnunquam quieſcit. Viſa vna potare eſt, aut
„ cibo corpus reficere, cum aliud alia agebat. Sedent, ſtant, am-
„ bulant, iacent ſemper vna, nec ſine incommodo. Non permit-
„ tit, conglutinatio iſta corporum, hæ vti actiones ſeparentur. Si
„ colloquuntur, obtortis faciem collis, obuertunt; ſuauia dant ſi-
„ bi, cum amant, & pugnis impetunt, cum furunt. Donec ſuæ
„ vtrique vires adhuc conſtabant, ſi forte exortæ inter illas aliquan-
„ do diſcordiæ eſſent, hæc, quæ ſe læſam magis credebat, aut for-
„ tem, ſublatam in humeros aliam alio aſportabat. Veruntamen,
„ ingenio miti magis, ac placido ſunt, quam incenſo, aut iracundo,
„ & in communibus malis communem fidem, commune robur, ad-
„ hibent, immiſſam ſibi a Deo miſeriam, fortiter ſuſtinentes. Ante
„ triennium, in graui, ſecundo genitæ, morbo, de quo nonnulla ſu-
„ perius facta mentio eſt, prior nata, ſacris omnibus munita, ad mor-
„ tem quoque feliciter obeundam diſpoſita ab ſacerdote fuit, quia
„ *medicorum* pars potior, credit alia extincta, *aliam haud poſſe*
„ longum *amplius ſupereſſe*. *Id quod probare* ex hoc etiam laborant,
„ quod quoties male vni ſit, quamuis altera non eadem continuo
„ ægrotatione teneatur, anguſtias tamen animi certas, hebetationem
„ ſenſuum, & commotionem quandam viſcerum, in ſe ipſa, experia-
„ tur. Equidem, dubitandum minime reor, quin monſtroſa hæc bi-
„ na corpora, duplici mente, ac ſpiritu regantur. Nam, ſiue cor facia-
„ mus, ſiue cerebrum ſtatuamus animi ſedem, ex vtrolibet idem nul-
„ lo negotio euincitur. Adde, tot actiones multiplices, cogitationes
„ earum diuerſas, ſenſa animi varia, quæ, vt aliud nihil ſit, iſtud
„ pariter nos docent. Vnum præcipue hic admirandum venit, quod
„ commemorare ſuperius, memoria excidit: poſt prodigioſum vide-
„ licet hunc, difficilemque partum natos eſſe matri alios liberos, ex
„ eodem patre procreatos, ſanos, & valentes corpore, ſpecie, ac
„ forma, integros, qui monſtri nihil admixtum habeant. *Hactenus*
„ DRIESCHIVS. *Medicus vero lucripeta, qui circumductabat monſtrum, his icona verſibus explicuit:*

Corpora binarum ſic concreuere ſororum,
Nonniſi diuina diſſocianda manu,
SZŐNY, *patria eſt, vicus* COMORAE *conterminus arci*
Quæ numquam Lunæ paruit Imperio.
Amplexa eſt vlnis Helenam *Lucina priorem*
Horis deinde tribus nata Iuditha *fuit.*
Exitus vrinæ patet vnicus, vnicus aluo,
Obſeruant numerum, cetera membra ſuum.

Mortuæ ſunt ſorores, anno MDCCXXII. diſſectæque a medicis, vt naturæ aberrationes notarent; ſed, quorum poſtea, quas edere para-

parabant in publicum, obſeruationes, nuſquam adparuerunt; magno ſalutaris artis, anatomiæ potiſſimum, detrimento. Ita ſunt homines!

§. XVI.

Collegium Societatis Ieſu: *eius conditor:*

VIcinum, *D. Vrſulæ* ſororibus, *Collegium Societatis* IESV, adſedit, vnius, quod diximus, plateæ intercurſu, diſcriminatum; altius tamen ſubſtructum, *Virginum* cœnobio. Iacta eius fundamenta ſunt, anno MDCXCIX. *Leopoldi a Kolonitſch*, Archiepiſcopi Strigonienſis, liberalitate: profecitque opus breui ad eum modum, vt iam optimo iure, in præcipuis Hungariæ collegiis, cenſeri poſſit.

forma & poſitio:

Forma eſt propemodum quadrata; recto enim angulo in orientem deſinit, & hinc aduerſa fronte, prætorium Archiepiſcopale; illinc perpetuo, in aquilonem, latere, *Monialium D. Vrſulæ*, cœnobium in obtutu habet. Qua *Franciſcanorum* ædem proſpicit, cæco antehac pariete, definiebatur, qui iam, noſodochio eiusdem familiæ, obſtructus eſt. In occidentem, *Gymnaſium* partim, partim templum S. SALVATORIS, connexum habet. Adſurgit, mole alta, & contignationibus quatuor, valido *inſtructis muro*. *Intus*, munda ſunt omnia, & opportune diſcreta: quodque a numeroſis coluntur ſociis, nihil heic triſte, & quod ſolitudinem referat, obſerues, Diximus, ædem ſacram S. SALVATORI dedicatam eſſe, quam

primi Conditores:

conditores Auguſtanæ Confeſſionis addicti, a SS. Triade denominauerant. Superſunt verſus:

Sancta Trias, domus hæc. Tibi ſancta eſt, numine nomen.
Et tua conſerua, dogmata, ſancta Trias!

quos hodieque legere poſſis. Eduxerant eam, ciues, ſuo, & corrogato vndiquaque ſumtu, operas *Daniele Karnero* moderante, ea ſolertia, vt, cum anno MDCXXXVI. vere ineunte, fundamenta cœperint iaci, ſequente poſt anno MDCXXXVII. menſe Decembri, ſolemni ritu, habitisque ad populum concionibus, dedicari potuerit. Relatum accepimus, eodem die *Dominico*, quo templum inaugurabatur, quidquid eccleſiaſticarum eſt *functionum*, peractum fuiſſe: habitus, nempe, ad populum ſermo; adminiſtratum *Sacramentum Altaris*; initiatus *S. Baptiſmate* infans; copulati noui coniuges; denique, emortualis, funere deducto, concio, inſtituta. Triginta & quatuor annis, in poteſtate templum habuere, A. C. addicti ciues; dum anno MDCLXXII. iuſſu LEOPOLDI M. eius poſſeſſione decederent. Tunc vero, *Leopoldo Kollonitſchio* elaborante, *Societati* IESV, per manus traditum eſt. Dici nequit, quos motus res ea conciuerit apud ciues, dum benignitate *Cæſaris*, penitus conſopirentur. Eadem illa tempeſtate, Gymnaſium quoque *Ieſuitis* ceſſit: *Andreæ Segneri*, Conſulis Poſonienſis opus, cuius ille inaugurationem, numo proſequutus eſt memoriali, altera quidem facie, equum *Troianum* referente, inſcriptionem altera, ad hunc modum:

Gymnaſium:

Sed



Sed, ad templum redeamus. Situs id, non minus, quam ipſa ſubſtructionum moles, nobilitat. Præterquam enim, quod pone vrbis curiam, a qua intermiſſa platea dirimitur, ita inſedit, vt frontem foro obuertat; tanta eſt latitudine, vt ſint, qui, cum *Vlmenſi* Baſilica, conferri poſſe credant, licet longitudine ei ſit poſtponendum. Interne trichorio inſtructum eſt, tanta amplitudine, vt eundem auditorum numerum vtrobique, ſupra & infra, capiat. Eſt & muſicis, atque pubi ſcholaſticæ, ſuus locus, ea parte, vbi *organon* reſedit. Tametſi vero ad eum modum, ſubſtructionibus, offerta ædes eſt; luce tamen gaudet liquida; obtutu autem nihil non auguſtum refert, & venerabile. Iſthic, *Cardinalis Kollonitſchius*, ſepeliri voluit. credo, vti ſuam erga *Societatem* IESV propenſionem teſtaretur, honoraretque templum, *quod ille*, Societati, a LEOPOLDO Cæſare, impetrauerat. De eo funere, auctor *Purpuræ Pannonicæ: Corpus*, inquit, *quarto Aprilis, vt ſupremis tabulis ſtatuerat, naui* Poſonium *deuectum, in templo* S. Saluatoris. *(quod etiam poſt fata ſe defenſurum aiebat,) ſine funebri pompa, more Societatis* IESV *religioſorum, in crypta conditum eſt.*

templi Situs:

& interiora.

§. XVII.

HVcuſque templa vidimus, maiora ea, & numeroſæ concionis capacia. Sacella, *Capellas* vocant, nunc videamus. In his princeps illud eſt, quod Archiepiſcopalis curia habet, S. LADISLAO, Regi Hungariæ, dedicatum, neque tam laxitate inſigne, quam antiquitate. Sunt enim, qui haud ſine ratione exiſtiment, coæuum eſſe inſtitutum, vrbico *Xenodochio*, quod eiusdem S. Regis nomine inſignitum, pro porta *S. Laurentii*, viſitur. Inſtaurauit opus, ſeculo ſuperiore *Georgius Lippai*, Antiſtes Strigonienſis. quod errori locum fecit, vt putent non plane nulli, primum fuiſſe ſacelli conditorem. Eſt & in platea *S. Michaelis*, vetuſtum ſacrarium, *S. Catharinæ*. Ciſtercienſis ordinis fuiſſe antiquitus, ferunt. Quin & id confirmatum nobis eſt, totius vrbis, antiquiſſimum id eſſe. quod, ſicuti in dubium vocare nolumus; ita adſerere non habemus: cum deficiant nos, priſcæ illius ætatis teſtimonia. *Ius* certe *Patronatus*, quod dicimus, penes ciuicos magiſtratus eſt; ſacrorum procuratio, penes *P. P. Capucinos*. qui diutius, ad hanc ædem, hoſpitabantur: dum, excitato, in ſuburbiis, monaſterio, iuxta & templo, ſedes perpetuas occuparent. Neque ſilendum eſt, *Corporis Chriſti*, inſigne illud *Sacellum*, quod, cum eleganti commodaque domo, in longo vico ſitum eſt. Huius quoque procuratio, ad vrbis magiſtratus adtinet,

Sacella *vrbis minora:*

S. Ladislai, *in prætorio Archiepiſcopi:*

S. Catharinæ, *in vico Michaelis:*

Corporis Chriſti, *in longo vico.*

eſtque, cum ædium, & vinearum beneficio, coniunctum. Quod *patronatus iure*, iidem magiſtratus, his, ex ſacrorum virorum ordine, conferunt, quos digniſſimos eſſe cognorunt. Beneficium S. ANDREAE, quod ad flumentaneam portam eſt, & domui *Paullinorum* inædificatum ſacellum, nominauiſſe ſuffecerit.

§. XVIII.

Domus Sacerdotum:

TEmplis, domus ſuccedant, *Sacerdotum*: quod his quoque, iura ſunt peculiaria, & connexa cum ſacrarum ædium priuilegiis. Exordiemur autem, a *Prætorio Archiepiſcopali.* Tenet

prætorium Archiepiſcopale:

id, vrbis eam partem, quæ olim forum habuit frumentarium, atque, vltra ciuicam curiam, ad orientem vergit. Fronte ad ſeptentriones proſpicit, obiacetque *Ieſuitarum collegio*, area paſſuum plus minus centum, intercurrente. Vaſtum eſt ædificium, ſed duarum admodum contignationum, conclauibus, omni ædium parte, circumeuntibus. Splendida ea ſunt, & regum olim hoſpitiis frequentata *(k.)* quod indicio eſt, *nil quidquam* ei ad magnificentiam deeſſe. Plures, *in* ornando ædificio, elaborauere *Archiepiſcopi*; *ſed*, *an* quisquam Principe EMERICO, quem toties nominauimus, diligentius, ambigo. In-

eius ſitus & opportunitates:

tus certe, gradus, more factos vetere, noue, in propylæum *vſque* ſuperius, ſubduxit; diſtinxit palatia, & cultu, inueſtiuit, vti non abhorrente ab elegantia ſeculi; ita digna, *Pontifice Strigonienſi.* In primis, ad prætorii ornamentum adtinet, quam fronti ædificii præſtruxit, porticum. Innititur ea columnis, e quadrato lapide, poſitis; ambiunt vndiquaque feneſtræ luculentæ. Ex ſitu nouæ molis conieci-

principis Emerici, *in inſtauran-do, magnificentia*:

mus, pietatis cauſſa factam eſſe. Nempe, aream, quæ intereſt, inter Archiepiſcopalis prætorii frontem, & vrbanæ curiæ terga, ad trianguli, ſed oblongioris, formam, ferreis clathris, multa elaboratis arte, con-

S. Iohannis Nepomuceni *ſtatua*:

cludi curauit EMERICVS. Huius medio, S. IOHANNIS NEPOMVCENI, ſtatua poſita eſt. olim, *a Chriſtiano Auguſto*, *Cardinale de Saxonia*, rudi opere, ex voto tamen, excitata; nuper autem, *Principis Eſzterházii* prouidentia, opere *inſtaurata* ſumtuoſiore. Eminet, ſaxo candido, & ſcite vermiculato. Qua pes inſiſtit ſtatuæ, laxe diffunditur opus, molli porrectum altitudine. Huic ſimulacrum impoſitum eſt, S. IOHANNIS ἀνυθέσιν referens. Circumſunt genii, fimbriis & pedibus, varie aduoluti, diuum quaſi ſubleuantes. Sunt, & lampadum miniſtri, arte facti, qui lychnos perpetuis noctibus ardentes, ſuſtentant.

areæ, in qua poſita eſt, amœnitas:

Reliqua area, quæ ſtatuæ circumfunditur, leui graminoſoque ceſpite, ſtrata, & poſitis, ad regulam, arbuſtis pini, interſtincta eſt. Quæ, cum virent, ſacrum aliquem lucum diceres, ita aduertunt oculos animosque adſpectantium. Augent hanc obtutus gratiam, parietes, gemino latere, in angulum coeuntes. Picti enim ſunt, quam longe

pietatis, hic eduntur, ſignificationes:

porriguntur, artificio non vulgari. Hæc vero omnia, ad eum finem in-

k.) Vide, Vrbis Piſonienſis, Cap. v. Art. i. §. ii.

inſtructa ſunt, vt *S. Iohannis* memoria, eo recolatur ſolemnius. Ac videas omnino, frequenti choro, qui ſub porticu coit, diem onomaſticum huius diui, in hebdomadas ſingulas, ex inſtituto *Archiepiſcopi*, concelebrari. Nempe, in quem hebdomæ diem, annua eius recordatio incidit, eum poſtea, & ſymphonia honorari, & factis, ad ſtatuam, a Sacerdote, deprecationibus, inſignem eſſe voluit. Quæ ſolemnia, ſi incidant in dies ſacros, magna plebis celebritate obeuntur.

prætorii habitus:

Ceterum, prætorium ipſum, gemina aditur porta, anteriore altera, quæ *Ieſuitarum Collegium* adſpicit, altera, quæ in plateam longam exit: poſticam hanc; decumanam illam, dixeris. Intus, area, ſic ſatis ampla eſt. Illud incommodum accidit, quod, qua orientalis domus angulus, in plateam deſinere debuerat, ædes inſideant vrbicæ. quas, dum hæc ſcribimus, *Comes Alexander Karoli*, repræſentato, viduæ *Kolonitſianæ*, ære, ſuas fecit. Enim vero, ſi ea parte augeretur prætorium, modum indipiſceretur, regiæ haud abſimilem. Sed, quando

quando in Archiepiſcoporum venerit poteſtatem.

Archiepiſcoporum, domus hæc, facta ſit propria, nemo me hucuſque docuit. Non dubitant aliqui, eius poſſeſſionem, Sacello S. LADISLAI, *quod ei ineſt*, *coæuam facere*: quod *iam non vacat diſputare.* E duabus coaluiſſe *ædibus*, *ex diuerſo*, anterioris & poſterioris partis habitu, coniicias.

§. XIX.

Vicus Sacerdotum:

VIcus Sacerdotum nunc memorandus eſt, quem vetere adpellatione, vulgus Germanicum, *Die Pfaffen-Gaſſe*, Hungari *Pap-Útza* vocant. Porrigitur is, *a D. Martini* æde, longo, in aquilonem, tramite, inſideturque a domibus, quas ſacerdotes incolunt. Præcipua harum eſt, quam a domicilio Præpoſiti, *Præpoſituram* dicunt. Adhæſit cœmeterio, ſub aquilonem, orientali vici latere, quodque loco ſita eſt edito, pulchre, ſuper alias eminet. Mo-

Præpoſiti *ædes*:

nuimus iam, opus fere *Hieronymi Balbi* eſſe, tametſi, & *Georgius* Præpoſitus, MATTHIAE Coruino, & BEATRICI, eximie charus, multum in hac ſede antiſtitum ornanda, iam antea elaborauerit. Ei profecto, viridarium, quod adſitum habet, ferendum in acceptis eſt: quippe qui, id, a *Coruino*, & huius coniuge, impetrauit, vt reuulſis, a fundamento, tribus ædiculis, hortum poſſet inſtruere. Poſt horum ætatem, ea fuere tempora, vt ſatis haberent *Præpoſiti*, ſi ſartam tectamque domum, ad poſteros transmitterent: donec, EMERICI *e Comitibus Csáky*, *de Kereſztſzeg*, S. R. E. Cardinalis, Archiepiſcopi Colocsenſis, & Præpoſiti Piſonienſis nuperi, ſumtu, eleganter, & ad omnem commoditatem, inſtauraretur. Habet conclauia, ne viris quidem principibus, adſpernanda; aream amplam, firmo muro, ab occidente, quorſum & feneſtræ proſpiciunt, incinctam. Inde, *Cano-*

Canonicorum *domicilia*:

nicorum domicilia ſeſe excipiunt; tunc iſthic poſita, cum permutatis iuribus, ex *Weidricenſi* vico, huc immigrauit *Capitulum.* Tredecim earum

earum numerauimus, has illis, opportuniores. Eodem hoc vico, & *Parochia* inædificata est, vetusto opere, sed ad habitandum idoneo. Accedit ad commoditatem, viridarium, angustum id quidem, pro loci portione; sed tamen, eo amœnius, quo sunt rariora intra vrbem, vireta.

vrbica parochia.

§. XX.

Collegium Iesuitarum *superius:*

a Pázmáno *fundatum:*

HIc, & *Iesuitarum Collegium*, vetustius illud, insedit, fronte *Præposituræ* obuersa, latere autem hærescente cœmeterio *D. Martini. Superius*, a situ vocamus; sicuti alterum illud, quod prætorio Archiepiscopi obiacet, *inferius*. Pázmánii *Cardinalis* institutum esse, tunc *(l.)* memorauimus, cum actus, liberalissimi antistitis, data opera, recensebamus. Alit, ad *Residentiæ* modum, socios pauciores, quibus tamen, sacras habendi conciones, in æde *D. Martini*, pridem, ab *Archiepiscopis*, facultas adtributa est. Antequam *Pázmániana fundatione* perfruerentur, Cæsarea altos fuisse liberalitate, ex indicibus *(m.) Cancellariæ Cameræ Aulicæ*, didicimus. Verba sic habent: *Iubente Cæsarea resolutione, de dato XXXI. Iulii, MDCXXIII. Patribus Societatis* Iesv *Presburgi, ad illorum sustentationem, singulis annis, CCC. floreni, ad arbitrium & placitum tamen, persoluendi, concessi sunt.* Colligas hinc, iam tum, in magna existimatione fuisse Pisoniensem *Societatem* Iesv, quam annis retroactis extra modum adflixerat *Bethlenius.* Inest Collegio, *Officina Pharmaceutica*, vix vlli, tota vrbe, siue copiam, siue præstantiam pharmacorum spectes, secunda. *Mumiam* hic obseruauimus, cum paucis comparandam. Statura est erecta, longitudine fere quinque pedali, capite rotundo, oblongo collo, toroso pectore, lumbis laxis, strigosis pedibus, & membris, præter brachia, quæ lignea sunt, integris. Color ei, ex more, ater, dentes candidi, facies hilaris, & quod fictiles ei sunt inducti oculi, composita ad iucunditatem. Ornata est vestitu Aegyptiaco, habetque, & caput redimitum, & auriculis adpensa monilia. Sed & corpus reliquum, ad eum modum amictum est, vt principem feminam mentiatur. Conditorio, quod liquidissimo vitro, præcluditur, superne inscriptum legas:

erga id Cæsaris liberalitas:

officina eius pharmaceutica, qualem habeat Mumiam.

CLEOPATRA
SALADINI AEGYPTII
FILIA.

Infra, istud distichon adscriptum est:

Mortua sum, non sum, quondam regina Canopi,
Mors vitam rapuit, pharmacopœa dedit.

§. XXI.

l.) Vrbis Pisonienſis, Cap. v. Art. vi. §. xxiii. fine, & §. xxiv. tota, vbi *Diploma* legas.

m.) Adnexi sunt, *Decretis, Diplomatibus, Priuilegiis*, quæ, in fauorem *Religionis Catholicæ*, & Catholicorum, emanarunt &c. p. m. 294.

§. XXI.

S. Emerici *Seminarium:*

VNica, inter Collegium isthoc interserta domo, *Seminarium* est S. Emerici. Fuit *Emericus*, aliis Henricus, S. Stephani vnigena, regno destinatus, quem ille ex *Gysela* susceperat. Adoleuit mira piitate, quam non est opus recognoscere: quippe, scriptoribus passim celebratam. Insigni in eum Hungarorum propensione factum est, vt nomen non tantum, innocentissimi adolescentis, lubenter adsciscerent; sed dedicarent ei passim, cum ædes sacras & cœnobia, tum instituta etiam alia. Exstat eius obseruantiæ, in vrbe nostra, monumentum, ab *Emerico*, vti honoraret *Emericum*, seculo superiore, auspicato positum. Fuit is Emericvs Lossy, Pázmáni, in Archiepiscope, successor. Exstat eius dedicationis memoria, ædium parieti, vncialibus litteris, inscripta. quam in vita *Lossii (n.)* memorauimus. Aluntur in seminario, *Clerici*, nigro amictu, vt institutum referant, sese discriminantes. Operantur autem, *Patribus S. I.* moderantibus, cum *Philosophiæ*, tum in primis *Theologiæ.* Domicilium, quod colunt, commodum est, habetque, præter clericorum conclauia, acroaterium, & diætam, sic satis amplam. Liberalem eis conuictum, a conditore destinatum accepimus; regulis tamen circumscriptum, ne beneficio abutantur. Qui documenta sui dedere, & tempus præstitutum, extraxere cum laude, dimittuntur ad altiora studia, dum matureſcant ad *ordines sacros* capessendos.

ab Emerico Lossio *institutum:*

Clericorum, qui isthic educantur, occupatio.

§. XXII.

Domus Paullinorum:

IN ea platea, quam longam vocant, eo quod, a porta flumentanea, vsque ad Laurentianam procurrit, domus est *Ordinis Fratrum Eremitarum, S. Paulli Primi Eremitæ*, insigni prorsus libertate donata. Diu est, cum in possessionem eius venere Fratres. Iam tum enim, anno MCCCCLXX. a *Ladislao de Rozgon*, partem alteram pignori; ac postea, ab *Helena*, filia *Georgii de Rozgon*, Comitis Pisonienſis, quod domus erat reliquum, adfirmante liberalitatem, Matthia Coruino, dono acceperunt. Iuuat, donationis memoriam, verbis Annalium *(o.)* expressisse: *In Hungaria*, inquiunt, *Magnificus Dominus* Ladislaus de Rozgon, *Thaumaturgæ Virgini de Thall gratificaturus, dimidium domus suæ, amplæ & honestæ, in platea longa, ciuitatis Posonienſis, cum omnibus libertatibus ac iuribus, inscripsit. Alterum eius domus dimidium, successu annorum, a Domina* Helena, *filia Magnifici Domini* Georgii de Rozgon, *Comitis Posonienſis, eidem gloriosæ Matri, & Fratrum vsui, collatum est; adsentiente, & confirmante* Matthia, *qui inter cetera, hæc litteris illis inseruit:* ob puram, & sinceram deuotionem, quam ad B. V. in cuius nomine dictum clau-

cui in acceptis ferenda:

annalium Eremiticorum verbis, docetur:

n.) Supra, Cap. v. Art. vi. §. xxvii.

o.) Leguntur ea, *Annalium Eremi-Cœnobiticorum*, Lib. ii. Cap. xxvi. p. 233.

ſtrum fundatum exſtitit, gerimus; tenentes indubie, quod ea, quæ Eccleſiæ, & earum ſubditis, ſeu Chriſti miniſtris, pro commodis, & vtilitatibus, victu & ſuſtentatione eorundem, elargimur, pro eis inæſtimabilia, ab æterno rege, præmia accipiemus præoptata. *Hactenus annales.* Intemerata inde, *Fratribus Paullinis*, domus fuit vſura: præterquam, quod interceſſerit, cum vrbis magiſtratibus, ſemel atque iterum, litis quidpiam, ob libertatis, quemadmodum interpretabantur, nimietatem. Proinde, ne quid damni facerent *Fratres*, publicis comitiis, quæ in annum MDCXLIX. inciderant, iniurias queſti, facile, cum a Rege, tum ab Ordinibus, obtinuere, vt lege lata, priuilegia, quibus fruebantur, eis confirmarentur denuo. Ea lex *(p.)* ſic habet: *Quoniam Domus Fratrum Ordinis Beati Paulli Primi Eremitæ, in Ciuitate Poſonienſi conſtituta, libera & exemta eſſet, ac in eadem memorati Fratres, ab olim, educillum vini habuiſſent: Aequum proinde cenſent Status & Ordines, vt toties fati Fratres, illa libertate Domus, & conſequenter educilli continuatione, ſemper futuris etiam temporibus, non obſtante abuſiua ciuitatenſium prohibitione, vti poſſint.* Neque poſtea motum eſt quidquam controuerſiæ, *ob iura educilli*; dum nuper, nec inopinatæ *lites*, exardeſcerent, *ob fugitiuum*, neſcio quem, a centurione vrbico, ex ædibus Fratrum, protractum, an intus verberatum; qui tamen fluctus ſuapte conquieuerunt. Ipſa domus, laxa eſt, & ad omnem facta opportunitatem, coliturque a vario artificum genere, qui, ne tributi quidpiam in publicum conferant lubenter iſthic, maiore etiam, quam per vrbem, cenſu, redimunt hoſpitia. Sacellum, quod habet, iam meminimus.

lites, ob domus priuilegia, cum vrbicis magiſtratibus:

lex ideo lata:

ædificii ratio.

§. XXIII.

IN vrbe hucuſque verſabamur; nunc in ſuburbium prodibimus. Sunt hic quoque ædes, cœnobiis obſeſſæ; ſunt & domus aliæ, ſacris vſibus, deſtinatæ. Olim, duo, extra vrbem, *Parochialia* templa fuerunt; alterum *S. Michaelis*; *S. Laurentii* alterum. Vtrumque, *Mohátſiana* clades obliterauit, quemadmodum diximus *(q.)* alibi. Ergo ſupereſt, vt hodiernas ædes, cœnobiaque, recenſeamus. Primum eſt, *Fratrum Miſericordiæ*, orientali ſuburbiorum parte, medio fere, inter S. Michaelis, & S. Laurentii portas, interuallo, excitatum. Venere ad vrbem fratres, GEORGII SZELEPTSÉNII, poſtea *Archiepiſcopi Strigonienſis*, prouidentia, anno MDCLXXII. quinto *Idus Apriles*, huc deducti. Viderat ille, cum apud exteros verſaretur, miratusque eſt ſæpius *Fratrum*, in curandis ægris, ſolertiam. Itaque, non putauit committendum, vt ſacro hoc ordine, careret *(r.)* *Hungaria.*

Aedes, in ſuburbio, ſacræ:

priſcæ:

hodiernæ Fratrum Miſericordiæ:

inſtituti auctores:

Pro-

p.) Artic. LXXXIX. expreſſæ: *Fratres Ordinis B.* PAVLLI PRIMI EREMITAE, *libertate Domus ſuæ, in ciuitate Poſonienſi habitæ, ac Educilli, continuatione, vtantur.*

q.) Periodo Vrbis *Hungaricæ*, ſiue Cap. III. §. LIV. p. 190.

r.) Inualeſcere iam Ordo incipit. Præter *Piſonienſe* enim Cœnobium iſtud; *Agriæ* quoque; *Várallyæ* apud Scepuſios; atque *Peſtini*, ſedes Cœnobiaque poſuere. Et *Agrienſis* quidem conditor, *Gabriel Antonius e Comitibus Erdödy*, loci epiſcopus, fuit. qui anno MDCCXXVI. area, ſuo coemta ære, vbi cœnobium adſurgeret, ſequente demum anno, Cæſaris implorata venia, fundamenta futuræ molis, iecit. At, *Várallyenſe*, antiquius fuit inſtitutum, a *Fratribus Poloniæ*, annis retro LXXX. adminiſtratum. qui anno MDCCXXX. Pontifice Romano, & Generali Ordinis, adnuentibus, ſed *Lubomirskyo* etiam, loci domino, indulgente, in Poloniam demigrarunt: colonia, *Fratrum Germanorum*, Piſonio illuc deducta. Denique, *Peſtienſi* Cœnobio, *Militare*, quod illic magno ſumtu exædificatum eſt, *Noſodochium*, occaſionem dedit, cœpitque frequentari a Fratribus, ita volente *Conſilio Bellico*, anno MDCCXXXI. dum anno ſequente inſtrueretur penitus. De ſingulis, ſuo loco fuſius. hæc iſthic adtexuiſſe, haud tæduit.

Proinde, aperit LEOPOLDO Cæſari, conceptam animo deſtinationem, facileque obtinet, vti *Fratres* Piſonium inducerentur. Accepta indulgentia, ſuo mox ære, *Csákiorum Comitum* ædes, redimit *Szeleptsénius*, inſtruit ad cœnobii modum, dum ſe daret occaſio, lautioris condendi ædificii. Additum iam tum fuit nouo cœnobio, *Noſodochium*, quo ægri, ex more, acciperentur. Inter hæc initia, annis viginti ſubſtitere res cœnobii. Anno demum MDCXCII. *Iohannes Maholány, L. B. & Perſonalis Præſentiæ Regiæ in Iudiciis Locumtenens*, templum, mira liberalitate, nupero cœnobio, coædificauit. Id, ſimul conſummatum eſt, *Kollonitſius* Cardinalis anno MDCXCIX. ædes *Maholánianas*, meridionali templi latere, laxiore cum horto poſitas, repræſentato *quatuor millium florenorum*, ære, *Fratribus* comparauit. Eo ſpectauit liberalitas præſulis, vt cœnobium illic exſurgeret, factum ex architectonices regulis. Verum, adhæſit deſtinatio, ſiue, quod *Kollonitſius* fatis conceſſerat, ſiue, quod ſeditio ciuilis, *Rákóczii* coorta maleficio, dura difficiliaque Hungariæ tempora, induxerat. Ergo, annos iterum duos & viginti, ceſſandum ab opere *Fratribus* fuit. Tandem, cum eſſent plures, qui inſtituto *fauerent*, anno MDCCXXIII. cœnobii fundamenta poni cœpta ſunt. Inualuit, anni vnius alteriuſue operis, moles, adeo, vt anno MDCCXXVIII. quarto Calendas Decembres, ritu ſolemni, inaugurari potuerit: cerimonias, *Gabriele Antonio e Comitibus Erdödy*, Agrienſi epiſcopo, eo faciente alacrius, quo eſt *Fratribus Miſericordiæ* deditior fauentiorque. Templum antea, turri lignea, anteriori ædis parti inædificata, honeſtabatur. quæ, quod æs campanum ferret, nutare viſa eſt. Igitur, ab imis fundamentis, murum, in eam altitudinem ſubſtrui, annis ſuperioribus, oportuit, quæ vltra tecta ſacræ ædis, promineret, eſſetque idonea ad grandiora etiam æra campana ſuſtentanda. Faſtigata eſt ſplendide, haud tamen ſublime. Vtroque templi latere, quaſi alas porrigeret, vaſto ædificio cœnobium protenditur. Huius meridionali parte, noſodochium eſt, numeroſioribus inſtructum lectis, & ad palatii modum, luculenter factum. Quod inde, verſus ædem ſacram, gemino ædificii ordine, retorquetur, *Fratribus*, opportune accipiendis, deſtinatum eſt: tametſi & primores, non raro, iſthinc hoſpitentur. *Gabriel*, certe, cuius nunc meminimus, vti eſt *Fratrum Miſericordiæ* amantiſſimus, lubenter in hoc cœnobio diuerſatur; ſed nec dubitat, ægris quandoque miniſtrare. Quod

templi:

turris:

& cœnobii, habitus:

vltra templum, pari mole, in aquilonem abit, vti nuper admodum conſummatum eſt, ita ære locatur ad inhabitandum, quibus iſthic placet colere, quique cœnobio non modo non ſunt graues, ſed etiam commodi. Atque ita omnino, tota hæc ædificii portio, inſtructa eſt, vt numeroſiſſimæ familiæ, & rei domeſticæ, etiam lautiori, egregie ſufficiat. Id certum eſt, toti ſuburbio, multum gratiæ, monaſterium iſtud conciliare. Perpetua enim fronte, quæ ſe ad paſſus centum quinquaginta exporrigit, vrbem, qua *Franciſcanorum*, & *D. Vrſulæ*, cœnobia inſederunt, adſpectat. Ineſt cœnobio, officina *Pharmaceutica*, ægrorum cauſſa inſtructa. A tergo, vaſtus eſt hortus, & non viridario modo, ſed culinaribus etiam herbis, arboribusque, obſitus. Iſthic ædiculam quoque emortualem ſpectauimus, & admenſum huic cœmeterium.

officina pharmaceutica:

hortus: emortualis ædicula: & cœmeterium.

§. XXIV.

Patres Capucini:

HOs, ætate, *Patres Capucini*, excipiunt: eo quod tardius, & templum exædificauerunt, & cœnobium. Colebant primitus, ad *D. Catharinæ Sacellum*, cuius in vrbe mentionem habuimus; dum ineunte ſeculo, quod viuimus, decimo octauo, in aquilonari ſuburbio, prope ad mœnia, templum iuxta & cœnobium, ponere inciperent, conſummarentque opinione celerius: quippe, patronos paſſim nacti, indefeſſæ liberalitatis. Aedem ſacram prorſus ad eum modum exſtruxere, qui eſt familiaris in ædificando, *Capucinis*; ſi iſtud exceperis, quod nauem quidem eccleſiæ, orienti Soli obuerſam, *ſanctuarium*, in occidentem recedens, habeat. Neſcio, feſtinatisne operis, an male iactis fundamentis, tribuendum ſit, quod ſubſidat templi moles, agatque rimas ſæpius, quas, redintegratas ſemel atque iterum, vidimus. Humilius poſitum eſt, quam id tuliſſet ſoli ſuperficies; quod inde factum accepimus, quia humus, qua egerebantur fundamentorum ductus, minus ſolida, & aggeri, quam continenti, fuit ſimilior: cui rei imputandæ ſunt, frequentes illæ parietum fiſſuræ. At, cœnobii exædificatio, multo, quam templi, proceſſit lentius; temporum credo iniuria. Aeſtuabat nimirum, bello ciuili, Hungaria, *Piſonium* autem toto fere ſeptennio, ita hoſtium impreſſionibus tenebatur circumcluſum, vt obſidionem lentam potuiſſes dicere. Itaque, cum *Patres* vrbe egredi nequirent ad corrogandas eleemoſynas, ægre operas promouebant. quas ſuperioribus demum annis, Princeps Emericvs Eſzterházy, Archiepiſcopus Strigonienſis, prorſus inſigni munificentia, conſummauit. Circuit fere monaſterium, ædem ſacram. Cum enim meridionali eius latere cœpit ſurrigi, facto angulo; latus occidenti obuertit, dum cuneetur iterum, & porrecto ſub aquilonem ædificio, in orientem deſinat. Duabus admodum contignationibus adſurgit, diſtinguiturque, ex more, frequentibus cellis, quas *Patres* incolunt, bene numeroſi. Ea parte, qua

ſacra eorum ædes:

cœnobium:

hortus.

qua templum, atque cœnobium vrbem proſpicit, hortus ab ipſa porticu, iniit offunditurque poſtea monaſterio, per meridiem, & occidentem, donec aquilonari platea, terminetur. Hunc, laxiorem nuper fecerunt, ex ea acceſſione, quæ obtigit *Patribus* ex vicino vrbis horto.

§. XXV.

Ordo SS. Trinitatis:

VIcinum eſt *Capucinis*, Patrum, *Ordinis SS. Trinitatis, Redemtionis-Captiuorum*, cœnobium, & coædificatum ei templum. Acceſſere hi ad vrbem, anno MDCXCVIII. patrocinio *Leopoldi Kollonitſchii*, *Archiepiſcopi Strigonienſis*, adiuti. Priuatis primum ædibus, quas eis in platea *Hungarica*, præſul commodauerat, poſtea vero donauerat prorſus, ad ſignum *Coronæ*, ſe continebant. At, quia domus illa, tametſi laxa, importuna eorum moliminibus futura erat; anno MDCC. ædes ſibi alias, repræſentato ære, comparauerunt, cœmeterio *S. Michaelis* confines. Poſitæ erant, extremo vici angulo, ea prorſus ora, quæ eſt portæ *S. Michaelis*, a Septentrione, aduerſa. Heic ergo, ſacellum primo excitauerunt, humile & arctum, quodque vulgaris *ædiculæ parietibus*, *definiebatur*. *Additæ* mox ædes aliæ, lautiores paullo, quas *Patres* incolerent. Sed a tergo etiam, domum non vnam, deradi oportuit, vt horto ampliori illi, locus fieret. Tria, & quod excurrit, luſtra, ad hunc modum res *Patrum* ſe habebant: donec lege lata, ciuitate Hungarica donarentur, *(b.)* quæ ſic habet: *Ad demiſſam ordinum infra ſcriptorum, coram Statibus & Ordinibus, ſuper receptione ſui in regnum Hungariæ, partesque eidem adnexas, factam inſtantiam, tametſi aliunde etiam auctoritate regia introduci & ſtabiliri poſſent; ad demiſſam, nihilominus Statuum recommendationem, benigno Suæ Maieſtatis conſenſu accedente, determinatum eſt; vt religioſi Ordines Fratrum Camaldulenſium, & Sanctiſſimæ Trinitatis de Redemptione Captiuorum; nec non Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei, de Scholis piis, in Regnum iſtud Hungariæ, & Partes eidem annexas, voto tamen & ſeſſione absque omni, pro receptis, ac ſtabilitis habeantur, bonaque fundationalia, pure ſecularia; & liberæ fundatorum diſpoſitioni ſubiecta, iure & titulo duntaxat pignoris, poſſidere valeant.*

quando, & cuius patrocinio, ad vrbem acceſſit:

viridarium:

donatur ciuitate Hungarica:

b.) Anni MDCCXV. Art. CII. magnis iam incrementis *Ordo* inualuit. Primum omnium, *Cœnobium Illauienſe* fuit an. MDCXCII. a Georgio *Szétsnio*, Archiepiſcopo Strigonienſi, ex legato Octoginta mille florenorum, quæ is bonis Illauienſibus commodarat, fundatum. Hæreditarius ditionis, herus, *Comes Sigefridus Chriſtophorus* Breüner, in poſſeſſionem bonorum a Patribus, admiſſus, non annuos modo cenſus ex æquo dependit; ſed adiecit etiam ex ſuo, octo florenorum millia, ſubſtruendo templo; quin & rudus veteris arcis, exædificando cœnobio, aſſignauit: vt iam optimo ſuo iure, Cœnobii fundator audiat. Hinc demum Patrum Coloniæ *Piſonium*, anno MDCXCVII. *Tyrnauiam* an. MDCCXII. *Comaromium*, anno fere MDCC. *Albam Carolinam*, anno MDCCXVI. *Agriam* anno eodem; *Belgradum*, poſt annum MDCCXVIII. *Sáros-Patakinum*, vbi anno MDCCXIV. interruptas molitiones, anno demum MDCCXXVII. inſtaurare cœperunt. Ex quo Hungariam ſubiit ordo, hoc eſt, ab anno MDCXCI. vſque ad an. MDCCXXX. captiuos a Turcis & Tartaris eliberauere, *bis mille quadraginta tres.*

templi historia:

leant. A modo autem in posterum, Collegia & claustra quorumuis religiosorum, sine necessitate Reipublicæ, & benigno Regiæ Maiestatis assensu, non augebuntur. Tum vero demum, & templi, & cœnobii ædificandi, cogitationem potuerunt suscipere. Et templo quidem, pridem cœmeterium *S. Michaelis*, animo destinauerant. Id tamen consilia tardabat, quod eo, ciues *Augustanæ Confessioni* addicti, inde sesqui retro seculo, potiebantur, ne tunc quidem ab eius deiecti vsura, cum toto decennio, religionis eorum exercitium, in vrbe cessauerat. Ergo, elaborandum erat magna sollicitudine, vt locum opportunum adeo, sine iniuria cuiusquam, suum facerent. Suscepit hoc negotii, *Comes Alexander Erdődy*, ærario Pisonienſi tunc præfectus, atque profecit eo vsque, vt induceret senatorum A. C. aliquos, qui cessuros se sponderent, cœmeterii possessione, si locus, religionis suæ hominibus, designaretur, vbi, & commode, & tuto possent humari. Quin & istud rogabant, vt res ea, Cæsare benigne adnuente, gereretur. Recepit, id se, cum patribus, perfecturum, *Erdődius*; at, successu nullo; non, quod operam suam passus sit desiderari *Alexander*; sed quod priuatæ quorundam rationes interceſſerunt. Simul *Patres*, conscio Rege, *suum fecerunt cœmeterium, templi fundamenta*, anno MDCCXVII. *pridie Idus Iunii*, iaciunt, ritu, ad omnem facto solemnitatem. *Patrum* nonnemo: memorialibus his versibus, atque chronologis, rem gestam, prosequutus est. quos heic interseruisse placuit, ne precibus negauisse locum, crederemur.

iaciuntur eius fundamenta:

D. V. T. M.

Hic habuit Michael *sacras* Archangelus *ædes*
Quondam, sed nostrum, quis meminisse queat?
Inde sepulchrales cœperunt esse ruinæ
Lutheri sectæ deteriore malo.
Sed fortuna redux Carolo *sub* Cæsare sexto,
Reddidit has primo religione gregi,
Subsidio vario Triadi *sacer* Ordo Redemptor,
Fundamenta locat, vota iuuante DEO.
Numen adorabit grex Trinum Vnumque fidelis,
Vt prior hic staret, sic Michaelis honos.
Absente Hungariæ Regni Primate benigno,
Principe Purpureo, Saxoniæque Duce
Antistes primum Nitrienſis Adamus ab Erdőd
Pro fundo lapidem consecrat atque iacit.

*** *** ***

CLeMente XI. papaLI DIgnItate InsIgnI.

*** *** ***

CaroLo VI. IMperatore, HVngarIæ & aLIIs regnIs HæreDe regIo.

ChrI-

*** *** ***

ChrIstIano AVgVsto CarDInaLe, DVCe saXonIæ, ArChIepIsCopo strIgonIensI, EpIsCopoqVe IaVrInensI, HVngarIæ gentIs pIo, IVstoqVe patre.

*** *** ***

paLatIno regnI NICoLao páLffI ab erDőD ab aVreo VeLLere, & a seCreto ConsILIo Cæsarls.

*** *** ***

eLeCto InsIgnIorI MInIstro generaLI aLeXanDro.

*** *** ***

sVbstItVto & DeLegato generaLI In hIs regnIs P. MartIno ab AsCensIone.

Pridie Idus Iunii.

Posita sunt sub lamina, *tria numismata, insignita* effigie *Pontificis, Imperatoris*, & *Imperatricis*, regnantium. Creuit postea moles, in annos singulos, dum anno MDCCXXIII. potuerit inaugurari; tametsi concameratione, nondum perfecta. Sub idem tempus, dum exsurgebat ædes sacra, *Cœnobium* quoque ædificari cœptum est; at, segnioribus multo operis, quod sumtus deerant, vtrique molitioni sufficturi. Enim vero, dum hæc scribimus, vnicus admodum ædificii ordo, qui septentrioni obiicitur, exædificatus est, vastus omnino & par, octodecim *Patribus*, cum commoditate, accipiendis. Hac parte, cœnaculum posuere, eleganter substructum. Certatim, summi, & imi, sumtus largiebantur hucusque, quibus Patrum destinationes, promouerentur; at, vix quisquam, siue liberalius, siue lubentius, *Comite Nicolao Pálffio ab Erdőd*, nuper, Regni Hungariæ Palatino; & Comite *Stephano Kohárvo*, dum viueret, *Iudice Curiæ Regiæ.* His certe duumviris, in acceptis ferunt *Patres*, quod tempore difficillimo, eo vsque profecerint. Multum vero, & impensæ, & temporis fuerit opus, dum moles vtraque perficiatur: quando cœnobium quidem, patribus quadraginta sit destinatum; eius vero nondum pars media conualuerit; templi autem apsis interior, supremam itidem manum exspectet. Crucis illud formam præsentat, estque eodem loco positum, vbi olim templum *S. Michaëlis Parochiale* stetit. Frons, portæ vrbis obuersa, gemina turri præstructa est: quarum altera æra campana habet; fastigia autem desunt vtrique. Qua cœnobium desinit, hortus in occidentem diffunditur, subactus nondum, tametsi muro concluſus altiore.

inauguratur, & cœnobium ædificari incipit:

quorum liberalitate profecerit.

§. XXVI.

§. XXVI.

Ordo Crucigerorum Hospitalariorum, *cum rubea stella: quando regnum subiit:*

ORdo *Militiæ Crucigerorum Hospitalariorum, cum Rubea-Stella,* ad memorandum supereſt. Intrauit regnum & vrbem, anno MDCCXXIII. communi Regis atque Ordinum, conſenſione. Et exſtat omnino, inter eius anni decreta, ſanctio, in eum finem *(s.)* perſcripta; quam lectorum gratia, adſcribemus integram: *Ex quo ſacer ordo Hoſpitalariorum, cum Rubea-Stella, per ſedulam hoſpitalium, & Noſocomiorum curam, & adminiſtrationem, in pluribus regnis, & prouinciis, per eundem zeloſe exercitam, magnos Chriſtianæ pietatis fructus, operari comperiatur; nec minorem in hoc pariter Apoſtolico Regno Hungariæ, poſt eiusdem receptionem, ex oblata quoque patriæ Nobilitatis filiorum, in Ordinem ſuum ſuſceptione, & ad functiones, ac beneficia Ordinis, eorundem admiſſione, Fructum, Status, & Ordines, ſibimet merito pollicerentur: Hinc, præuia Suæ Cæſareæ, & Regiæ Maieſtati humillima Supplicatione, & accedente eiusdem benigno aſſenſu, ad demiſſam quoque, coram Statibus, & Ordinibus, eo fine factam eiusdem inſtantiam, ac zeloſam, Eminentiſſimi, ac Sereniſſimi Cardinalis Ducis de Saxonia, Principis, Archi-Epiſcopi Strigonienſis, & Primatis Regni, nec non Venerabilis Cleri Regni Hungariæ, interpoſitionem, determinatum eſt: Vt idem Sacer Ordo, in Regnum iſtud, & Partes eidem annexas, voto tamen abſque omni, pro recepto & ſtabilito habeatur, fundationesque hoſpitalium, & Noſocomiorum, debito modo, & ordine, ac a fundatoribus præſcripta cautione, adminiſtrare; non ſecus, alia etiam bona fundationalia, pure ſecularia, & liberæ fundatorum diſpoſitioni ſubiecta, iure, & titulo duntaxat pignoratitio, poſſidere valeat, filiosque nobilitatis patriæ, aliosque nationales, in Ordinem recipiat, & idoneos, ac capaces, ad beneficia quoque ſui Ordinis aſſumat.* Ita eſt, multum in *Ordine*, prorſus inſinuando Hungariæ, CHRISTIANVM AVGVSTVM, elaborauiſſe. Eius certe liberalitati, in acceptis ferunt, quod iam inſident, cœnobium. *Orphanotropheo* vaſtum illud ædificium, anteceſſores ſui deſtinauerant; at, ſucceſſu irrito; ſiue, quod non ſuffectura videbatur ea pecuniæ ſumma, quam ſuſtentando inſtituto, legauerant conditores; ſiue, quod bellum *Turcicum*, ac ſeditio poſtea ciuilis, remoræ quidpiam iniecerunt. Itaque, ſtetit inane ædificium, & militum fere hoſpitiis frequentabatur. Id vero, vti caueret, *Chriſtianus Auguſtus*, totam eam molem, conſcio & adfirmante CAROLO VI. hoſpitalariis incolendum permiſit. Eſt id, extremo plateæ *Xenodochialis* angulo, prope ad portam, eleganter eductum, atque iis inſtructum opportunitatibus, quas ne lautiſſimus quisque, aſpernaretur. Tres iſthic, ex eo ordine, colunt, ptochodochii curam gerentes. Quos intra parietes receperunt, benigne alunt, amiciunt munde, & ſi male habeant, multa ſollicitudine, curant. Si dicendum, quod res eſt, inſtitutum eſſe putamus, vti honeſtiſſimum, ita de republica præclare merens.

eius potissimum patrocinio:

eorum cœnobium:

inſtituta:

t.) Artic. XCVI.

merens. Quæ vltra cœnobium ſunt, patentiſſimo horto, coluntur. Prolixum relatu eſt, quid anno MDCCXXV. ob iura vrbis adtemerata, menſe Iunio, inter magiſtratus, & Ordinem, geſtum ſit. Conuenit tamen, iubente Cæſare, inter vtrosque, ad eum modum; vt hi quidem, ex inſtituto ſuo, ſecum habitarent; non temerarent, vrbis cenſus iuraque; magiſtratus, contra, vi ſe abſtinerent, neque *Hoſpitalariis* graues eſſent. Relatæ in tabulas conditiones, & vtrinque ſignatæ, mordicus hodieque obſeruantur a Piſonienſibus. Et adtinet omnino ad vrbis perpetuitatem, vt ſe tueatur, neque poſteritatem deferat. Aequum eſt vero, vt nouo, in Hungaria ordini, ciuitatis, cuius iura lege accepit publica, amorem comprecemur.

lis cum magiſtratibus.

§. XXVII.

Xenodochium S. Ladislai:

PAuperum reſtant domicilia, quorum præcipuum eſt, *S. Ladislai* nomine dedicatum *Xenodochium.* Deleuerat id clades *Mohátſiana;* quando metu obſidionis, deraſum, ac propemodum antiquatum eſt. Alumnos profecto, cœnobio virginum *S. Claræ*, quas belli formido, diſſipauerat, inferri oportuit. Aiunt, non eo loco olim ſediſſe, *quo iam viſitur: quippe, quum* ea domus, ad parochiam *S. Laurentii* adtinuerit: Haud tamen poteſt deſignari, priſtina *eius* ſedes, ſicuti neque alterius Xenodochii *S. Antonii Religioſorum Hoſpitalariorum.* Duo enim fuiſſe, veteres nos ſchedæ, docuerunt. Superſtitis huius, ædificium, laxum quidem eſt, & multorum alumnorum capax; ſed humile admodum, atque ita poſitum, vt ſimul rei familiari perquam ſit opportunum. Quia enim, ſui *Xenodochio* agri ſunt frumentarii, vineæque, heic annui fructus, condi ſolent, & diſpenſari. Horum procuratio, vrbani magiſtratus eſt, *Conſulis* maxime, & qui, ſingulo biennio, e ciuium primoribus, ſublegitur, magiſtri, ſeu *procuratoris ptochodochii. (u.)* Nempe, curandum ei eſt, vt quæ ſunt auorum munificentia, ſuſtentandis pauperibus, deſtinata, ea, fide optima, adminiſtrentur, conſerantur agri, excolantur vineæ, reditus, in acceptis referantur, alendis pauperibus, demenſum, opportune tribuatur, & quod eſt curarum reliquum. Exacto biennio, rationes acceptorum datorumque, accuratione, longe exquiſitiſſima, ſubduci moris eſt. Obſeruauimus, æmulari inuicem hos iſtiusmodi procuratores, & diligentiſſime cauere, ne, quem reperere adparatum, ſeu annonæ, ſeu rerum aliarum, arctiorem poſt ſe relinquant. Itaque, ne tunc quidem penuria alumni laborant, cum annus fuit difficilior: niſi forte in ignauum, & incurioſum hominem, rei familiaris procuratio, quod fit, nonnunquam incidit. Vltra *Xenodochii* ædes, horrea ſunt, & cœmeterium, pone autem, ſacellum S. LADISLAI regis, orientem proſpiciens. Ex nomine iſthoc coniiciunt nonnulli, pientiſſimi regis eſſe inſtitutum. quod inficiantur alii: quando veri non eſt ſimile, ſibi ipſi *ſacellum* poſuiſſe *S. La-*

eius habitus:

adminiſtratio penes quos:

S. Ladislai *ſacellum: an ſit fundatoris indicium?*

u.) Vulgo, *Spittel-Meiſter*, dicitur.

Ladislaum. Sed, facile res expediri poteſt, ſi credas, cum omnino tanti beneficii, auctorem fuiſſe. Nempe, Xenodochium *Ladislaus* inſtituit; *Sacellum*, grata poſteritas, tunc forte excitauit, cum rex inter diuos relatus eſt. Sedet *Xenodochium*, in obtutu portæ, quæ a *S. Laurentio* nomen habet, eo poſitu, vt frontem, vico cognomini, in meridiem, latus vrbi ad occiduum ſolem, obuertat. Recentius multo *Noſodochii* inſtitutum eſt, quod a *Lazaro*, vulgo *Lazaretum*, dicunt. Poſuere id *Piſonienſes*, extra vici Danubialis portam, ei fini, vt eſſet perfugio his, qui morbis tenacibus detinentur, neque habent, vbi vitam ærumnoſam, degant. Inferuntur huc, & a mente deiecti, alunturque ſic ſatis commode. Eſt heic quoque *ſacellum*, Aſſumptioni B. MARIAE VIRGINIS dedicatum. Dum hæc commentamur, laxiore ædificio conſulis, prouidentia, atque liberalitate plurium, inſtrui cœptum eſt vtiliſſimum inſtitutum.

Noſodochium pro ſuburbiorum porta:

qui eo ſoleant accipi:

eſt ei Sacellum Aſſumtioni B. V. M. *dedicatum.*

§. XXVIII.

Cœmeteria ſuburbana: S. Laurentii:

RES iam poſcit, vt *Cœmeteriorum* habeamus mentionem, quæ ſunt per *ſuburbia deſignata. Proximum ad Xenodochium* eſt, *S. Laurentii*, foſſæ, qua vrbs præcingitur, ita hæreſcens, vt in eius marginem deſinat. Hic olim *Parochiale templum* ſediſſe, *diximus* ſæpius. Si verum eſt, ædiculam, oſſibus condendis deſtinatam, medio fere cœmeterio, rudus eſſe *ſanctuarii*, eius templi, capi inde poteſt indicium, exilem fuiſſe ædem, dum exſtabat adhuc. Incingitur muro humili, & qui viri pectus vix exſuperet. Altiorem fuiſſe, ante deiectum templum, facile eſt ad coniiciendum: tunc enim, deraſa eius ſummitas fuit, ne, ſeu defenſantibus mœnia, obicem poneret, ſeu occultaret ſubeuntem hoſtem. Aetate ſuperiore, auctum renouatumque fuiſſe, lapis, muro, prope ad portulam inædificatus, loquitur:

ANNO 1667.
COEMETERIVM HOC LAVRENTIANVM,
ET AMPLIFICATVM, ET RENOVATVM EST,
OPERE, MENSE MARTIO INCHOATO,
MAIO VERO ABSOLVTO. *(v.)*

Poſt ſæuam illam peſtilentiam, quæ anno MDCLXXVII. vrbem extra modum adflixerat, rariora huc efferebantur funera; quod iniquiſſimo illo tempore, cadaueribus propemodum obſitum *fuit*, eratque metuendum, ne refoſſa ſepulcra, contagionis quidpiam exhalarent. Ergo, in deſuetudinem venere funera, vt horum fere tantum iſthuc deducantur, qui publico, in vrbis foro, ſupplicio ſunt adfecti, obtinueruntque honeſtioris ſepulturæ beneficium. Olim, libero circumquaque ambitu fuit. hodie, latere vtroque, aquilonari & meridionali, ædibus ciuium obſidetur. Alterum, idque nobilius multo, S. MICHAELIS

S. Michaelis:

v.) Sub hac inſcriptione, teſſera viſitur, quali mercatores vtuntur.

LIS fuit cœmeterium, portæ obiacens cognomini. Robuſto & alto ſatis muro claudebatur, inerantque ei vetuſta non ciuium modo, ſed procerum etiam monumenta, epitaphiis inſignita. Quin & cryptas frequentes habuit, cum inædificatis ſuperne porticibus, quæ inſignia oſtentabant, illic requieſcentium. Quod portæ vicinum adeo fuit, perfugium præbuiſſe *Bethlenianis*, cum vrbem obſidebant, ſupra meminimus. Laxum haud erat; ſed inſeſſum tamen ſepulcris confertiſſimis. quæ demum inædificato templo, cum omni adparatu, deleta ſunt prorſus. Vltra Oratorium eſt, *Auguſtanæ Confeſſionis* ciuium, quomodocunque materiatum, & multo, quam pro hominum copia, anguſtius. Adſidet ei, intermiſſo angiportu, cœmeterium, non tam ſpatio, quam monumentis inſigne, familiarum hodieque celebrium. In his ſunt: *Kuffſteinii*, *Zinſendorfii*, *Ruberii*, *Geyerii*, *Lœbelii*, *Behamii*, *Auerii*, *Reygerii*, reliqui. Extra vrbis pomœria, geminum itidem conditorium deſignatum eſt: S. IOHANNI alterum, alterum S. ANDREAE, dedicatum. Iſtud intra portam vici Danubialis, *Noſodochio* obiacet. In IOHANNEO illo, quod eſt vltra portam *Hungaricam*, vulgus iam conditur promiſcuum, & cui haud ſufficiunt impenſæ, funeribus, cum *ſolemnitate deducendis. quod inde* pretii redit, ad *Conſulem* id pertinet: quippe, cuius eſt, ædificia & loca ſacra, curare, *vt* ſarta ſint tectaque. Neque ſilendi ſunt *Coloſſi*, ſeu columnæ. Plures harum, luſtris ſuperioribus, religionis cauſſa, circa vrbem ſurrectas videas. Prima omnium eſt, ante portam flumentaneam, triangulari mole adſurgens, & *SS. Trinitatis* ſimulacrum referens. OB POPVLVM PESTE LIBERANDVM, mitigandamque cladem vrbis, excitatam fuiſſe, meminimus. quod & ipſa ſtatua Seruatoris IESV CHRISTI, loquitur. Manu, ſcilicet, dextra crucem gerit, ſiniſtra fulmen, aduerſus vrbem, triſulcum vibrat. Altera inter *Capucinorum*, & *Crucigerorum* cœnobia exſurgit, eſtque B. VIRGINIS MARIAE ſtatua inſignis. Ita vero *inſcribitur*: Apoc. XII. v. 1. SIGNVM MAGNVM APPARVIT IN COELO:

AMICTA
SOLE
ET
LVNA SVB PEDIBVS EIVS.

Oratorium A. C. ciuium, cum cœmeterio:

cœmeteria extra ſuburbia:

S. Iohanni, & S. Andreæ *dedicata:*

columnæ per ſuburbia ſacræ.

Tertiam, S. IOSEPHO, pro piſcatoria porticu; quartam denique, in portæ Laurentianæ obtutu, S. FLORIANO, nuper, ob reſtinguenda feralia incendia, quibus anno MDCCXXXI. extra modum adflicta fuere ſuburbia, ſolemni ritu, dedicauerunt, qui id vouerant.

ARTICVLVS II.

De *Aedificiis Vrbis Pisonienſis Reliquis.*

SYNOPSIS.

Aedificia vrbis reliqua: Regia: conſilii Locumtenentialis *ſedes: eius habitus.* §. I.

Camera Hungarica: *eius ſitus: & opportunitates.* §. II.

Prætorium Regni: *quales habeat ſubſtructiones: iam reſtaurari incipit:* Supremorum Comitum *domicilium.* §. III.

Curia *ciuica, vbi inſedit:* turris *prætoria, quemadmodum ſit inſtaurata: æris campani vtriusque dedicatio: eſt turris hæc vigilum ſpecula, & tubicinum chorus: infernate fornice, tabularium repoſitum eſt: ſenaculi interioris habitus: exterioris item:* Cancellaria *vrbica, carceres publici:* Sacellum, *carceribus coædificatum: quando in Curiam ædificium ſit verſum.* §. IV.

Domus viridis: *denominationis ratio: eius poſitio: & ſubſtructiones: fuit olim Comitiorum receptaculum: nuptiarum item ſolemniorum: iam ſacris Bacchi profanatur: Domus* Bayeria *iuribus vrbis accenſa:* Weiter-Hoff: *comœdorum luſtrum: vſura domus alia.* §. V.

Fora vrbis: maius: Silanus publicus: forum minus: ſilanus publicus alter: coloſſus B. V. Mariæ. §. VI.

Vici vrbis: varie propagati: S. Michaelis: *eius diuerticula: ſilanus ſiticuloſus.* §. VII.

Venturia *platea: eius habitatores: atque ædificia: domus* Spindlerianæ *prærogatiua: plateæ, in partem vtramque diuertigia: nominis ratio.* §. VIII.

Vicus longus: eius modus: ædificia procerum: laus Eſzterházianarum *ædium: vici incommoda: plateæ, quas propagat, minores.* §. IX.

Numerus domuum vrbis Poſonienſium: mœnia & portæ vrbis: S. Michaelis *prima:* Vedritziana *altera: Vltima* Laurentiana: *piſcatoria porticus: mœnium ratio: foſſa: palæſtra iaculatoria.* §. X.

Suburbia: eorum vici in aquilonem. §. XI.

In orientem. §. XII.

In meridiem: Collis Regius, *& eius habitus: pars Danubii occidentalis.* §. XIII.

Suburbiorum pomœria: villæ vrbanæ: ruſticæ: fructuariæ: noua, ad patibulum, colonia: Blumenthal *dicta.* §. XIV.

Hortus *Archiepiſcopi Strigonienſis: primus eius conſitor* Forgách: Lippaius *conditor: quæ fuerit horti facies: & quæ iam eſt: viridaria reliqua.* §. XV.

§. I.



Aedificia vrbis reliqua:

Væ deſignauimus hucusque, ſacra fuerunt ædificia: iam reliqua ſpectabimus. Duum hæc erunt generum: *Publica*, & *Priuata*. In illis, *Regis*, quin & *ciuicas* ædes, cenſemus; in his, quidquid, intra & extra vrbis pomœria, propagatis varie plateis, domuum inſedit. Atque, in *Regiis* quidem ædificiis, primo loco nominamus, Consilii Regii *domicilium*, haud pridem, repræſentato ære, eo fine redemtum, vt perpetua in poſterum ſede, & *Conſilium Regium*, & *huius tabularium*, ac, *quæ ſunt* reliqua, accipiat. Subſtruxerat domum *Georgius Paluska*, *de Aranyos Maróth*, ſibi, poſterisque ſuis, ea commoditate, quæ poteſt eſſe exquiſitiſſima. Duas nimirum ædes, orientali fori angulo, commiſſas, ita coædificauit, vt gemina fronte, altera in orientem, in meridiem altera obuerteretur. Vtrobique, poſita porta eſt, quarum aditus, in communem intus aream exeunt, haud ſatis amplam. Quæ ad orientem adſpicit, templum *S. Saluatoris*, & B. V. *Mariæ* coloſſum, in obtutu habet, inſtructaque eſt apſide. quam ſolarium, quaſi murali quadam corona definitum, inſidet: credo religionis cauſſa, vt, ſi quid piarum cerimoniarum, ſiue ad templi ianuam, ſiue ad ſtatuam B. V. ederetur, locum præberet adſpicientibus. Domus ipſa, tribus contignationibus adſurgit. Imam, fornices mercatorii, & opificum tabernæ circum occupant. Quæ vltra hanc adtollitur, ſenaculo, & conclauibus, latere vtroque ſe porrigentibus, definitur. Huc *Regius* ille *Senatus*, toto fere decennio, coibat, antequam Franciscvs Stephanvs, *Lotharingiæ*, & *Barri Dux*, ea, qua nunc eſt, *Locumtenentis Regii*, dignitate, potiretur. Iam enim in ſuburbano eius ſeceſſu, idem illud concilium, vt hoc Ducis daret auctoritati, reſedit. Supremam denique ædium partem, varii ſcribarum ordines, occupant. Laxitatem domus, inde coniicias, quod præter opportuna hæc, quæ inſederat *Regium Conſilium*, habitacula, tantum ſuperabat conclauium, vt herus quoque, dum viueret, quin & miniſteria alia, commode iſthic potuerint degere. Extus, ſpecie eſt magnifica, feneſtris altis, & incruſtationibus, ad Italorum factis imitationem. Sed tecta quoque, imbrice ſunt veſtita, raro hucusque apud *Piſonienſes*, exemplo. Quod aperto foro adtollitur, multum ad eius elegantiam momenti adfert.

Regia: Conſilii Locumtenentialis *ſedes:*

eius habitus.

§. II.

Camera *Hungarica:*

ALtera, quæ ad Regem adtinet, domus eſt, AERARII HVNGARICI, *Cameram* vocant. Cum anno MDXXXI. iuſſu FERDINANDI I. Piſonium illata eſt *Camera*, hoſpitio accipiebatur in *Chriſtophori Maixneri*, ciuis prouidi, ædibus, *florenis* primum *duodecim*, poſtea *ſedecim*, ex eorum temporum indole, redemto. Duraſſe ea *Cameræ* conditio, annis propemodum *octodecim*; dum anno MDXLIX. eædem illæ *Maixneri* ædes, *mille & viginti quinque florenorum* ære, ita volente Cæſare redimerentur, vt perenni in poſterum hoſpitio, *Aerarium Regium* tuerentur. Vix autem ex regibus Auſtriacis erat quisquam, qui non inſtaurando ædificio, aliquid impenſæ fecerit: LEOPOLDVS maxime, qui anno MDCLX. nouo id habitu *(a.)* induit. Rei monimentum marmor refert, apſidi portæ inædificatum, & memorialibus his verbis inſcriptum:

REGNANTE
LEOPOLDO,
CAES. ET REGE HVNG.
REST. ANNO 1660.

eius ſitus: Tenet extremum vici *S. Michaelis*, occidentali parte, angulum, eo prorſus loco, qua anguſtior illa platea, verſus *S. Claræ* Odeum, atque hinc, in vicum Sacerdotum, transmittitur. Mole eſt neque ampla admodum, neque ad regulam exædificata. ſiue id ſitui, obliquo illi, & ob plateæ intercurſum retorto; ſiue primis conditoribus imputes. Habet tamen commoditatis, quod egregie ſufficiat, & concilio, & quæ ad ærarii opportunitatem, pertinent. Nempe, partem ædium infimam, fornices, ſolidiſſimarum concamerationum, obtinent. Heic æs regium conditur. Alteri contignationi ſenaculum, inſigni capacitate, inædificatum eſt. Huc ſtatis diebus horisque, Præfectus ærario, cum conſiliariis coire ſolet. Pone, tabulariorum ſunt fornices, ita inſtructi, vt ne poſſint ab incendiis contemerari. Quod ab his vſibus reſiduum eſt, conclauibus abſoluitur, queis ſcribæ inſunt, & miniſteria cetera. Sed, area multo, quam pro domus dignitate, anguſtior eſt: aditur tamen porta gemina, anteriore illa, quæ vicum *S. Michaelis* proſpicit, & poſtica, quæ verſus *S. Claræ* cœnobium educit.

& opportunitates.

§. III.

Prætorium *Regni:*

IAm & REGNI PRAETORIVM, *(b.)* nominandum eſt. Inſidet vicum longum, vaſto ſpatio, & ad mœnia vsque protenſo. Itaque, gemina mole diſtinguitur. quarum altera, plateæ frontem obuer-

quales habeat ſubſtructiones:

a.) Dum hæc ſub prælo ſudant, anno MDCCXXXIV. inſtauratum denuo eſt ædificium.

b.) Id Hungari, *Orſzág-Háza*: Germani, *Land-Hauſs*, adpellant. non quod ad regnum adtineat; eſt enim in ditione Regis; ſed quod heic coire ſoleant, publica regni comitia.

uertit, altera, ad vrbis pomœria, atque in meridiem directa eſt; huic tamen, quam illi ſubſtructiones, aliquanto ſunt humiliores. Vtraque ædificii regio, gradibus aditur apertis, qui in alteram vsque contignationem pertingunt. Intus palatia ſunt, multitudinis capacia. Proinde, huc comitia regni, coeunt; ſenaculis tamen diſpertitis. Nempe, ad *Anglorum* ſimilitudinem, in duo Βελευτήρια, (illi *Parlamenta* vocant) dum coiuere, iuſſi a rege, Ordines, diſpeſcuntur. quorum alterum, vbi regni Proceres, & Prælati maiores conſident, *Tabula Superior*, *Inferior* contra, dicitur, vbi Nobiles, Clerus item, & Liberarum Regiarumque Ciuitatum, ablegati, in commune conſulunt. Non ergo id nominis, a ſitu ſenaculorum, ſed ex Ordinum prærogatiua, enatum eſt. Atque *Tabula* quidem *Superior*, in poſteriore illa ædium parte, conſeſſus agit, quæ mœnibus adhæſit, habetque liberum in ſuburbia, proſpectum: *Inferior* autem, anteriore cogitur; credo, ob multitudinem coeuntium. Neque hic per pulpita, vti in Anglia, diſpertiti ſunt conſeſſores; ſuæ, ſingulis Ordinibus ſunt, & menſæ, & ſubſellia. Præſidet reliquis, *Tabula Regia; (c.)* huic vero *Perſonalis Præſentiæ Regiæ in Iudiciis Locumtenens.* Hanc, pro dignitatis ratione, aliæ atque *aliæ, excipiunt.* Reliqua, *ſuo loco* explicabimus. Quod paſſim hiare incipiebat ædificium, ſub idem hoc tempus, dum *iſta in litteras* referimus, regis mandato, inſtauratum eſt, forma, tota vrbe, facile nitidiſſima. Ceterum, laxa, inter vtramque prætorii partem, intermittitur area, cuius latus occidentale *Mikoviniana* domus, orientale, prætorium Comitum *Pálffy*, longo ordine, & immiſſis feneſtris, præcingit.

iam reſtaurari incipit.

§. IV.

Curia *ciuica, vbi inſedit:*

VRbanarum ædium, princeps eſt CVRIA, ſeu *Prætorium* ciuicum. Occupat id partem fori maioris orientalem, decurritque in meridiem, tanto ſpatio, quantum fori, iſta regione ſupereſt. Eo angulo, qua angiportus, templum *S. Saluatoris* diſcriminat, turris antrorſum inſedit, vaſtæ quidem ſubſtructionis; ſed inæqualibus angulis. Iam pridem eſt, cum terræ motu, concuſſa, rimas laxe cœpit agere: vt neceſſum habuerint Piſonienſes, tectum, ritu exædificatum vetere & informi, deturbare, atque conſolidatis quomodo cunque parietibus, nouis eam faſtigiis, exornare. Operarum initium, *Iohannes Trummer*, conſul, ſeneſcente iam anno MDCCXXXIII. fecit. quas poſtea, anno ſequente *Iohannes Chriſtophorus Burgſtaller*, ſucceſſor illi in conſulatu datus, pro eo, ac potuit, conſummauit. Atque eſt omnino moles nitida, ſi incruſtationem ſpectes; ſed tecto, quam pro decore vrbis atque prætorii, humiliore: quod inde factum accepimus, vt ne luxata ſubſtructio, faſtigata ſublimius, impar redderetur ferendo oneri. Nondum penitus inſtauratum fuerat opus, dum

turris prætoria:

quemadmodum ſic inſtaurata:

c.) Ita, Tribunal Iudicum perpetuum, leges Hungaricæ adpellant.

æris campani vtriusque dedicatio:

dum anno eodem, MDCCXXXIII. tertio Idus Decembris, æra campana, horologio destinata, ritu ecclesiastico, consecrarentur. Sacram cerimoniam, GABRIEL ANTONIVS *e Comitibus* ERDŐDY, *de Monyorókerek*, Episcopus Agriensis, adnuente EMERICO *Eszterházy*, *Pontifice Strigoniensi, & S. R. I. Principe*, sub infula, & cum *pastorali*, in prætorii atrio, peregit: & maius quidem illud, quod horas designat iam, Seruatoris IESV, & *S. Donati* martyris; minus vero, quo quadrantes indicantur, *S. Iohannis Eleemosynarii*, & *S. Floriani*, itidem *martyris*, honori dedicauit. Perlatum deinde senatus consultum est; vt æs campanum vtrumque, tum pulsetur, si quid solemnitatis, extra ordinem, obeundum sit: puta, si processiones sacræ deducantur, cum venerabili Eucharistiæ Sacramento; si tempestas, quam Deus auertat, ingruat sæuior; si Rex, Reginaue, aut principum gentis Austriacæ aliquis; vel Cardinalis S. R. E. aut Archiepiscopus & Primas regni, vrbem, solemni pompa subeat. Quin & tunc maius illud, pulsandum esse, cum erit magistratuum vrbicorum instauratio. *Feliciter!* Operis memoria, instructum & heic parieti marmor exhibet.

VRbs strVXIt, teXIt reX, Ipse & IVVIt IoVa,
protegIt Vt CaroLVs, fert DeVs VrbIs opeM.

est turris hæc & vigilum specula:

Porro, quod infra horologium est, atque ambulacro circumitur, partim cornicines, excubiæ partim, & vigiles, diu noctuque, colunt. Incondita his olim vox: *Hó, Hé, Hó!* loco tesseræ fuit, quam *Principis Emerici Eszterházii*, prouidentia, cum laudatione nominis IESV, ante istud biennium, permutauit. Tollunt, nempe, clamorem, quum horæ quadrantes sonant, vt vigilare se palam testentur. Hic & publicæ symphoniæ, a tubicinibus, quos diximus, statis diebus, sub meridiem eduntur; hinc fortuita incendia, signis rubentibus interdiu; lampade protensa, noctu, funesto pulsu addito, significantur. Ima turris, qua sunt senaculo vicina, fornix occupat, valida testudine instructus, quam anno MDXLVII. concameratam fuisse, inscriptus idem parieti annus, condocet. Tabularium isthic inest, vti non plane refertum, sic neque inane. Spectauimus aliquando thecas, veteribus monumentis offertas, sed quæ ætatem BELAE IV. non excedebant: quippe qua, *Ottocari* inquies, semel iterumque vrbem pessundedit. Adnexum huic Βελευτηριον est, siue conclaue illud, in quo Senatus, ex more coit, ius dicit, & reipublicæ moderatur. Nihil non venerabile isthic spectes, ad conciliandam loco reformidationem. In mensa, quam senatorius ordo circumsidet, crucifixi SERVATORIS statua, deposita est, vt religionis admoneat iudices. De parietibus, maximorum regum, LEOPOLDI M. & filii CAROLI VI. suspensæ sunt icones, habitum referentes Hungaricum. Et sinistram quidem, LEOPOLDVS tenet, adscripto disticho:

& tubicinum chorus:

infernate fornice tabularium positum est:

senaculi interioris habitus:

Hac

Hac LEOPOLDE *Tuum, sub imagine quærat honorem,*
Sedi ciuili, qui simulacra docet. 1678.
Maiestati Tuæ subiectissimus,
Adamus Chr. Pongratz L. R. C. Sen. & Cons.

Dextram contra, CAROLVS, cum hac, ad ciues Pisonienses, acclamatione:

Suspice Pisonium, totus quem suspicit orbis,
CAROLVS *& nostra est, orbis, in vrbe, decus.*

Posuit, A. 1728. *Ioh. Christoph. Burgstaller*, Iun. L. R. C. Sen. & substitutus *Consul.*

exterioris item:

Aditur vero, per senaculum exterius, quorsum, centum viri, si de republica sit consultandum; quin & ciuium reliqua turba, vbi opus est, confluit. Itaque, multis modis, interiori illo, & capacius est, & luculentius. Vltra, laxum est conclaue, cancellis discriminatum interius: intra quos, scribarum operæ, propemodum sine cessatione sudant. *Cancellariam* ideo vocant. Plena heic scriptis, & memorialibus libris, *Protocolla* dicimus, sunt omnia. Reliquum ædificii, *ærarium* vrbanum, & qui huius sunt administri, *fornices* item alii, occupant. *Hæc frontem prætorii insederunt.* Insunt & publici carceres, pro delictorum ratione, instructi varie. Squalidissimus est, quem *Scrobem leoninam (d.)* dicunt; mitior paullo, cui *atri cubiculi (e.)* nomen; suppar ei, quem a *Zingaris* denominauerunt; at mitissimus omnium, qui est lictoris hospitio vicinus. Ergo, prout quemque delicti grauitas, ad supplicium deposcit; huic alteriue immittitur: vt iam fornicem, torquendis sontibus destinatum, ex se fœdum ac reformidandum, taceamus. Sacellum, ergastulo illi, cui leuioris criminis rei insunt, coædificatum est; vt habeant, vbi sacris operentur captiui: adaperta enim fenestra, & sacros audire sermones poterunt, & mysteria prospectare. Totum ædificium, tercentorum fere passuum spatio definitur, cuius frons, gemina contignatione, versus forum insurgit; latus septentrionale, templo & Gymnasio Iesuitarum, intermisso angiportu, obiacet; tergum, prætorium *Archiepiscopi* adtingit. Relatum accepimus, lucripetas *Iudæos*, cum vsuris, in vrbem grassarentur adhuc, eandem hanc domum in pignore habuisse: quam, Anno MCCCLXXXVIII. redemtam, prætorium esse voluerint magistratus; domo simul altera, quæ a meridie cohæret, addita. Certum est enim, alibi, primitus curiam habuisse ciues: at quo loco difficile est designare. Nihil in tota ædificii mole desideraris, præter graduum positum, prætorii dignitati, minus respondentem. Ceteroquin, portæ apsis, hanc refert inscriptionem:

carceres publici:

Sacellum, carceribus coædificatum:

quando in Curiam ædificium sit versum.

Non est sapientia, non est prudentia,
Non est consilium aduersus Dominum.
Si Deus pro nobis, quis contra nos?

d.) *Löwen-Gruben* Germanice.

e.) Vulgo, *Schwartze-Stube*, Hungaris *Feketе-Ház* vel *Szoba.*

Pro feneſtris autem ſenaculi interioris, imagines viſuntur, quas vulgus, neſcio quid habere myſterii, autumat; nos, *Solonis*, & *Lycurgi*, huius *Spartanorum*, illius *Athenienſium*, legislatoris, ſimulacra eſſe dixerimus. Ad turris pedem, pro porta, veſtigium quoddam deſignatum eſt, extra quod, nusquam ex vrbe arcem poſſis conſpicere. Alii, neſcio, an recte ſatis, ſpatium illud, aſylum eſſe aiunt, quod ſi occuparint fontes, capitis ſententia eliberari. Medio foro, cippus infamis eminet, in quo virgis cædi, aut deligari maleficos, moris eſt. Quod inter funeſtam eam metam, & *Curiam*, ſpatii intercurrit, ſuppliciis, quæ in vrbe fiunt, locum præbet.

§. V.

Domus viridis: & denominationis ratio:

ALtera domus, quæ eſt in magiſtratuum, & vrbis poſſeſſione, *Viridis* dicitur *(f.)* a picturarum, quæ eius coloris referunt plurimum, ſimulacris. Conſtant eæ, præter Danubii adumbrationem, iis fere rebus, quarum diues in Hungaria prouentus eſt. Oſtentant enim, quidquid flumina, agri, colles, & regionis reliquum, *progignit fructuum.* Poſita eſt eo angulo, *quo duo vici*, ephippiariorum *alter*, *alter ſutorum*, *in forum exeunt*, habetque obtutum eo iucundiorem, quod ſoli obiacet orienti. Alta eſt contignationes duas, grandi, vtrobique, cœnaculo, inſtructa. Antequam, regni prætorium, ad eum habitum, quo iam eſt, exædificaretur; comitiis frequentabatur: potiſſimum FERDINANDI I. temporibus, cum ſciſſis regionis ſtudiis, pauciores numero, quam id hodie fit, *Status* & *Ordines*, coibant. Sed ne iam quidem, ea celebritate, deſtituta eſt. Fit enim non raro, vt comitiorum tempore, iſthic diſputetur, quod ſelectis vtriusque tabulæ viris, ad excutiendum delegatum eſt. Quin & prouinciale comitium, frequenter iſthic coit. Cum magis opibus florerent ciues, nuptiarum ſolemnia, Conſule indulgente, iſthic agere, in more poſitum fuit. Illud neſcio, annon propudii habeat quidpiam, quod publicum regni ſenaculum, ſacris *Bacchi*, non raro profanetur. qui mos, nuper, cum laruatis illis choreis, quas nemo non bonus deteſtatur, *inualuit.* Quod moles tota, capacibus cellis vinariis, ſubſtructa eſt, heic vrbanum vinum, ſtatis temporibus, venire ſolet; vt iam, vinariam potius tabernam dixeris, quam ſacrarium publicorum conſiliorum. Inſtauratam fuiſſe, FERDINANDO IV. inaugurato, idque, ex ea incendii vaſtitate, quod vrbis partem maximam fœdauerat, chronologon, quod eſt in fronte ædium, condocet:

eius poſitio:

& ſubſtructiones:

fuit olim Comitiorum receptaculum:

nuptiarum item ſolemniorum:

iam ſacris Bacchi, profanatur:

DOMVS:
NOVO REGE HVNGARO FAVSTE INAVGVRATO,
EX CINERE INSTAVRATA.

Domus Bayeria, *iuribus vrbis accenſa:*

Non longe hinc abeſt domus, quam a priſcis poſſeſſoribus, *Bayeriam* adpellant, iuribus itidem vrbis accenſa. Vaſta ea eſt, & multo, quam cu-

f.) Germani *Grün-Stüberl*, Hungari *Zöld-Ház*, vocitant, denominatione eadem.

curia, inſtructa magnificentius; ſed arcti aditus, ob plateæ, *(g.)* cui ineſt, anguſtias. Plerumque in pignore eſt, coliturque a ditioribus quibusque, vſurarum iure. Nam alienari haud poſſe accepimus; quod vnde manarit, nemo nos potuit docere: tametſi non deſint, qui id *Bayeri*, cuius olim fuit domus, inſtitutum eſſe perhibeant. Denique, ne eas quidem ædes, fas eſt ſilere, quas, a laxa area, *Weiten-Hoff* vulgo adpellant. Adtinent eæ, ad vrbem, iure veterrimo, ſuntque, ad exitum angiportus *fabrorum ſerariorum*, *(h.)* laxo ſpatio inædificatæ. Qua templum adſpectat *Franciſcanorum*, conclauia habet, ad habitandum, commoda; ſed quod retrorſum, gemino latere procedit, non tam cultu caret, quam opportunitatibus. Hic comœdi, *(i.)* ſi qui admittuntur, ſcenas aperiunt; quin & ſpectacula eduntur ab impoſtoribus. Quod vrbanus œconomus heic degit, inſtrumentum fere omne, incendiis reſtinguendis deſtinatum, iſthic in promtu eſt. In his, currules ſunt ſyphones, magni vtique vſus. quorum vnum, cum ex ære funderetur, a Conſule, *Iohanne Chriſtophoro Burgſtallero*, ſeniore rogati, iſtiusmodi inſigniuimus chronologo:

Weiter-Hoff

comœdorum luſtrum:

AD RESTINGVENDA FERALIA
INCENDIA LEGAVERAT,
WOLFFGANGVS ANDREAS RÖSLER.

Vſura domus reliqua, hæc fere eſt, vt publica hoſpitia præbeat, hibernantibus militum ducibus. quod ſi non eſt, pretio collocantur, cellaria potiſſimum, quæ heic, quod altius depreſſa ſunt, ob eleuatiorem domus ſitum, longe omnium ſunt commodiſſima, vinis ad perennitatem adſeruandis. Id vero vniuerſim, præcipuam in domibus opportunitatem eſſe, haud ab re, exiſtimant noſtri, ſi cellis vinariis, ſiccis & laxis, ſubſtructæ ſint: ob vini copiam, qua tantopere, non raro, ſi fauit annus, adfluunt ciues, vt, quo recondant, vix reperiant.

vſura domus alia.

§. VI.

FOrum vrbis, triplex olim fuit: iam, *frumentario* illo, quod erat vltra *Curiam* ciuicam, & inter prætorium præſulis Strigonienſis, atque cœnobium Ieſuitarum diffundebatur, antiquato, geminum tantum ſupereſt. Maius, ad quadri modum, domibus obſidetur; ſi aquilonem excipias: quippe qua, foro minori, laxa committitur intercapedine. In ornamentis eius retuleris, quod, & in curiæ obtutu eſt, & *Silanum* habet, perennibus aquis ſcatentem. Cado is, circumfunditur capaci, & ad viri altitudinem, profundo. Huius medio, fuſor, in columnam, arte factam ſtatuaria, orgyias

Fora *vrbis:*

maius:

Silanus publicus:

g.) *Ephippiatorum*, Germanis. *Sattler-Gaſſe*, dicitur.

h.) *Schloſſer-Gaſſe*, Germani; *Lakatos-Utza*, Hungari vocant.

i.) Eadem hæc domus, anno MDCCXXXIII. ad XXIII. Oct. incendio, quod comœdorum incuria, hic ſcenas habentium, exarſit, funditus exuſta eſt: magno, vrbis totius periculo, niſi horis matutinis, quibus iam ad operas vindemiales ibatur, accidiſſet. *Tanti eſt, nequam admiſiſſe hoſpites!*

fere quatuor, prominet, octifariam puerorum, delphinos prenſantium ſpecie, aquas eructans. Summitati vir cataphractus, & ex ſeculi ingenio, barbatus, dextram clypeo, enſe ſiniſtram, præfultus, atque prætorium ciuicum, proſpectans, inſiſtit. FERDINANDI I. ſimulacrum eſſe, vulgi ſermonibus perhibetur: quod non eſt veriſimile, ſi ad originem ſilani adtendas. Inaugurabatur, nempe, primus omnium, in vrbe noſtra, MAXIMILIANVS, Ferdinandi filius. Is, cum orto, forte fortuna, incendio, aquarum penuria, laborare vrbem, in tanta *Danubii* vicini, conſpexiſſet; periculi, ea re admonitus, dato ſubſidio, ſilanos per vrbem, inductis perennibus aquis, inſtrui iuſſit. Ergo, tanto noui Regis beneficio, quin & mandato, excitati magiſtratus, procul omni cunctatione, manum operi admouere. Et aquas quidem, facile fuit, per collium vitiferorum editiores valles, plenis paſſim lacubus, collegiſſe; ſed ſubteranei ductus, multum, & impenſæ, & temporis, abſtulerunt, dum potuerunt in forum, vltra bis mille paſſus, produci. Gemino hi manant capite; quorum alteri, qui in occidentem eſt, a *S. Iacobo;* alteri, recedenti in occidentem, a *S. Thoma*, nomen adhæſit. Quadratæ baſi, cui impoſita ſtatua eſt, *hæc inſculpta* leguntur:

SACRATISS. MAX. AEMILIANVM II.
ROM. IMPERATOREM, BOHEMIAE REGEM,
ARCHIDVCEM AVSTRIAE.
DIADEMATE REGNI HVNGARIAE
ANNO CHR. MDLXIII. DIE VIII. MEN. SEPT.
POSONII INAVGVRATVM.
VIATOR!
VBI TE HOC FONTE RECREAVERIS,
MEMENTO!
REGI, AC REGNO HVNGARIAE,
PROSPERITATEM,
FONTI PERENNITATEM, PRECARI.
TANDEM SALVVS ABITO.

At, verſus Septentrionem, eadem baſi, hæc legas:

Quid Leo Boiorum Priſco diademate, ſplendens?
Quid Romanæ Aquilæ, Iapidum migraſtis ad Iſtrum?
Quis Piſone ſuo claram Vos duxit ad vrbem
Pannoniæ? nouus eſt Rex Maximilianus (Aemilianus)
Huncce ſequuntur tria, cui dat ſceptra, nec integer annus
Et maiora dabit, cui trinum numen & vnum.
F. ANNO DNI. MDLXXII.

In occidentem, qua tergum obuertit ſtatua:

Moeſa ſuo lætos agitat cum rege triumphos,
Cæſaris exſultat Mœnus amore noui;

Et

Et Sauus, Drauus, cum Danubioque Tibiſcus,
Digna ſuo pariter carmina Rege, canunt.
Imperat his fluuiis, placide Maximilianus (Aemilianus)
O vtinam Euphratis, Gangis, & addat aquas!
F. ANNO DNI. MDLXXII.

In meridiem, qua clypeum dextra tenet viri ſimulacrum:

O ingens Caroli Filia Cæſaris.
Ingentis Maria, (k.) & tradita Cæſaris
Gnato, connubii fœdere, Cæſari,
Fontis, Nympha Sacri, Cæſare cum Tuo;
Hos diuo latices, protege limpidos,
Vt vos ſomnifero murmure prædicent.
F. ANNO DNI. MDLXXII.

Hæc ſilani fuere lemmata. Iam noue inſtruitur; ſed, vetere illa ſtatua, retenta; capaci admodum concha, fuſori ſubdita, vt aquæ prolapſus ſit ſonantior. Memorabile, occidentali *huius fori* plaga, prope ad *domum viridem*, intermiſſo viculo, ædificium viſitur, quod a poſſeſſoribus hodiernis, *Domus Mednyánſzkiana*, dicitur. Scilicet, perſuaſum multis eſt, vetuſtiſſimam totius vrbis eſſe. Opinioni, verſus fecerant locum, qui antehac, in fronte domus, in hunc modum legebantur:

Cerne domum, fuerat turris, primordia Poſony
Duxit abhac: maius nomen & omen habet.
Nam numen, Virgoque parens, cælique poteſtas,
Suſtinet orbe vrbem, ſuſtinet vrbe domum.
Sic venerare Deum, Matrem, cælique phalangem,
Vt tibi ſit cælum turris, & aſtra domus.

Obliterata iam hæc ſunt, noua domus incruſtatione, leguntque hodie:

O MARIA, *cum tenello, nos a peſte, fame, bello,*
Serua! & in hora mortis, dignos fac beatæ ſortis.

Negari haud poteſt, multum priſcæ antiquitatis referre ædificium; tametſi nouo inſtauratum ſit opere. Foro, quod vidimus maiori, minus aliud, ab aquilone, committitur. Init autem, ea regione, qua prætorii Conſilii regii angulus eſt, coloſſus poſtea B. V. MARIAE, & templum S. SALVATORIS inſedit. Quo amplius ſeptentrionem ſubit, eo eleuatiore ſit poſitu; ſed inæqualibus lateribus, ſi orientale, quod *Cœnobium Franciſcanorum*, & *Ieſuitarum* quædam domus, cum templo præcingit, excipias. Hic olim ſediſſe vrbanam curiam, non plane nulli adfirmant. Atque ſupereſt omnino, vetuſti operis domus, *forum minus:*

k.) Adlocutio eſt ad MARIAM, Caroli V. filiam, quam MAXIMILIANVS, maximus natu *Ferdinandi I.* filius, in matrimonio habuit.

ad turris modum fastigiata, & obsoletis picturis, adhuc conspicua. Intus fornices visuntur, alti. & vltra modum firmi, conclauia adhæc, multo, quam sunt priuatorum, ampliora. quod locum coniecturæ fecit, ante annum MCCCLXXXVII. prætorium isthic fuisse. Iam in ciuis lanii potestate est, cui *Pauero* nomen. In eiusdem domus conspectu, *Silanorum* alter visitur, priori illo recentior, iuxta & humilior. Lacu est rotundo, & solide facto, ex quo fusor adsurgit, trium admodum orgyiarum altitudine. Perennes & huic aquæ sunt, quadripartito salientes. Ornat eum, Leo insidens superne, atque vrbis insignia, foro maiori obuersa, anterioribus pedibus, prensans. Subtus, hæc ἐπιγεγραφὴ legitur:

Ne grassaretur rursus fera flamma per vrbem,
Exstruitur fons hic, nomine CHRISTE *Tuo.*
Tu fons iustitiæ, patriam defende potenter,
Hostibus a sæuis, ignibus indomitis.

Vt vero positi operis constaret occasio, altero latere, istiusmodi monimentum est:

SEN. POP. Q. POSON.

OB LVCTIFERAM, TRECENTARVM, ET VIGINTI AEDIVM, ANNO MDXC. INTRA VRBIS MOENIA, ET EXTRA, INCENDIO CONFLAGRATARVM, CLADEM; HVIC SECVLO, ET POSTERITATI, PERFVGII, AC MEMORIAE ERGO, MONVMENTVM POSVIT, MDXCII.

Piscatorium heic forum est, ob perennis huius Silani commoditatem, tunc potissimum frequentatum, cum sunt dies esuriales. Ceterum, *colossus B. V. Mariæ.* B. V. MARIAE, colossus, eodem isto foro positus, ne sileamus quidquam, inscriptiones refert istiusmodi:

LEOPOLDVS ROMANORVM IMPERATOR, SEMPER AVGVSTVS, HVNGARIAE REX APOSTOLICVS, ARCHIDVX AVSTRIAE, MEMOR ACCEPTARVM GRATIARVM, INTELLIGENS MVLTIPLICEM OBLIGATIONEM, PROVIDENS REGNO, SIBI, SVIS, SENATVI POPVLOQVE HVNGARICO, OMNIQVE CHRISTIANITATI. LAVDETVR SS. SACRAMENTVM, ET SINE MACVLA CONCEPTA VIRGO MARIA.

Hæc, meridionali basis latere, leguntur. In Septentrionem, sic inscriptum est marmor:

GLORIAE SALVATORIS IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI, IN SACRA HOSTIA NVPER SACRILEGE TRACTATAE; IN AEVVM REPARANDO HONORI MARIAE VIRGINIS SINE MACVLA CONCEPTAE, PATRONAE REGNI HVNGARIAE, MAGNAE DOMINAE NOSTRAE, SEMPER MAGIS AVGENDO, POST TVRCAM PVLSVM, SEDITIONES COMPESCITAS, PROCVRATAM TRANQVIL-

QVILLITATEM, ISTVD TROPHAEVM POSVIT. ANNO SALVTIS MDCLXXV. MENS. MAII, DIE XXIII.

§. VII.

HAec vrbis fora fuerunt, nunc vicos varie propagatos, videamus. Primus omnium, *S. Michaelis* est, a porta cognomine, per quam aditur, adpellationem *(l.)* trahens. Læto se obtutu, vrbem intrantibus, ingerit, estque, commeantium vltro citroque hominum multitudine, inter reliquos, facile frequentissimus, erecti positus, qua est portæ propior; sed, qui mitescit prorsus, dum nomen mutat. Simul a porta, passum alterutrum processit, gemino angiportu diuaricatur; obscuriori, qui dextrorsum, pone mœnia, procurrit, quique a carnificis hospitio *(m.)* nomen accepit; celebriori contra; qui se in sinistram torquet, & quod a fabris serariis colebatur olim, serariorum *(n.)* hodieque dicitur. Init hinc platea, vastis vtrinque domorum ordinibus. In his, dextro latere, *Csibaiana*, *Segneriana*, *Ieszenakiana*, & *Aerarium Regium*, reliquis antecedunt; tametsi, ne aduerso latere desint ædes, cum adspectu speciosæ, tum habitatu commodæ. Vt ad passus octoginta prouectus est vicus, nouam sinistrorsum, e regione ædium *Ieszenakianarum*, plateam aperit, non tam ædium numero, quam quod breui, & angusto tramite, *Michaeleum* hunc vicum, cum foro minore, committat, memorandam. Nomen ei a niuium candore *(o.)* inditum. Sed Michaelis illa, hinc quidem *Ephippiariorum*, *(p.)* qui in forum maius; illinc, eo vico terminatur, qui arcta admodum via, in eam plateam ducit, quæ est pone *Odeum S. Claræ (q.)* in aquilonem porrecta, & cum carnificis illo angiportu, connexa, propagaturque in Sacerdotum vsque vicum. Prope ad portam, ædibus *Csibaianis*, silanus adhæsit, nostra adhuc ætate saliens; sed qui pluribus retro annis, in sticuloſam lacunam abiit; aquilegum, an alieno vitio, nescimus.

Vici vrbis varie propagati: S. Michaelis:

eius diuerticula:

Silanus eius sticuloſus.

§. VIII.

PLateam Michaeleam, *Venturia (r.)* excipit. Ad Aerarium regium, & *Ephippiariorum* vici aditum, ei caput est, protenditurque hinc, recto in meridiem tramite, dum in *vicum longum* desinat. Itaque, ab introeuntibus per portam *S. Michaelis*, quam longa est, prospici potest. Colitur ædibus, non minus splendidis, quam prior illa: certe requieta magis est. Quare, amant hic proceres

Venturia *platea*:

eius habitatores:

l.) *Michaeler-Thor*, Germani dicunt; Hungari: *Szent-Mihály-Kapuja.*
m.) Vulgo, *Henckers-Gaſſel.*
n.) *Schloſſer-Gaſſe.*
o.) Germanis, *Schneweiſs-Gaſſel.*
p.) *Sattler-Gaſſe.*
q.) *Hinter dem Nonnen-Kloſter.*
r.) *Ventur-Gaſſe* a vulgo dicitur.

res habitare. Reſident autem, ordine ſiniſtro, Comites *Zichy*, *Illyés-házy*, *Erdődy*; & e nobilitate *Korlátköi*; dextro contra, *B. Péterfy*, atque olim vrbanus prætor, *Pongrátzius*. Cultæ his omnibus ædes, ſunt, & aliæ aliis magnificentiores: *Erdődianæ* maxime, quæ multum Italici decoris referunt. Poſt has *Pongrátzianas* nominaueris, vaſta mole ſubſtructas, & trium regum ſimulacris inſignes. quibus iam, quod in pignore hærent diutius, multum, de priſtina elegantia detritum doleas. Inter antiquæ ſubſtructionis domus, cumprimis *Spindleriana* meretur celebrari. Nam, & laxe protenditur, eſtque gemino inſtructa aditu; & hortum a tergo habet, amœnitatis eximiæ. Fama eſt, iſthic ELISABETHAM, filiam *Sigismundi*, viduam *Alberti*, fuiſſe hoſpitatam, quum poſthumi partes, aduerſus æmulum *Vladislaum*, mordicus defenſaret. Quin & *Beatricem*, easdem has ædes coluiſſe, *Matthia* rege, in Auſtria militante, perhibent. Sed illa quoque domus, quam *Veterem monetariam (s.)* dicunt, non plane nullius olim fuit celebritatis. Nempe, partitis, cum rege, reditibus, monetam iſthic, vrbici magiſtratus cudebant, *Ligæ Poſonienſis* nomine, inſignitam. Nunc *inter plures heros* diſpertita, vix quidquam *priſtini* decoris retinet, præter nomen, *iam pridem obſoletum*. Propagat hic quoque vicus ſororinos duos: ſiniſtrum, qui in forum maius, pone *Viridem domum* abit, & *ſutorius (t.)* dicitur; atque dextrum, eleganti ædium interordinio, in plateam Sacerdotum exeuntem. Fere obliuio nos cepit, explicuiſſe, vici nomen. Aiunt, Hungaricum id eſſe, ex *Wetau*, optimatis cuiusdam adpellatione, ortum. Ac fuit is omnino, SIGISMVNDO rerum potiente, Comes Piſonienſis *(u.) Sinoslaus de Wetau*, ſicuti regi gratioſus, ita magnarum in Morauia opum. Hunc autumant, vel vici huius portionem eximiam, vel laxam aliquam, magnique pretii domum, poſſediſſe, quæ dicta ab *Hungaris*, fuerit: *Wetawúrė*, poſtea compendio, *Wetúrė*, iam *Wenturé*, quaſi *poſſeſſio domini Vetau*. Sed, coniecturæ ſunt omnino, veri quidem non abſimiles, ſed quas vellemus fide diplomatum adfirmari.

atque ædificia:

Domus Spindlerianæ prærogatiua:

plateæ, in partem vtramque, diuerſigia:

nominis ratio.

§. IX.

Vicus longus:

DIximus, *Venturianum* hunc, in *Vicum Longum* exire. Transuerſo is tramite, a flumentanea porta, ad Laurentianam, octingentis fere paſſibus protenditur: vnde, & vicus longus, *(v.)* dici meruit. Situ eſt, totius vrbis depreſſiſſimo, & tametſi latere vtroque, inſignibus ædificiis decurrat; tamen, non eſt ita directus, quin exorbitent domus nonnullæ. quare fit, vt latior hic, arctior ſit alibi. Paucæ hic inſunt ædes, quas ciues colant: plerasque optimates tenent, pro opibus, & dignitate, percultas. Hic nimirum viſuntur, pro-

eius modus: ædificia procerum:

s.) *Das Alte Müntz-Haus.*

t.) *Schuſter-Gaſſel*, forte, quod ſutrinis colebatur olim.

u.) Vide clauſulam Decreti SIGISMVNDI, anni MCCCCV. prioris: duo enim eodem anno promulgauit. quod & *Decretum minus*, vocant.

v.) *Die Lange Gaſſe*, ſic dicta, a prorſu longiore.

prope ad portam Laurentianam, domus *Pálffyorum*, Regni prætorium, *Alexandri Karoli*; *Ioſephi*, & *Franciſci Eſzterházyorum*; *Gabrielis Erdődii*; *Iohannis Pálffii*; *Zichii*, *Maholánii*, ac denique *Iáſzii*, ædes; vt minora nomina taceamus. Laus in his omnibus, præcipua eſt ædibus *Ioſephi Eſzterházii*, quas ille, vti eſt architectonices gnariſſimus, ex ſuo ingenio, annis ſuperioribus, magnificentiſſime, atque ad eum modum excitauit, vt Viennenſia quæuis palatia, æmulari poſſe videantur. In vici incommodis cenſent aliqui, quod a macello inſideatur. Ego, ſi quid vitii ineſſe vico auſim dicere, ſitum accuſarim, vrbe reliqua, multis modis depreſſiorem. Factum eſt, enim inde vt & cellas vinarias, latere præſertim meridiano, minus habeat commodas: quippe quæ, exundante Danubio, offunduntur per meatus ſubterraneos; & puteos nacitus ſit, laticis inſalubrioris. Propagat, ex ſe, plateas plures. In his ſunt, viculus piſcatorius, qui in porticum eius nominis exit, & geminus, in forum maius deducens: quorum prior anonymus eſt; poſterior, pone *Ioſephi Eſzterházii*, & *Nádasdii* domum, prætorianus *(x.)* dicitur; eo quod illic in forum exeat, vbi prætorium *init ciuicum*. Quod *inde verſus Laurentianam* portam decurrit, vicum iterum duplicem emittit. Alterum, breuiore tractu, *iuxta Curiam Archiepiſcopalem*, in forum frumentarium, alterum longiore procurſu, qui a *pileonum (y.)* officina nomen accepit, verſus *Odeum D. Vrſulæ*, dum facto, ſecundum mœnia, anfractu, ad cœnobium vsque procurrat, atque illic, ſiniſtrorſum in forum minus, dextrorſum, in plateam *Seratiorum*, exeat. Iſti *pileonum* vico, inerat olim *Iudæorum Synagoga*, ex ritu gentis exædificata. Spectauimus eam, vietoriæ officinæ deſtinatam; ſed quam nuper, inſtructis quomodocunque hypocauſtis, herus deformauit. Eadem hæc platea, anguſtiſſimo tramite, *(z.)* quique, vix transmittat quadrigas, cum vetere foro frumentario, pone meridionale cœnobii *Virginum Vrſulinarum* latus, committitur.

ædificia procerum:

laus Eſzterházianarum ædium:

vici incommoda:

plateæ, quas propagat, minores.

§. X.

Numerus domuum vrbis Piſonienſis:

ATque, his quidem vicis, vrbs Piſonienſis conſtat, ædibus inſeſſis, ſi plateam ſacerdotum accenſueris, *ducentis & ſex*. In his, Regis, tres; ſacerdotum, præter quatuor cœnobia, *viginti quatuor*; vrbis ipſius, cum prætorio, *duodecim*; optimatum & nobilitatis, *quinquaginta tres*. reliquæ ciuium ſunt. Hoc, quidquid eſt ædium, gemino muro, altiore altero, altero depreſſiore, tribus inſtructo portis, incingitur. Prima, *S. Michaelis* eſt, a templo, quod ei obiacebat olim, ſic dicta. Inſignem facit, illa Seruatoris IESV CHRISTI, monitio: OMNE REGNVM IN SE IPSVM DIVISVM DESOLABITVR. quam, cum tumultu Tököliano, vidiſſet IACOBVS TOLLIVS: *Dolebam*, in-

mœnia, & portæ vrbis: S. Michaelis prima:

x.) Germanice, *Raths-Gaſſel.*

y.) Inde Germanis, *Hutter-Gaſſe.*

z.) Diminutiuo vocabulo, *Hutter-Gaſſel*, Germani vocant.

inquiebat, *cum hæc legerem, infelicium Hungarorum ſortem, qui, ne ſic quidem moniti, potuerint, poſſintue reſipiſcere; verum etiam nunc, pernicioſa, ſeque, regnumque vniuerſum, diſcordia, pergunt perdere.* Ponte olim ſublicio adibatur; quem *Samuel Hueber*, Conſul, anno MDCCXXVII. fornicibus ſolidauit. Alteram *Vedritzianam* dicunt, quod in eum vicum educat; nos, ISTVÁNFFYVM ſequuti, flumentaneam, ſæpius vocauimus: nam & Hungari, non raro, *Duna-Kapu*, hoc eſt, portam Danubialem, & quod opaca eſt extra modum, *Setét-Kapu*, quandoque adpellant. Solidiſſimi eſt operis, quod *Salomonem* tunc molitum fuiſſe accepimus, cum *Piſonii*, perfugium ei aduerſus *Geyzam*, & *Ladislaum*, erat quærendum. Ac, refert omnino antiquitatis plurimum, operas autem, fere his conſimiles, quas, in æde cathedrali *S. Martini*, obſeruauimus. Nam, & e cæſo lapide ſubſtructa eſt, & longius protenditur, quam id portæ modus exigat. Frontem, quod obſoleta fuit, tunc dealbandam curauere magiſtratus, cum CAROLVS VI. vrbem, inaugurationis cauſſa, ſubiturus erat. Inædificata ſimul inſignia fuere, & regni, & vrbis, adſculpto chronographo:

Veidritziana *altera:*

reX MagnVs CaroLVs ſeXtVs InaVgVranDVs, VIVat!

Intra hanc portam pilarum, quæ teſtudinem ſuſtentant, *tertia*, crucem oſtentat geminam ſaxo inciſam, ad retinendam eluuionis Danubii memoriam, quam tantam fuiſſe perhibent, vt quatuor amplius pedum altitudine, portam inundarit. Pro hac porta, Reges aduentantes, vrbici magiſtratus, & oratione accipiunt, & traditis vrbis clauibus, venerantur. Portarum vltima, *Laurentiana* eſt, prorſus orienti obuerſa. Dedit ei nomen, ſacra itidem ædes, quæ extra eandem ſtetit, ante cladem Mohácſianam. Depreſſiore eſt, quam reliquæ, ſitu, itaque multo ſubinde cœno fœda. quod vnum, ad portarum *Piſonienſium* munditiem deſideraueris. Inter vtramque *Vedritzianam* illam, & *Laurentianam* hanc, *Piſcatoria* intereſt; ſed quam, ad Mohácſianæ calamitatis famam, vrbis præfectus, obſtruxerat: foribus pone relictis, quæ commeantes transmitterent. Anno MDCCXVII. recludendam, auctore *Iohanne Chriſtophoro Burgſtallero*, Seniore, tunc Conſule, vtque memoriam retineret, Belgradi recuperati, *Belgradenſem* adpellandam, ſenatus ſtatuerat. quam tamen deſtinationem, laudabilem profecto, anni ſequentis conſul, *Paullus Kögel*, penitus interuertit. Si dicendum, quod res eſt, multum habet, cum vrbis iſta pars, tum obiacens portæ ſuburbium, incommodi, ex præcluſa hac commeatione. Mœnia, quæ gemino muro, conſtare diximus, vetuſtate paſſim dehiſcunt: quin, non vno loco, feneſtris etiam pertuſa videas, iis regionibus, vbi domus vrbanæ, mœnibus ſunt coædificatæ. Alioquin, opportunis hic atque alibi areolis, quin & turritis propugnaculis, interſtinguuntur. Circuit foſſa, altitudine depreſſa inæquali. Nam, qua in occidentem, & ſeptentrionem vergit, profundior eſt, & ſiticuloſa; exilior, ac lacuſtris, ad ſolem orientem, &

vltima Laurentiana:

piſcatoria porticus:

mœnium ratio:

foſſa:

& meridianum. quod vtrumque ſitui adſcribas. Ridiculum eſt, quod heic ſe obſeruaſſe putabat TOLLIVS: aliter, ſcilicet, ranas, in foſſis iſtis, quam apud *Batauos* ſuos, coaxare. *Sonus erat*, inquit, *vt ſi ex cornu ſonuiſſes*, CORROVK! Nimirum, coaxantium ranarum multitudo, cælo extra modum tepido, peregrinatori diligentiſſimo, impoſuit: nos certe nihil, quam quod alibi, in ranarum Piſonienſium coaxatione, obſeruauimus. Ad *S. Michaelis* portam, foſſa omnium profundiſſima, amœnaque, palæſtra eſt *iaculatoria:* vbi ciues, laudabili inſtituto, niſi iddiebus *Domini* fieret, ſclopos tractare, iuxta & deſtinatis in metam ictibus, iaculari diſcunt. Huc multi, animi, plerique laſciuiendi, prodigendique, & æris, & temporis, cauſſa, diuertunt. Alioquin, vrbis veſtigium, prætoris *Iohannis Chriſtophori Burgſtalleri* manu deſignatum, iſtiusmodi eſt. A.

palæſtra iaculatoria.

§. XI.

VRbem, quam hucuſque deſcripſimus, late porrecta ſuburbia, *circumeunt; intermiſſo tamen ſpatio, agendis* idoneo mercatibus. Id *latius olim fuit* vndiquaque, ob mala obſidionis, ſi quæ ingruerent, auerruncanda. Nunc, in dies fit anguſtius: quod, & foſſarum, hac atque illic, margines, & aperta arearum intercapedo, domibus inſtruatur. Quod vltra eſt, vici ſuburbani, varie procurrentes, ſibique inuicem innexi, occupant. Partiemur eos, ex poſitu, quemadmodum huic, illiue plagæ, obiacent. In aquilonem, quinque fere plateæ procurrunt, quarum illa, cui a *quatuor amphoris (a.)* quas in exhauſti laticis, publicuſque puteus habet, nomen eſt, inpræcipuis cenſetur: non quod longe procurrat; ſed quod, & copioſe colatur, & ſitum habeat opportunum. Vbi enim ad forum carbonarium, laxo ſpatio iniit, centenis propemodum paſſibus procedit, verſus portam ſuburbanam, quam a ſicco telonio, adpellauerunt. quæ, quod numquam fere eſt ſine commeantibus vltro citroque, fit, vt vicus ipſe frequentiſſimus ſit ſemper, habeatque opportunitatem, vini ſub hedera vendendi, longe optimam. Id deſideres, quod caret taberna diuerſoria. Duas eodem loco emittit plateas, breuiorem alteram, *Ligneam* dictam, quæ dextrorſum in *Hungaricam* ſinuatur; alteram longiorem, cui, ab erectiore ſitu, *altæ plateæ* nomen. Pergit hæc, flexo in orientem tractu, coitque cum *Hungarica* illa, ad portam cognominem. Proxime ad diuortia, non eſt inculta, ſed, quæ ſunt propiora ad portam, adhuc *Tököliani* incendii, ſeruant monimentum. Sed quatuor amphorarum vicus, quem τετράφορον dixeris, qua ad telonii portam accedit, plateæ *Monialium* committitur. Longi & is tractus eſt, atque, ſi A. C. addictorum ciuium *Oratorium*, *Ieſuitarum* item, & *Plebani* hortos, & ſeceſſus excipias; propemodum villicis tantum ædibus inſeſſus. Ad huius caput, telonium illud,

Suburbia:

eorum vici, in aquilonem.

a.) Hungari, *Négy-Vödrös-Utza*; Germani, *Vier-Amper-Gaſſe* vocant.

lud, cuius meminimus, insedit, quantiuis census, cuius partem, præter ciues, arcis *Capitaneus*, *Archi-Abbas S. Montis Pannonii*, & *Pilisienſis*, recipiunt. Vicus, qui antrorsum telonio adsedit, olim *Csötörtökhely*, vti vetera monumenta docent, vocabatur; iam solius portæ nomine, discriminatur. Sed, platea *Monialium*, quæ hinc, perpetuo in occidentem tramite, procurrit, tandem in vicum, quem *Schlutter-Gaſſen* vocant, desinit; tenuem eum, & fere a plebe cultum villica: vulgus, *Vicum Caprarum* adpellitat; sed omnino male; nam is vltra hunc est, neque, nisi vna alteraue ædicula habitatur, posteaquam pars eius reliqua, quæ ad vinearum vsque pedem, protensa fuit, *Pálffyano* horto adhæsit: cum *Schlutteriæ* illius, & procursus multo sit longior, & exitus in vineas, hodieque expeditus. Hic sunt, cum aliorum horti, tum in primis *Principis Eſzterházii*, & *Præpositi Pisonienſis*. Isto ergo ambitu, aquilonare suburbium definitur, superbitque gemino templo, *Capucinorum* altero, altero *Patrum S. Trinitatis*. quorum isti, ipsum vici aditum, quem adhuc, *Hinter dem Michaeler Freüdhoff* adpellant, cœnobio obstruxerunt: vt iam circuitu opus sit, *si viculum adire velis. qui postea gemino* ductu, altero, in *Tetramphorenſem*, altero, *in* Monialium plateam, pone *Oratorium*, incuruo tramite, desinit.

§. XII.

In orientem.

REgio suburbiorum orientalis, quæ partim *S. Michaelis*, partim *S. Laurentii* portæ obiacet, in plures, & ipsa, vicos, diffunditur. Maxime insignis est, qui a porta *Michaelea*, inter septentrionem & orientem, longissimo tramite excurrit. *Hungaricum* latine vocaris, eo quod vernacule *Magyar-Útza* dicitur. Germani, *Schöndorffer-Gaſſe* cognominant: non tantum, quod olim, ad pagum, cui *Schöndorff* nomen fuit, & cuius exile rudus, vltra patibulum adhuc visitur, deducebat; sed etiam, quod totum eum vicum, intra sinum receperit; belli metu, *post* cladem *Mohátsianam*, regionem omnem percellente. Antea sane breuior fuit, & incolis tenuior. Magna iam hic vis, & opificum resedit, & pastinatorum. In primis opportunum faciunt, tabernæ diuersoriæ plures, puta, *Rubri Bouis*, *Nigræ aquilæ*, *Aurei Cerui*, *Coronæ aureæ*, & *Equi Albi*, signis conspicuæ. Admittit ab aquilone plateas duas, *Ligneam*, & *Altam*, id quod in earum descriptione, indicauimus; exit autem, vnico quasi emissario, ea regione, qua se *Fratrum Misericordiæ* cœnobium, perpetuo latere, in meridiem exporrigit. Inde, *Xenodochium* cum platea cognomine, succedit. Et de *Xenodochio* diximus supra, quod erat necesse. Vicus satis prolixe decurrit, ædibus tamen, si paucas excipias, humilibus. Sunt enim vero & heic villæ, atque horti optimatum, ordine potissimum aquilonari, amœni positus. Tota ea intercapedo, quæ inter plateam *Hungaricam*, & hanc *Xenodochialem*, intersita est, par-

partim vite, partim hortis conseritur, quos *Poindl (b.)* vulgo dicunt. Sunt & aduerso ædium ordini, horti, sed laxiores ii, & situs depressioris. In primis nobilitat vicum, *Ordo Hospitalariorum de Rubea Stella*, quorum cœnobium, dextro ad portam angulo, insedit. Reliqua, pauperum sunt tabernæ. Idem, & de *Richardi* vico dixerimus, qui, decussatim positus, non procul a cœnobio, in *Danubialem* plateam, deducit. Nihil toto suburbio sordidius repereris, ita hic fœda sunt omnia. Lautior *Danubialis* est, tametsi hæc quoque, si madeat cælum, propemodum imperuia. Ad modum *Xenodochialis*, pergit gemino ædium positu. *Danubialem* vocarunt, quod alueo subluebatur olim, satis vbere, quem postea obturarunt accolæ. Extra portam, *Nosodochium*, quod iam memorauimus, visitur, insigne pietatis *Pisonienſium* documentum. Qua, vterque vicus, *Danubialis* hic, & *Xenodochialis* ille, portæ *Laurentianæ* obuertuntur, *Forum* est *frumentarium*; cum diuersorio, cui *Aurei modii* signum est. Hic & Colossus *S. Floriani*, opus nuperum, visitur.

§. XIII.

In meridiem:

SVnt, & ad meridionalem vrbis plagam, suburbia; sed recentioris substructionis. Constat enim, nudo olim latere, vrbem, versus Danubium fuisse; si casas piscatorias exceperis, & humiles, & raras: hinc piscatoriæ portæ nomen. Iam longa serie domus adsurrexerunt, ad munditiem vrbanam excitatæ, fiuntque in annos sublimiores, elegantioresque; vt per porticum piscatoriam exeuntibus, nouæ se vrbiculæ obtutus ingerat. Iam & diuersorias tabernas habet; alteram, *SS. Triadis* nomine insignem; alteram, simulacro *Aureæ nauis*, designatam: sed illam, ista, multis modis instructiorem; tametsi anno demum MDCCXXXIV. cœptam excitari. Heic & *Collis* ille *Regius* adsurgit, in quem procurrere moris est Regem, cum inaugurationis pompa deducitur, vibrareque, ad quatuor orbis plagas, ensem S. Stephani. Positus fuit, cum Maximilianvs erat inaugurandus; sicuti docuimus, *(c.)* ad eius solemnitatis mentionem. Quod vltra, pone Danubium, suburbii procurrit, *Neüstifft*, quasi nouum dicerent institutum, Germani adpellant, ob domus, recentiori memoria, nullo ordine, elegantia nulla, isthic positas; si excipias diuersorium, sub signo *Aureæ Rosæ*, quod vnum ædificium huius oræ, maxime probaueris. Sed, qua suburbium, inter *Danubii* marginem, & arcis pedem, in occidentem se sinuat, non modo cultu, verum frequentia quoque ædium, multis modis excellit. *Veidritz*, toti huic regioni nomen est, quæ in maiorem, minoremque discriminatur. *Maior* ille vicus dicitur, qui prorsus arcis radicibus instructus est. Exi-

collis regius

pars Danubii, occidentalis.

b.) Credo, ab *apiariis*, quæ hic olim posita fuisse existimamus. *Poindl* enim Crassi oris vulgus, *apem* germanice adpellat.

c.) Supra v. Cap. Art. I. §. VII.

mia huic ſunt cellaria: quippe, in petram, cui arx inſedit, ſubtus cauata. Platea certe elegans eſt, & copioſa, vt vrbanam crederes. Heic olim *Canonici* incoluere, quod iam adnotauimus. Sed *Iohannes* quoque *Vitéz*, Archiepiſcopus Strigonienſis, anno MCCCCLXIX. Academiam, iſto tractu, *(d.)* poſuiſſe fertur, a præterlabente Danubio *Iſtropolitanam*, dictam. Quin, & BELAE IV. ſuum, hac ora palatium fuiſſe, perhibent; in cuius ruderibus, annonæ præfectus iam habitat. Alter vicus, quem *minorem Weidritz* dicunt, reuera minor, & qui poſticas fere tantum habeat ædium partes, quas hinc, maior ille, Danubialis, illinc ædium ordo, committunt. Nam, & verſus amnem, domus ſunt ſpecioſæ. Vltra quod eſt, arci accenſetur. Limitis inſtar, inter ditionem vtramque, crucis ſignum exſtat, metæ lapideæ, impoſitum. Monumentum eſſe aiunt, *S. Montis Pannoniæ*; ſed adtinet tamen ad vrbicos magiſtratus. vti inſcriptio loquitur:

1670.
QVOD ISTRI VIS DIRVIT,
RVRSVS EXSTRVCTVM.
CONS. ANDR. BVNN.

Ergo, ſubuerſum fuit ſimulachrum, glaciali forte inundatione, ciuitatis demum impenſa, reſtauratum. Ea columnæ parte, quæ obuerſa amni eſt, rimam obſerues memorialem, eluuionis, quæ anno MDXVI. ad ſesqui orgyiam, ſupra ripas excreuerat. Hæc de *Suburbiis*.

§. XIV.

Suburbiorum pomœria:

EXtra horum pomœria, nunc prodeamus. Pomœria dico; eo quod, mœnibus multo, quam ſunt vrbis, validioribus, incingi cœperunt, anno MDCLXI. id quod inſtructum apſidi portæ *Hungaricæ*, marmor indicat:

DIVINO AVSPICIO,
REGIAQVE CLEMENTIA,
MVNIRI COEPIT
NEO-POSONIVM,
CVM
NEO-NVPTIS AVSTRIACIS,
S. P. Q. P.
DEVOTE ACCLAMAT:
VIVANT LAETE LEOPOLDVS ET MARGARETA!

Sed, quod molitio ea, ſumtuum erat infinitorum; metuebant præterea ciues, ne, conſummatis circumquaque munitionibus, perpetuis dein præſidiis, vrbem inſideri oporteat, ceſſatum ab opere eſt: magno ſuburbiorum, quin totius reipublicæ, malo: quod iam non poſſint

d.) Hanc alii, intra vrbis pomœria collocant, quod nunc non diſputamus.

poſſint arceri, quisquiliæ hominum, & aliæ huiusmodi peſtes. vt *Tökölianorum* irruptiones, damnoſas oppido, & deplorandas hodieque, taceamus. Has, vt ſeditione *Rákócziana*, amolirentur Piſonienſes; tumultuario quidem, ſed vtili opere, aggerem, propugnacula, foſſasque circumduxere. quæ, ſi pro eo, ac decuit, conſolidata fuiſſent poſtea, ſenſim inualuiſſet munitio. Iam, detrito aggere, vix notari poteſt veſtigium, qua ducebatur moles. Ergo, quorum ædes, in aggeres illos circumquaque deſinunt, hi ſe mutuo, cum vicinis, ita præmuniunt; vt difficilis tamen ſit, nocturnis latrunculis acceſſus. Sunt vero extra hæc, qualiacunque pomœria, villæ, omnis generis: *vrbanæ*, eximiis, non paucæ, atque voluptariis ſeceſſibus hortisque inſtructæ; ſunt *ruſticæ*, vbi pecus alunt ciues; ſunt & *fructuariæ*, meſſibus condendis deſtinatæ. quarum hæ, ad eum modum inualeſcunt, vt, apertos campos diſpertiri, neceſſe habuerint magiſtratus, quibus ſepta fierent, exſtruerenturque horrea. Quia enim, minus iam in vrbem, quin & ſuburbia, licebit pabuli inuehere; quo quisque re familiari eſt ampliore; eo cogitur elaborare diligentius, ne his *iſtiusmodi opportunitatibus, deſtituatur.* Nondum abiit luſtrum, cum aprico, cvltra patibulum, campo, Piſonienſes, coloniam œperunt condere. Inualuit breui cœptum, adeo, vt, a quibus ridebatur initio, hi ipſi, fundo, ſi quem poſſint adipiſci, inhient. Gemino fere vico, inædificatur; anteriore altero, qui eſt, ad viam regiam; altero poſteriore, qui verſus *Danubium* declinat. Incolæ plerique omnes, vel paſtinatores ſunt, vel olitores. Sed ſunt tamen, ex primoribus quoque vrbis, qui viridaria, piſcinulasque heic poſuerunt: & quæſtus cauſſa nonnulli, viuaria quoque teſtudinum. Totam coloniam, *Blumenthal*, neſcio, quo conſilio, vocauerunt, nam, neque vallis eſt, neque ita veſtita floribus, id nominis vt meruerit. Nos *Aquilegiam*, ob frequentes Danubii exundationes, diceremus, niſi iam *Florilegiam* eſſe oporteret. Tabernam diuerſoriam magiſtratus exædificarunt, vt ſit, vnde noua hæc colonia, *Bacchum, Cereremque* promat.

villæ vrbanæ:
ruſticæ:
fructuariæ:
Noua, ad patibulum, colonia:
Blumenthal dicta.

§. XV.

VVlgaria hæc, quæ diximus, fuerunt; commemoranda nunc ea ſunt opera, quorum fama, *Piſonium*, ſeculo ſuperiore in primis, floruit. Hortus erat, Archiepiſcopi Strigonienſis, *Verſalienſem* illum, mirifico in compendio, exhibens. Primas eius areolas, aperto rure, FRANCISCVS FORGÁCH S. R. E. Cardinalis, & Strigonienſium præſul, an. MDCXIV. duxit; quemadmodum inter eius actus, *(e.)* retulimus. Id hoc loco ſilendum haud eſt, *S. Carolo Boromæo*, viridarium dedicauiſſe, conditorem. At enim, non potuit, cœpto operi, manum vltimam imponere: quippe, anno MDCXV. morte præuentus. Itaque, tulit quidem Archiepiſcopalis horti nomen, rus,

Hortus Archiepiſcopi Strigonienſis:
primus eius conſitor, Forgách:

e.) Hiſt. Vrbis Piſonienſ. Cap. v. Art. vi. §. xix.

rus, muro circumdatum; ſed, vix aliam referebat ſpeciem, quam, qua ſolent eſſe pomaria, vulgariter conſita. Nam, *Petrus* quidem *Pázmán*, qui, *Forgáchio* ſucceſſor datus eſt, tametſi lubens, ac fere iugiter agebat *Piſonii*; curis tamen diſtinebatur, ſeuerioribus multo, quam vt, vel impenſæ quidquam, vel temporis, hortenſibus his deliciis, dare potuerit, volueritue. Sed, *Emerici* quoque *Loſſii*, qui excepit Pázmánum, viri priſci moris, breuior, poſt acceptam tiaram, ætas fuit, quam quæ voluptariarum iſtiusmodi occupationum eſſet patiens. Proinde, *Georgio Lippaio*, conſummandarum *Forgáchii* deſtinationum, gloria relinquebatur; eo quidem magis admiranda, quod tempeſtas tunc erat, calamitoſa patriæ. Verum, vti nouerat *Lippaius*, auſteriores curas, honeſtis oblectamentis, interpolare; ita, expeditum ei, atque in promtu fuit, & patriæ, eccleſiarumque ſaluti, adtendere, & operis quidpiam edere, elegantis, & facti ad amœnitatem. Sed, hortum ipſum, quam faſtoſe, quamque iucunde inſtructus fuerit, videamus. Seruauit nobis, venuſtam eius faciem, *Georgius Lippai, L. B. de Zombor*, Archiepiſcopi, ex fratre, nepos, *(f.)* perenni ære expreſſam. Situs, *extra modum hilaris, horto obtigerat:* quippe, ad collium vitiferorum radices, poſitionis erectæ, & proſpectus, in orientem atque meridiem, liberrimi. Antica pars, prætorium habet, longo ædificii ordine, præſtructum, & duabus diſcretum contignationibus. quod, ſicuti frontem horto obuertit; ita, duabus vtrinque alis, in aream retorquetur, qua viam regiam proſpicit. Itaque, gemina aditur porta, exteriore altera, ſimulacro B. M. Virginis, & gentilitio *Lippaiorum* inſigni, conſpicua; altera interiore, quæ prætorium ſubit, & recta, in ambulacrum, quod eſt totius horti laxiſſimum, deducit. Obiacebat ei e diametro, ad paſſus ducentos, & amplius, machina hydraulica, quam ſic depinxit *Lippaius*, vt facile ſit ad coniiciendum, opus non minus magnificum fuiſſe, quam ſtupendum. cuius hodie, præter ædificium, egregie inſtauratum, nil quidquam eſt reliqui. Exterior nimirum molis facies, picturis ſacris ſuperbiebat; interius, furtiuæ *fiſtulæ*, aquas paſſim, ingenti vehementia eructabant, quæ fallerent imprudentes. Turrito operi, *Samſon*, colophonis loco, inſtabat, aſininam maxillam dextra porrigens, ex qua, *octodecim* pedum altitudine, ſaliebat aqua, ab imo, ad eam celſitudinem, pedes emenſa, *quinquaginta*. Reliquus, ſuperioris contignationis, ornatus, præter *S. Roſaliæ* ſtatuam, *Satyris*, & id genus picturis, ſpeculis item monſtroſis, parietibus affabre inſtructis, conſtabat.

Lippaius conditor:

quæ fuerit horti facies:

f.) Libelli inſcriptio ſic habet: Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Principi, Dno. D. Georgio Lippai L. B. de Zombor, Archiepiſcopo Strigonienſi, &c. Patrono ſuo Gratioſiſſimo, in debitæ obſeruantiæ monumentum, hortenſes eiusdem *vicennales labores*, æri inciſos, demiſſiſſime dedicauit: Georgivs Lippai L. B. de Zombor, nepos obſequentiſſimus. A. MDCLXIII. *Poſonii in Hungaria*: Inferne hæc inſcripta leguntur: *Hoc dicit Dominus Deus: Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore in deliciis Paradiſi Dei fuiſti.* Ezech. 28. an adpoſite ſatis? viderint, quibus volupe eſt, *Ezechielis* eum locum excuſſiſſe.

ſtabat. Molles, vtroque latere aditus, exſtant hodieque. Hinc, dextro, eiusdem tractus, angulo, *Parnaſſus* erat, & in hoc *Pegaſus*, vngulis laticem proliciens, *Apollinis* item, & *Muſarum* ſimulacra. Aduerſo, in Aquilonem, latere, eremus viſebatur, inuſitatæ ſtaturæ anachoretam oſtentans. Quod inter hydraulicam hanc machinam, & prætorium, intercapedinis intereſt, bipartito diuidebatur; & pars quidem occidentalis, pomaria habebat, fructuum exquiſitiſſimorum; pars contra, in orientem ſpectans, *regiunculis* definiebatur, viginti quatuor, paris laxitatis. Has, ambulacra interſtinguebant, mutuo ſemet ſecantia, & partim fronde inueſtita, partim aperta. Itaque, & cum maxime æſtuabat ſol, opportunæ hic erant deambulatiunculæ. Quæ ad prætorium propius accedebant, areæ, floribus conſerebantur, puluillis, ritu Italico, ad picturæ modum, per varios ductus, ludentibus. Ante prætorii portam, gemino ſilano, aquæ iterum ſaliebant, ſpectaculo eo iucundiore, quod ſole nitido, iridem vterque monſtrabat. Singuli, triplici inſtructi erant lacu. Supremo fuſor inſiſtebat; alteri, *Tobiæ* iunioris, alteri, adoleſcentis ſpecie; piſcem ille ſuum, auide prehenſum; *hic ſyringem*, genu depactam, *tenebat: vterque*, viginti quatuor pedum *altitudine*, aquas eiaculabatur in aera *(g.)*. Fuere, & ludicri ſilani alii. In his, facile Sirenum illa præcipua, de qua Lippaivs: *In inferiori Galleria ad nizam ſaxoſam, ſirenum modulamina diuerſa, inter quas medius lyripipiarius (h.) ſua fiſtula colludit, adſtantesque, conſperſione fallit.* Sed nec illud, deteriori loco habendum, quod in inferioris ambulacri, ſeceſſu quodam, ruinæ fuerunt, ad Romanarum ſimilitudinem, profeſſa opera, factæ. Diuerſæ his aues inſidebant, diuerſum, artificioſo concentu, modulantes, tanta adcuratione, vt oſcines viuas allicerent. Piſcina ſupereſt adhuc, cum *S. Georgii* martyris ſimulacro, draconem tricipitem, confodiente, ſed qui iam aquam vomit nullam, quam antea ſingulis rictibus affatim egurgitabat. Hortenſis præterea *Labyrinthus*, cancellis circumſeptus lapideis, eo plus habebat iucunditatis, quod ſub obtutu fuit, turriti cuiusdam, & elegantis ſolarii. Tres ei aditus fuere, ambages propemodum innumeræ, quas parietes fruticei, diſcriminabant. Ergo, tantum emetiebatur ſpatii, quantum vni deambulationi ſuffeciſſe potuit. Oblectamentorum hæc genera, vicennalibus operis, iuxta & impenſis, *Lippaio* conſtiterunt. Triennio, conſummato operi ſuperuixit; ſucceſſores certe nactus eſt, qui tantæ moli ſuſtentandæ, impares ſe rati, non quidem negligebant prorſus hortum; ſed nec ita procurabant, vti id, tam variorum operum, & vaſtitas, & multitudo, videbatur requirere. Itaque, deficiebat ſenſim, *Lippaianæ* induſtriæ, præclarum adeo monumentum, dum exeunte ſeculo ſuperiore, ſui prorſus diſſimile euaderet. Inſtaurandum denuo ſuſceperat, Christianvs Avgvstvs, Cardinalis de Saxonia; ſed ita, vt ex viridario, *&, quæ iam eſt:*

g.) Exhibetur icon vtriusque, litteris H. & I.

h.) Sic noſtri adpellant, tibiarum vtricularium magiſtros: *Sack-Pfeiffer.* Exſtat eius icon, littera D.

nemus efficeret voluptarium. Exsectis enim, quæ superabant, arboribus fructiferis, laxis ambulacris designari, latera tiliis conseri, iussit. Et increuerunt omnino, magnis profectibus, vt iam vmbram præstent, ne sacris quidem lucis, conferendam. Neque cessat Emericvs Princeps, pro ea, qua est, elegantia, curare hortum. Turrim profecto, hydraulicis olim operibus insignem, pulchre instaurauit, tametsi laticis inanem; induxit denuo aquas perennes, quæ medio horto, eleganter saliunt. Iam *Prætorium hortense*, non minus commode, quam eleganter, cœptum est instaurari. Atque spes est omnino, si vita suffecerit pontifici, posteritatis in primis memori, haud cessaturum, quin vindicet horto decus, si non pristinum illud, sed dignum tamen præsulis secessu. *Feliciter!* Ceteroquin, sunt & proceribus aliis, sui, ista regione, horti. Vicinus Archiepiscopali, *Illyésházii*, adsedit. quem olim, vir nobilis *Palugyai*, vltra, quam ferebant opes, posuerat. Suppar huic est, *Erdődiorum* viridarium, domo voluptaria non solum, sed & sacello, instructum. *Raygeri* olim fuit secessus, multæ iucunditatis. Cetera, quæ pro suburbiis sunt, viridaria, nulli vrbium Hungariæ quidquam temere concesserint. *Paradisum Hungariæ*, qui *Pisonium* dixit, bene dixit.

viridaria reliqua.

ARTICVLVS III.

De

Incolis, & Magistratibus Vrbis Pisonienſis.

SYNOPSIS.

Scriptionis ordo: quæ gentes colant vrbem, in his Germani *antiquissimi: nupera eorum accessio: quæ decora vrbi conciliarint.* §. I.

Slaui, *accedunt Germanis antiquitate: eorum fata vetera: & recentia: hodierni vnde? eorum laudes.* §. II.

Hungari, *incolarum recentissimi: quomodo ipsis cum Germanis olim conuenerit? quemadmodum in vrbe inualuerint? capessunt in vrbe magistratus: transeunt in Germanorum mores.* §. III.

Iudæi, *in Pisonienſibus incolis: vsurarii maleficentissimi: regum sollicitudo, in reprimendis Iudæis: quem vrbis vicum habitarint? incertum, cuius facinoris caussa, vrbe sint proturbati: accolunt vrbem, magno ciuium damno.* §. IV.

Regum, in alliciendis ad vrbem ciuibus, benignitas, potissimum Andreæ III.: *ad vrbem accedentes, quomodo accepti: incrementa vrbis inde profecta: procerum domus, quo loco iam tum habitæ.* §. V.

Quo-

Quomodo se hodie ciues habeant? qui adsciscantur in ciuitatem: occupatio quæ? mercatores, Iudæi *adsligunt: mechanici, iis feliciores: vinitorum sors: diminuti eorum reditus, quam ob rem?* §. VI.

Vulgus Pisonienſe: huius multitudo, ciuibus noxia: olitores, vrbi vtiles: aurigæ boarii, qua sint indole. §. VII.

Mores ciuium facti ad elegantiam: qua olim fuerint simplicitate: hodierni conuictus: ratio victus opificum: vinitorum. §. VIII.

Vestitus Pisonienſium: Germanorum: Hungarorum: *plebis reliquæ: oris habitus: feminarum luxus: forma virorum: mulierum: matrimonia quomodo habeant: quomodo educent liberos: fastidiunt fere litteras: suo, & reipublicæ, damno.* §. IX.

Aedium, quas incolunt, commoditas: student hospitalitati Pisonienſes: nuptiarum ritus: funerum cura: tenor vitæ Pisonienſium reliquus. §. X.

Pisonienſium magistratus: eligendorum ius, ciuibus veterrimum est: Andreæ III. *indultus;* iudicis *auctoritas: olim ad arcis quoque suburbanum, pertingebat: Pisonienſium caussæ, ad* Magistrum Tauernicorum, *adtinent: peculiaris magistratuum Pisonienſium prærogatiua.* §. XI.

Iura magistratuum, iniuriis temporum contemerata: Ferdinandi, *in tutanda eorum auctoritate benignitas: reliquorum regum, erga Pisonienſes, fauor.* §. XII.

Iudicis *collega,* Consul: *cur Iudicis dignitas apud Pisonienſes potior est, quam Consulis? quæ sint partes* Iudicis *domi: publice in prætorio: eius ministeria:* Consulis *munia: quos habeat ministros?* §. XIII.

Iudicum, Consulum, & Notariorum *series, vltra sesqui seculum, expromta.* §. XIV.

Capitaneus *vrbicus: quid sibi iniunctum habeat: Fiscus: tutelarum inspectores: Notarii: scribarum ministeria, siue cancellistæ: rationum magistri: tabularius.* §. XV.

Senatus exterior, siue centum viri: qui in eum ordinem cooptentur: tribunus plebis, quas habeat partes: Camerarius, siue quæstor vrbicus: Xenodochii procurator: censuum exactores: qua premantur difficultate: eorum ministeria: pontis præsides: agoronomi: dimensores. §. XVI.

Pisonienſium præsidia, pace: bello: militis vrbici numerus & occupatio: ciues, re trepida, militum obeunt munia: peculiaris eorum manipulus. §. XVII.

Ruſticanis operis, Conſul, & Camerarius, *moderantur: dominatio Piſonienſium tenuis, & cur? vici, quos in poteſtate habent: cura vinearum: manus pretii nimietas, heris damnoſa.* §. XVIII.

Ritus eligendorum magiſtratuum: Tribuni plebis, *circa eum munia: qui ciuium electionis cauſſa coeant: tribuni plebis adlocutio ad ciues: conſultationes mutuæ: regii arbitri, ſi adſint, quomodo accipiantur: mandatorum* Cæſaris, *argumentum: ritus ceteri.* §. XIX.

Iudicis & Conſulis *electio, quemadmodum inſtituatur: profectio eorum ad ædem ſacram, iurisiurandi cauſſa: Sacramentum,* Iudicis: Conſulis, & *Senatorum.* §. XX.

§. I.

Scriptionis ordo:



Onſentaneum ordini eſt, vt perluſtratis, vrbis & ſuburbiorum, ædificiis, atque opportunitatibus, de incolis nunc, & magiſtratibus, dicamus. quod ita exſequemur, ne vel nimii ſimus, vel parci. Incolæ, vario hominum genere, nationibus conſtant tribus: *Germanis*, *Hungaris*, & *Slauis*. qui tamen *Bohemi* malunt adpellari. De *Germanis*, certum eſt, incolarum Piſonienſium antiquiſſimos eſſe. Non iam Romana, ſed nec barbarica, tempora, quæ ſupra expendimus *(a.)* neceſſe eſt reminiſci; ætatem S. Stephani, qua *Piſonium*, dotis iure, Hungariæ accenſum eſt, recoluiſſe ſuffecerit. Nimirum, vrbs tunc prorſus *Germanica (b.)* fuit: quippe quam, longa retro annorum ſerie, excuſſam, e Hungarorum, adhuc gentilium manibus, poſſederunt *Germani*, & quod facile coniectatu eſt, auxerunt nouis ſubinde immiſſis coloniis. Ab ea ætate, non defuerunt in vrbe *Germani*, quin immo, rerum ſemper potiebantur, adminiſtrabantque magiſtratus. *Henricus* certe *Auſtriacus*, ea cum primis occupandi *Piſonii* vſus opportunitate eſt: quod ciues, *Germanos* omnes, propenſa in ſe voluntate *(c.)* eſſe cognorat, qui poſtea officium omnino fecere. Sed hæc ita certa ſunt, exploratæque, vt non indigeant, conquiſita vndecunque demonſtratione. Diplomata certe, quæ habet vrbs, a regibus, ampliſſima, *Germanica* nomina referunt, prætorum conſulumque. Id tamen, largiamur, neceſſe eſt, non vno traduce, inde ab exordiis regni Hungariæ, nationem

quæ gentes colant vrbem: in bis Germani *antiquiſſimi:*

a.) Hiſtoriæ Vrbis noſtræ, Periodo I. & II. vbi *Quados*, *Marcomannos*, *Rugios*, *Herulos*, & *Longobardos*, vrbem inſedisse, docuimus.

b.) Vide Periodum III. §. II.

c.) Bonfinivs, Decade II. Lib. VI. p. 259, 36. 48. & nos in Vrbis Hiſtor. ſupra, Periodo III. §. V.

tionem *Germanicam*, in vrbe noſtra, propagatam fuiſſe. Nouis ſubinde coloniis, tamquam in ſupplementa acceptis, redintegrabatur. Quod & ita fieri oportuit, in vrbe, tot exitialibus bellis, ab *Auſtriacis*, & *Bohemis*, peſſundata. Profecto, vix erat ſeculum, quin demigrationes *Germanorum* huc fierent; ſiue id demum belli, ſiue peſtilentiæ neceſſitas poſceret. Quin & ſenſim, quod fit, opifices potiſſimum, vrbem ſubibant, ponebantque hic, operarum, iuxta & fortunarum ſedes. Vix autem vnquam, vrbi noſtræ, validior a *Germanis* facta eſt acceſſio, quam ſub *Rudolpho*, *Matthia*, & *Ferdinando II.* quando ſacrorum cauſſa, *Styriis*, & *Auſtriis*, vertendum erat ſolum. Acceſſere tunc ad vrbem, *Auerii*, *Böheimii*, *Bramerii*, *Drittlii*, *Karnerii*, *Mollerii*, *Segnerii*, *Schremſerii*, *Raygerii*, *Rottnerii*, *Spindlerii*, *Zillingerii*, atque tenuiora nomina alia. Hi vero, vti vim inſignem, auri argentique, adportauere ſecum, ita, non potuerunt non, vrbem reddidiſſe, opibus, iuxta & ciuibus, locupletiorem: vt illuſtres familias, quas idem neceſſitatis telum, ad quærenda iſthic perfugia, coegerat, taceamus. Ergo, præcipuum ſemper vrbi, a *Germanis* decus *conciliatum*, excitatæ ædes, *conſtituti mercatus*, inductæ artes, procurata, omnis generis honeſtiſſima incrementa. Vt ingrati ſimus, oportet, *Hungari*, ſi opiniones ſequuti præiudicatas, has *Germanorum* Piſonienſium laudes, deteramus. Vniuerſim, de Liberis Regiisque vrbibus, adfirmamus: *Tantum eas, & opibus valere, & cultu, quantum Germanicarum coloniarum, admiſerunt.*

nupera eorum acceſſio:

quæ decora vrbi conciliarint?

§. II.

Slaui, *acedunt Germanis antiquitate:*

eorum fata vetera:

& recentia:

Slavos, Germanis adiungimus: gentem, oppido, his regionibus, validam, & quæ *Quados*, atque *Marcomannos*, *Rugios*, *Herulos*, aliaque Germanicarum ciuitatum portenta, vel abſorbſit, vel certe depulit. Tunc enim, *Slauos*, Maharenſium nomine, plus ſatis cognitos, vrbe noſtra fuiſſe potitos, ſupra *(d.)* coniectauimus, vltra veri ſimilitudinem. Hæc antiqua ſunt, & remota a recenti memoria. Poſt rempublicam *Hungarorum* conſtitutam, numquam ab vrbe noſtra, *Slaui* aberant; non ii quidem æquandi *Germanis*; ſed ita tamen comparati, vt retinerent priſci decoris quidpiam. Id quod eo fiebat procliuius, quod & Morauos habebant vicinos, & bellis Bohemicis, quibus toties fatigabatur *Piſonium*, poterant increſcere. Neque tamen diffitemur, in ſummam inuidiam adductos fuiſſe *Slauos*, iis ipſis cladibus, quas vrbi intulerunt. Ergo, rarius ad clauum reipublicæ pertingebant. Melius, cum *Slauis*, tunc agi cœptum eſt, cum Sigismvndvs Rex, *Procopio*, & *Iodoco*, Marchionibus Morauiæ, pignori oppoſuit *Piſonium*. Sed non erat diuturna *Maharenſium* hæc dominatio: apud *Piſonienſes* certe, eo minus poterant, poſt redemtam vrbem, *Bohemi* inualeſcere, quo acrius Sigismvndvs, Huſſitarum factio-

d.) Periodo Vrbis II. §. V. ſeqq.

factionem, qua tota laborabat Bohemia, auersabatur. Regnis posteà, magis magisque, sub *Alberto*, *Ladislao* posthumo, *Matthia* Coruino, & *Wladislao II.* coadunatis, laxiora *Bohemis* iura fuerunt in vrbe nostra. Et exstant omnino, eius ætatis monimenta, quæ non ciues modo, sed primores etiam, e *Slauis*, vrbem habuisse, testantur. At, vbi conuersa regni fortuna, occumbente ad Mohátsium Lvdovico II. vrbs periculum aditura metuebatur; vti peregrini alii, sic *Bohemi* quoque, tutiora quærebant perfugia. Neque rerum potientibus *Austriacis*, belline metu, an *Hungarorum* auersatione, magnopere ciuitatis iura *Bohemos* expetiisse, reperias. Itaque, si ciuibus se immiscuere *Slaui*; gentiles ii fuere, editi fere iis Comitatibus, qui Morauiam, Silesiam & Poloniam, contingunt. Hi vero, opifices plerique erant, aut homines proletarii. Neque tam diu est, cum vilissima seruitia, ex *Slauis* peti cœperunt. Rarus hodie *Pisonii* bubulcus est, nisi *Slauus*. Vidit tamen ætas nostra, viros, eruditione non minus, quam rerum gerendarum prudentia, insignes, qui, & vrbem, & prouinciam, præclare illustrarunt, hodieque illustrant. quorum tamen nomina, *ne oneremus verecundiam, supersedemus* recognoscere. Nam, est hoc in gente *Slauica* eximium, vt nulli non vitæ generi, homines sufficiat, apprime idoneos. Quia enim, *durioribus* adolescentiæ annis vtuntur, immutriunturque meliorum litterarum studiis, fit his rebus, vt, & ad laborum patientiam subigantur, & rebus gerendis fiant idonei. Proinde, si campum nacti sunt, virtuti experiundæ aptum, emergunt ante, quam reris, &, quibus erant paullo ante despicatui, hos, multis post se parasangis, relinquunt.

hodierni vnde?

eorum laudes.

§. III.

Hungari; *incolarum recentissimi:*

INiuriam forte interpretabuntur nostri, quod, in ciuibus Pisonensibus recensendis, vltimo loco, Hvngaros, rerum, in patria, dominos, commemoremus. Sed, hi fere, historiarum erunt ignari, earum præcipue, quibus rerum Hungaricarum exordia sunt perscripta. Nempe, rerum apud Pisonienses, *Germani*, & *Slaui* potiebantur, cum ignoraretur adhuc nomen *Hungaricum*. Seculo demum decimo, vrbem suam fecere populares nostri; sed quam eis, breui post, excussit e manibus fortuna; dum, ineunte vndecimo seculo, hoc est, post S. Stephani, cum *Gysela* nuptias, in vrbis possessionem venirent denuo. Auide tunc, sicuti in procliui est coniicere, nouas sedes, *Hungari* amplectebantur; sed quas postea, bellis Teutonicis, vel deserebant, vel certe, iis immortui sunt. Difficilius, enim vero, *Hungari*, & *Germani*, ea quoque tempestate, in vnam ciuitatem, coalescebant; cum ob morum, & linguæ, diuersitatem, tum potissimum, ob inueterata odia, quibus se, non in eadem modo regione; sed iisdem etiam sub tectis, prosequebantur. Tametsi enim, cessabat in nostris, sensim, barbara illa feritas, qua olim euastabant Europam

quomodo ipsis cum Germanis olim conuenerit?

pam interiorem; tamen, nouæ subinde intercedebant iniuriæ, quibus instaurabantur vetera illa odia: apud *Pisonienses* potissimum, vbi si quid aduersus Hungariam, hostilis molirentur *Austrii*, aut *Boii*; simul maleficii insimulabantur *Germani* ciues: quam hi quidem vicem reddebant *Hungaris*, si quando contigit, vrbem in *Germanorum* esse potestate. Accedebat, versatile *Teutonum* ingenium, & ad omnem captandi lucri occasionem, intentum; maxime, in ea ignoratione artium, in qua tunc versabantur *Hungari*. Ergo, id quoque, tametsi beneficium fuerat, alieno labore, vitam commodam degere, in offensis habebant nostri. Aduertit hanc, inter Hungaros, & Germanos, odii caussam, Aeneas Silvivs *(a.)* postea Pivs II. Summus Pontifex: *Nullam inuenies gentem*, inquit, *quæ sua e regione facile absportari aurum sinat. Communis est hic morbus, & in omnes prouincias effusus. Nam, quemadmodum Germani, ob hanc caussam Italos insectantur odio; ita & Vngari, Germanos. Nam quid est, quod Pannonicæ plebes ægrius ferant, quam in suo regno, Alemannos negotiari?* Quæ, sane, odii caussæ, *Pisonii* potissimum, in promtu erant, quando, quidquid Germania, secundo Danubio, sufficiebat mercium, *in vrbe id nostra*, tamquam destinato *in horreo*, reponebatur. Longa demum commerciorum, vltro citroque institutorum, consuetudine, euicti *Hungari*, placidius cum *Germanis*, conuiuebant. Accedebat, frequens regum, in vrbe nostra diuersatio. qua non poterat non fieri, vt multi, e comitatu regio, sedes isthic eligerent, capesserent iura ciuitatis, seque prorsus *Germanis*, intimarent. *Barones* certe, quos vocamus, *Regni*, cogebantur suas hic ædes habere, quas incolerent, quoties ita vsus ferret. Addo, opificiorum addiscendorum e vulgo, cupiditatem. qua illectos, *Pisonium*, multos existimarim: qui demum, positis tyrociniis, amabant isthic habitare. Non ergo, ciuibus Hungaris, *Pisonium* caruit, etiam eiusmodi, qui ad capessendos magistratus idonei viderentur. Illud peculiare est, numquam ita *Senatum* Hungaris fuisse oppletum, vt vrbica negotia, lingua patria, tractari oportuerit. Quidquid enim veterum scriptionum supereſt, sermone id latino, aut Germanico, continetur: *Hungarico* certe, præter res minutiores, vix quidquam. Id vero argumento est, de *Hungarorum*, apud Pisonienses, insigni paucitate. Quid? quod & hi, qui intersunt, raro lustrum vnicum, in *Germanorum* hac societate, degant, quin trahant, & moris, & linguæ *Germanicæ*, quidpiam: qui vero isthic consenuerunt, migrant prorsus *Hungarismum*; saltem, vxores, & liberos, relinquunt *Germanos*. Quos hodie inter ciues nouimus, haud quidem a ciuico isthoc contagio sunt alieni; tametsi cetera gentilitii moris haud negligentes.

quemadmodum in vrbe inualuerint?

capessunt in vrbe magistratus:

transeunt in Germanorum mores.

§. IV.

a) In tractatu: *De Ritu, Situ, Moribus & Conditione Germaniæ*, folio xv. b. vetustissimæ editionis Lipsiensis. Anno MCCCCXCVI. forma quadrip. charact. Gothic.

§. IV.

Iudæi, *in Pisonienſibus incolis:*

SEculis ſuperioribus, *Iudæi* quoque inerant in vrbe, rerum adeo potentes, vt parum abfuerit, quin vrbem, grauibus, extra modum, vſuris, penitus exſuctam, ſuam fecerint. Inuolabant nempe domos, vineas, agros, fundosque alios, quos ære Hebræo obruerant poſſeſſores. Inualuerat maleficium, iam tum CAROLI, & LVDOVICI, primorum, ætate. Itaque, dedere operam reges, ne id porro ſerperet; quin imo, diminueretur in dies, fœdum, ac perniciabile, nefas. Huc adtinuit, LVDOVICI I. anni MCCCLXXI. conſultum, quo *Iudæi*, lucripetæ, tributa, vrbanis magiſtratibus ſoluere iubebantur. Quam eius prouidentiam, æmulati reges ſequentes, abſoluebant ciues, ab vſurarum, quibus erant *Iudæis* obſtructi, ſolutione. SIGISMVNDI hæc fuit benignitas, qua ille, res *Piſonii*, extra modum, a maleficentiſſimo genere, adflictas, omni ope redintegrare, anno MCCCXCII. conniſus eſt. Tanto beneficio, aliud, idque multo auguſtius, ELISABETHA filia, vidua *Alberti*, adiecit. Non modo enim, vſuris *Iudaicis*, *expeditos porro eſſe voluit Piſonienſes; ſed cenſus* etiam omnes, quos eouſque *Aerario regio inferebant*, decennio toto, vrbis magiſtratibus, anno MCCCCXLI. indulſit. Nondum decennium illud abierat, cum *Iohannes Coruinus*, tunc gubernator Hungariæ, abrogatarum vſurarum legem, ne a *Iudæis* antiquaretur, anno MCCCCL. inſtaurauit denuo. Acceſſit poſtea Piſonium, LADISLAVS poſthumus, vt publico in comitio, regiam dignitatem, quam infans adierat, a *Friderico* e tutela dimiſſus, capeſſeret. Prolixa, voluntatis eius in vrbem, fuit ſignificatio. ad quam, iſtud retuleris: quod anno quidem MCCCCLIII. priorum regum, editam, de vſuris *Iudaicis*, ſanctionem, ratam habuerit; anno vero MCCCCLIV. ſeuere mandarit, vt *Iudæi*, qui in vrbe colebant, oneribus tributisque vrbanis, ex æquo, cum ciuibus, eſſent obnoxii. Sed quæ eſt, gentis vaferrimæ inquies, non ante ceſſauit elaborare, quam has ſanctiones labefactaret. Proinde, MATTHIA Coruino, ad clauum reipublicæ ſedente, pars vſurarum altera, iterum *Iudæis*, altera ciuibus, ex regis voluntate, quam anno MCCCCLXXV. promulgauit, conceſſa eſt. Tunc ciues quoque prohibiti ſunt, ne hæreditaria bona, vineas, agros, prata, & his ſimilia, pignori darent *Iudæis*; ſin autem pergerent *Iudæi*, his iſtiusmodi hærediis, mutuato ære, inſidiari: quidquid erogarint pecuniarum, in fiſci rationes referendum eſſe. Sed, vnde hæc pecuniarum vis *Iudæis?* Ita reor, argentarias tabernas, *Piſonii* habuiſſe inſtructas. Quarum rationibus, cum ſe imprudentius obſtringerent ciues, facile fuit, vt obruerentur vſuris. Quod, cum aduerterent, optimi reges, non poterant non, ſicuti auaritiam, recutitæ gentis; ita ciuium imprudentiam, promulgatis edictis, reprimere. Cenſus profecto, qui ex collybiſtico hoc quæſtu *Iudæorum*, redibat, ad ærarium regium pertinuit. Hinc illa manuauit actio, quam extremis FERDINANDI I. temporibus, &

vſurarii maleficentiſſimi:

regum ſollicitudo, in reprimendis Iudæis:

& ſub exordia MAXIMILIANI, atque anno MDLXVII. in primis, vrbicis magiſtratibus, *Camera* intentauit. Ceterum, his, iſtiusmodi artibus, ad eum modum inualuit gens, nomini Chriſtiano inimiciſſima, vt numero licet inferior; opibus tamen, cum ciuibus, de palma certare potuerit. Sua illis platea in vrbe fuit, quam *Iudaicam* adpellarunt; hodie *pileatorum (f.)* dicimus. Hic & *Synagogam* habuere, non eam quidem amplam, ſed ritu factam ſuo. quam, vt occulerent intra vulgarium ædium ordines, poſteriore parte, ita exædificauerant, vt orgyiæ altitudine, humi depreſſa, ne tantillum quidem ſupra tecta reliqua, eminuerit. Durauit ad noſtram vſque ætatem opus, & exſtat hodieque; ſed *in* geminam intus contignationem, diſcretum. Multam operam impendimus, vti reſciſceremus, quid facinoris perpetratum fuerit, a gente maleficentiſſima, cuius cauſſa, ab vrbe depelleretur; ſed qui nos docuiſſet, erat nemo. Iſtud relatum accepimus, contemerauiſſe impiis manibus, *SS. Euchariſtiam*, bipedum ſceleſtiſſimos. quod vbi, haud ſine prodigio, in vulgus emanarit, ex vrbe, & quam late eius patebat ditio, migrandum fuiſſe Hebræis: edito Senatus conſulto, *ne genus iniquiſſimum, vllis vnquam* temporibus, in vrbis ditionem reciperetur. Hæc, ita narrantur; ſed, quod doleas, ſine capite. Non poſſum autem adduci, vt credam, non adſeruaſſe, execrandi maleficii, ſaltem aliqualem memoriam, publicum vrbis tabularium. Quidquid eius ſit, fruſtra eſt, quod ab vrbe exſulat fœdiſſima, & exitio Chriſtianorum imminens natio; quando arcis pedem circumquaque inſedit denuo, maiore Piſonienſium damno, quam cum vrbem ipſam incolebat. Tunc enim, ciuicis magiſtratibus ſuberat, pendebat tributa, & trahebatur ad ſupplicia, ſi quo ſe crimine obſtrinxerat; nunc, vrbanis opportunitatibus, multo, quam ciues, perfruitur lucroſius; non aliam referens gratiam, quam, quod depaſcat vſuris plebem, incautos dolis implicet, & qua ſe dat occaſio, emungat ditiores: ne iam prauitates reliquas, & in annona ciuibus præripienda malignitatem, commemoremus. Enim vero, quam de Bohemicis Iudæis, BOHVSLAVS BALBINVS, S. I. *(g.)* querelam edidit, ea nos, de *Piſonienſibus* conqueramur oportet. *Quod de Philoſophis*, inquit, *genethliacis* TACITVS *olim ſcripſit; hoc in Iudæos aptiſſime cadit: Genus hominum potentibus infidum*, (ſed vtile, & quæſtuoſum,) *ſperantibus fallax*, (noxium publicæ, & priuatæ rei multorum,) *quod in ciuitate noſtra, & vetabitur ſemper*, (in odio erit,) *& retinebitur.* Profecto autem, maximam felicitatis *Piſonienſium* partem *Iudæi*, hodieque deterunt. Tolle *Iudæos!* beatum feceris *Piſonium*. quam nos felicitatem, vrbi hac in primis temporum difficultate, vouemus toto animo.

quem vrbis vicum habitarint?

incertum, cuius facinoris cauſſa vrbe ſint proturbati:

adcolunt vrbem, magno ciuium damno.

f.) *Die Hutter-Gaſſe*, de qua ſupra diximus, quod ſatis eſt.

g.) Epitomè Rerum Bohemicarum, Lib. v. Cap. xi. p. 572.

§. V.

Regum, in alliciendis ad vrbem ciuibus, benignitas: potissimum Andreæ III.

SEd ad ciues redeamus. Magna in iis ad vrbem illiciendis, benignitate, priscos reges fuisse vsos, in diplomatibus reperio. ANDREAS III. quem *Venetum* adpellant, liberam vndiquaque, ad vrbem nostram, commigrandi facultatem, his impertiuit, qui in ea colere vellent. Verba diplomatis, quod anno MCCXCI. edidit, hæc sunt: *Si aliquis, de quacunque villa, in ciuitatem* Posonienſem *cauſſa commorandi (h.) venire voluerit, Dominus ipsius villæ, seu possessionis, ipsum impedire non præsumat; sed cum omnibus bonis suis, eum libere abire permittat: iusto tamen & consulto terragio, Domino terræ persoluto.* Et paullo ante: *Volumus, vt de hominibus, ad ciuitatem eandem, cauſſa commorandi, de quibuslibet villis, & ciuitatibus venientibus, vel se transferentibus, nullum tributum in veniendo exigatur.* Nondum scilicet, e clade, quam vrbi *Ottocarus* inflixerat, prorsus conualuerat *Pisonium*; vt debuerit omnino, hac istiusmodi benignitate, refoueri. Qui ad vrbem accesserunt, non minus clementer sunt habiti. Huc adtinuit, plantandarum vinearum, sine tributo, libertas: *Ordinauimus etiam, & concessimus*, verba sunt eiusdem diplomatis, *vt de vineis ipsorum, antiquis, & de nouo plantatis, vel plantandis, nullum debitum, scilicet, nec (i.)* Akones, *qui vulgariter* Clybriones *(k.) dicuntur, vel aliquam aliam exactionem, vllo vnquam aliquo tempore, dare & soluere teneantur.* Itaque, habebant egregia, pangendarum excolendarumque vinearum, auctoramenta, & pristini ciues, & nuperi aduenæ; perfectumque ea regis indulgentia fuit, vt quam latissime, per inuios colles, vitis, breui tempore, propagaretur. Neque ciuium tantum hæc libertas fuit; sed promiscue omnium, qui, seu in vrbe degebant, seu in suburbiis. Iterum diploma: *Si qui autem in eadem ciuitate residere voluerint, aut in suburbiis ciuitatis permaneant, fruantur eadem libertate, quali ciues, de ipsa ciuitate perfruuntur.* En! iam tum suburbiorum mentionem. Ne vero commeatus deficeret ciues, vectigalia, idem ANDREAS, abrogauit. *Concessimus*, inquit, *quod omnes mercatores pannorum, boum, & piscium, de quibuscunque regnis, vel locis, ad ipsam ciuitatem venientes, descendant in eandem, mercimonia sua libere & secure venditioni exponendo. Et hæc omnia propter augmentum hospitum nostrorum prædictorum, & munitionem ipsius ciuitatis nostræ, de gratia concessimus speciali.* Tanti tunc reges existimabant, urbium incrementa, illectis aliunde ciuibus, procurare! Quantæ vero benignitatis vocabulum, cum ciues, *hospites suos*, adpellat? Nempe, abstinuerunt se, optimi illi reges, consulto, ne *subditorum*, aut *vasallorum* nomina, adhiberent; vt blandiori illa adpellatione, plures pellicerentur, ad iura ciuitatum capessenda. Certe, vetera diplomata, vrbium

ad vrbem accedentes, quomodo accepti:

h.) Id est: *ad habitandum* Pisonium accedentes.

i.) *Akó*, Hungaricum vocabulum. *Vrnam*, sexaginta *sextariorum*, significat.

k.) *Czöbör*, hodie vocamus, estque mensuræ modus, quo vtimur, in liquidis mensurandis, capacitatis non vbique eiusdem.

vrbium etiam reliquarum, id nominis adhibent perpetuo. quod argumento est, excoluisse vrbes, non tam *Hungaros* populares, quam adscitos in ciuitatem alienigenas, atque *Germanos* potissimum. Alioquin, quod vrbis communiendæ, mentionem habet ANDREAS, colligimus inde, haud sine ratione, pertusa, aut derasa penitus, ab *Ottocaro*, mœnia, lentis profectibus fuisse instaurata, ob ciuium, sicuti fas est existimare, & paucitatem, & pauperiem. Ne vero hospitum *Pisonienſium* commercia, quoquomodo sufflaminarentur, tributorum eos immunitate donauit; id quod supra *(l.)* meminisse nos, recordamur. Longum foret, consectari reliqua. Istud in confesso est, conualuisse, regia hac beneficentia, vrbem, accessionibus eo felicioribus, quod, qui exceperunt ANDREAM, reges, *Carolus* puta, *Ludouicus*, *Sigismundus*, *Albertus*, *Elisabetha*, *Coruini* item, pater iuxta & filius, non modo non adprobarunt eius munificentiam; sed etiam, nouis auctibus locupletauerunt. Non ergo admirationis habuit quidquam, quod, & selectu, & opulentia ciuium, vrbes Hungariæ reliquas, antecelluit tunc *Pisonium*. Adflictabant subinde rem vrbis proceres, quando, quas isthic habebant domos, liberas a *censu nitebantur* præstare. Cui querelæ, modum finemque posuit, LVDOVICVS, dum edito diplomate, *(m.)* omnes, omnium ordinum homines, sub censum vocandos, decreuit. Regis verba sic habent: *Statuimus, & ordinauimus, vt vniuersi homines, cuiuscunque* STATVS ET CONDITIONIS *existant, qui in ciuitate nostra, Posonienſi, & metis eiusdem ciuitatis, domos habent, communiter & vnanimiter, factum operis, vigilationis, & custodiæ, ac alii cuiuslibet ponderis, ipsius ciuitatis nostræ, debeant & teneantur facere & exercere, ac omne onus ipsius ciuitatis debeant & teneantur communiter supportare, tam viri* ECCLESIASTICI, *quam* SECVLARES, *&* Iudæi. *Quia, si ipsa ciuitas nostra, per hostes nostros superaretur, esset commune malum; igitur communiter, de custodia, & bona conseruantia, dictæ ciuitatis nostræ, debeant procurare.* Vetera hæc ciuium iura fuerunt, ita omnino comparata, vt non potuerit non efflorescere vrbs, Austriacis & Morauis, limitanea.

incrementa vrbis inde profecta:

procerum domus quo loco iam tum habitæ.

§. VI.

NEque est, quod querantur hodieque ciues nostri, si communem temporum difficultatem excipias. Certe, qui iura ciuitatis expeterent, defuere numquam. Adscisuntur autem non alii, quam qui honesto, liberoque loco sunt editi, quique in promtu habent, quo & vitam ipsi tolerent, sine aliorum molestia, & vnde tributa, quæ imperantur, soluant. Itaque, mercatores sint, vel opifices, vel vinitores, oportet: quippe, in quas classes, omnis ciuium multitudo, dispescitur. Qui ius ciuitatis volunt capessere,

Quomodo se hodie ciues haberent?

qui adsciscantur in ciuitatem:

l.) Historiæ Vrbis, Periodo III. §. XV. quorsum lectorem dimittimus.

m.) Anno MCCCXLVI. *Budæ*, ante festum B. NICOLAI Confessoris.

Consulem adeunt; a quo pertentantur primum, vnde ad vrbem venerint? quod vitæ genus sectentur? quibus vadibus, ius ciuitatis ambiant? Quæ cum rite se habent omnia, cum vadibus, quos adsciuerunt, ad Senatum dimittuntur; vt, & nomen profiteantur, &, quæ sint boni ciuis partes, ex ore patrum, audiant. Tunc vero, iureiurando Regi, regno, vrbi, & magistratibus, fidem obstringant, necesse est. Diximus, triplex vitæ tolerandæ genus esse apud *Pisonienses*. Mercatorum olim præcipuum fuit, sors autem, quam nunc est, multo lautior, quando *Iudæi* inualuerant nondum. Vix tota *Hungaria*, melius habebant commercia, ob collimitii, amnis item, & commigrationis perpetuæ, quæ hac fit, opportunitatem. At, simul per arcis pedem, inualuit vafra & facta ad pessundandos Christianos, natio, fructum mercaturæ omnem, intercepit: vt iam difficile sit, institorem Pisonienſem, ad qualescunque opes, emergere. Neque enim satis habent, apellæ, tabernas mercatorias instruere: perreptant vrbem, ingeruntque merces, inuitis subinde, parabiliore omnino, quam id fieri posset a ciuibus, pretio; *sed merce tamen plerumque iniqua.* Proinde, *potior iam* mechanicorum est fortuna, eorum *in primis, qui* opificiorum rationes, cum aliis œconomiæ partibus, norunt connectere. Fit enim, *vt si* fallat annus, succurrant operæ mechanicæ; atque, si hæ minus sint fructuosæ, œconomiæ subinde reditus, pulchre iuuent rem familiarem. Sed, ne eos quidem facile deficit vitæ, sine querela, ducendæ, opportunitas, quibus nihil, cum œconomia rustica, rei est; si didicerunt, abstinere se ab vrbicis illecebris. quod, qui non faciunt, ferunt, sua pessima culpa, mala egestatis. Vltimus ciuium ordo, vinitorum est, diues antea, & amplarum possessionum, dum suum vino pretium fuit. Tota horum occupatio, cultu vineatico absoluitur. Fundos nimirum, quos habent, scrupulose colunt, suntque ita ad rem adtenti, vt non raro, elegantissimos quosque e ciuibus, vel æquent, rei familiaris procuratione & fructu, vel certe superent. Quia enim pastinationes, & quod *est* reliquum operarum, suo ipsi ductu, suisque operis, peragunt; *suntque* præterea, & victu, & amictu frugales: cogunt, difficillimis etiam temporibus, non *pauci* tantum opum, quantum vix putaris. Sed, horum quoque reditus, multum cœperunt diminui, posteaquam reddita sibi ipsi Hungaria, *nullus* non collis apricus, &, qui temporibus etiam felicissimis, *ignorabat* vitem, passim ea vestiri, occepit. Fit enim ea diligentia, nisi luxuriei instrumentum dicendum sit, vt infinitis modis, *plus* iam vini nascatur, quam antea. Id vero, sicuti nostratium prouentus, qui eis fere vnicus ex vinea est, reddit tenuiores; ita, agrestem multitudinem, auocat a rusticatione, facitque, *Baccho*, quam *Cereri*, amiciorem. Id volo: lentius eos frumento operari, quam vino: cum tamen, saluberrimo Romanorum instituto, posthabendæ essent rustico vineæ, ne annonæ quidpiam decederet. Enim vero, pane viuere, omnes opor-

occupatio quæ?

mercatores, Iudæi adstigunt:

mechanici iis feliciores:

vinitorum sors:

diminuti eorum reditus:

quam ob rem?

oportet, vino paucos: &, cum vix metuenda sit vini penuria; fames & inedia sæpius, regiones integras pessundedere.

§. VII.

RElíquum, extra hos ordines, vulgus, tametsi careat iure ciuitatis, multis tamen modis, exsuperat ciuium numerum: magno vtique, vrbicæ multitudinis intertrimento. Nempe, viuunt plerique in dies, & tametsi tributum pendunt exile; fruuntur tamen agro, siluis, & commoditatibus vrbis aliis, multo, quam ciues ipsi, lucrosius. Tenuiores in his, seminarium mendicorum diceres: proletarii enim sunt, & quam procrearunt sobolem, non tam enutriunt ipsi, quam adsuefaciunt ad mendicandum, educantque adeo reipublicæ pestes, hoc est, fures, latrunculos, meretriculas, & nullum non facinorosorum genus. Quibus erectior quomodocunque mens est; diurnam illi stipem merentur; sed quam paciscuntur, pro lubitu; vxores vero, præemunt commeatus, in vrbem illatos, tanta cupiditate, *vt & ciues a mercatu reiiciant. qua re fit, vt fructus* omnis generis, altilia, ferina item, *hac pessimarum* feminarum auiditate, magno in vrbe veneant. Meminimus, repressisse eam licentiam, magistratus, sæpius, idque edictis seuerioribus; sed, quod inualuit genus, vix vllo operæ pretio: numquam enim desunt, qui faueant peruerso generi. Melius, & sibi consulunt, & annonæ vrbis, *Olitores*, qui nihil non culinarium radicum, atque herbarum, gnauiter educant. Vti enim hortorum cultus, operas requirunt perpetuas; ita adtentos ad rem esse oportet cultores, vt habeant, quod, siue æstate in fora deferant, siue hibernis conditoriis reponant, promantque, cum est herbarum olerumque vsus. Ac profecerunt omnino eo vsque, hi nostri, vt numquam non exuberent hortensi commeatu fora. Nempe, præter veteres illos hortos, *Florilegia* potissimum, nupera illa colonia, quam *Blumenthal* vulgo dixerunt, nouelleta suffecit, pulcherrimi profectus: vt habeant Pisonienses, cur sibi gratulentur, de ea hortorum accessione. Parum aberat, quin genus infimum, sed, si vellet bene agere, vtile in commune, *Bubulcos* præteriremus. Istos volo, qui boaria aurigatione, perpetuis heris, annua se mercede obstringunt. Homines sunt, extra modum feri & agrestes; sed quorum ministerio, eo minus carere possunt *Pisonienses*, quo maior eis est, quadrigarum istiusmodi necessitas. Vix est ciuis, qui fundorum aliquem modum possidet, cui non sint plura boum iuga; non agro modo, sed vineis etiam curandis, destinata. Ei iumento, robustissimi quique, e gente *Slauica*, adiunguntur. qui demum, vti fert operarum ratio, ruri magis, quam domi, vitam degunt, alienam ab integritatis studio. Ergo, cum sunt ab agresti labore, ob statas ferias, cessationes, pergræcari in vrbe, rixari sub hedera, ciere tumultus, verberibus in tribules grassari, solemne eis est. Multi his liberi, nihilo meliores parentibus, vt constet

Vulgus Pisonienſe:

huius multitudo, ciuibus noxia:

olitores vrbi vtiles:

aurigæ boarii, qua sint indole.

ſtet ſibi illud, *mali corui*, *malum ouum*. Pueros enim, ſimul gradiri cœperunt, ſecum ductitant patres, vt adſueſcant duritiei; mox, vbi firmiores eſſe cœperunt, adtrectare boues, moderari flagris, & coniugare, erudiunt. Itaque, nati in vrbe, educati inter armenta, ſilueſcunt extra modum: vt difficile ſit, ex hoc genere, quemquam, in vitam liberaliorem vendicare. Iſtud plebis vltimæ ingenium eſt.

§. VIII.

Mores ciuium, *facti ad elegantiam*:

ELegantiora omnia *Ciuibus* ſunt, & effecta ad honeſtatis regulam. Lautiores in his; & ipſi viuunt commode, &, ſi id humanitatis cauſſa fieri oporteat, prolixe ſunt comes, non in amicos modo, ſed peregrinos etiam. Qua illi virtute in primis valuerunt olim, cum aberant temporum iniuriæ. Relatum accepimus, ab octogenariis ſenibus, ſua in pueritia factitatum fuiſſe, feſtis diebus propemodum ſingulis, vt cadum, paſſim in plateam propellerent ciues, quem inuerſum inſtrauerint mappa, oneratint cibis, non tam opiparis, quam *neceſſariis ad famem profligandam*; *adſediſſe* huic, cælo in veſperam procliui, vicinos, quin prætereuntes quosque, poculis propinatis, ad diſcubitum inuitaſſe. Ea conuictus familiaritate, ſine cuiusquam noxa, in ſerum diei, ſermones produxiſſe mutuo, abiiſſeque iunctis dextris, & longa veniæ præfatione adhibita, ſi quid egiſſent, dixiſſentue inconcinnius. Diceres, ſeculi fuiſſe ruditatem, quæ modum, intra parietes epulandi, neſciuerit in rem ſuam vertere. Si tamen, ruditas dici mereatur, non clam græcari, ſed in obtutu, & celebritate hominum, procul omni offenſa, ac ſine adparatu conuiuari. Iam, mos ille deſiit, & cum alio permutatus eſt, an etiam laudabiliore, neſcio. Sunt, enim vero, qui lautius, ſunt, qui adductius viuunt, & tunc, quando cum amicis, dare aliquid volunt genio. Satis eſt his, & famem depuliſſe conuiuarum, & ſitim. Reliquum tempus, colloquiis extrahunt, neque tetricis, neque futilibus. Quibus laxior œconomia, atque inde, moles curarum grandior, valde ſe abſtinent, ne quid iſtiusmodi occipiant; ſatis habentes, ſi, & vitam degere poſſint, cum honeſtate, & vineaticas operas, trudere. Explicatu difficile eſt, quam ſit genus hoc agricolationis operoſum, & impeditum, his, qui opificii deſtituti præſidio, ſolo cultu vineatico, rem coguntur facere. Nam, ſi exuberat annus, nullum fructui pretium eſt; ſin parcius adfluat vindemia, increſcit quidem illud, ſed non ſemper, quod vendas, in tenui illo prouentu, ſufficit. Quid? quod plures, nonnunquam anni ſibi ſuccedant, effœti nimium, & fraudantes colonum; dum operas interim ſuſtentare neceſſe eſt hero, vndecunque æs comparet. Iſta vero, quantæ ſint ſollicitudinis, nemo non perſpicit. Proinde, qui his tenentur anguſtiis, dediſcunt in victu laſciuire; niſi eo ſint ingenio, vt, neque ipſi quidquam conentur adquirere, & patrimonia malint decoquere, quam *non* agere ex more ſeculi: nam &

qua olim fuerint ſimplicitate:

hodierni conuictus:

iſtud

iſtud hominum genus, haud deſideraueris *Piſonii*, natum in reipublicæ detrimenta. Potiorum hæc in ciuibus victus ratio fuit; opifices, alii aliis viuunt adparatius. Reperias, qui hebdomadæ reditus, vnius diei feſtiuitate, prodigant: ſunt, qui lautitiam omnem, etiam parabilem, reſpuant. qui ideo, & ipſi proficiunt melius, & habent, vnde tributa pendant. In vulgi cenſetur vitiis, vinoſitas, familiare iis locis malum, quæ vino adfluunt. Nimirum, cum protruſere hederam, coeunt, eiusdem farinæ homines, neque ante pitiſſare deſinunt, quam ſe mutuo vino ſepeliuerint. Addunt ſubinde repotia, diebus potiſſimum hibernis, cum eſt ab operis vineaticis, diuturnior ceſſatio. Cum ſe inuitant, vtuntur præfationibus, longis iis, & quandoque inficetis. Si vinum laudatius bibunt, ſuas operas, quibus id prolicuerint, commendant; accuſant contra cæli temperiem, ſin auſterum ſit, & guſtus improbi. His iſtiusmodi commeſſationibus, tenuiores illi vinitores, vindemias integras, leuiſſimo pretio, reditu autem nullo, exſorbent mutuo.

ratio victus opificum:

vinitorum.

§. IX.

AD cultum *Piſonienſium*, quod adtinet, & forma is variat, & ſumtu. *Germani* qui ſunt, elegantiam Viennenſium, pro facultatum modo, æmulantur. Atque hi iuniores ſunt potiſſimum: nam ætate prouectiores, retinent priſcum amiciendi ritum. Non his adſcititius crinis, non cincinnus, aut puluis Gallicus, adridet. quæ ſingula, ita placent multis, tamquam, qui nuper relictis *Pariſiis*, acceſſiſſent, cum ea peregrinitate, *Piſonium*. *Hungarica* veſte, qui malunt vti, prorſus ad decus ſe componunt ætatis, quam viuimus. Atque ita omnino decet ciues metropolitanos, ne quid facile ſorditiei admittant, magno, vrbanæ eius prærogatiuæ, opprobrio. Id vero hi propemodum ſoli faciunt, quibus fortunæ ſunt exaggeratiores. Reliqui, familiaria veſtitui Hungarico, quærunt compendia; opifices potiſſimum, & paſtinatores, quibus ſufficit, præter honorariam veſtem, ruditer amiciri. Illam, diebus feſtis tantum, & ſi quid incidat ſolemnitatis, induunt; alias fere ſordidati incedunt. Neque enim id æque vulgus *Hungaricum*, in vitio habet, quam *Germani*; ſi adſperſa, vel vino, vel pinguedine ſit veſtis, ſi reſarcita ſæpius iterumque. Ergo, pluribus annis, veſtis *Hungarica* geſtari poteſt; lucello vtique non plane nullo, & vix *Germanis* familiari. Videas, in nepotes propagari vnam eandemque veſtem, cum nodis & fibulis, factis ex argento: tametſi non deſint, quibus hæc priſca frugalitas, inualeſcentis luxus æmulatione, haud probetur. Olim, tonſum *Hungaris* caput, coma, ſupra frontem relicta, ſubmiſſa item barba, placuit. Eundem & ciues noſtri, veſtiti Hungarice, morem tenebant; ſed qui iam exoleſcit penitus. Ergo, alere capite crines, radere barbam, imitatione *Germanorum*, pridem occeperunt. Solus eis hodieque myſtax inuiola-

Veſtitus Piſonienſium:

Germanorum:

Hungarorum:

plebis reliquæ:

orũ habitus:

tus

feminarum luxus:

tus ſuperat. Virorum hic cultus fuit: feminarum exquiſitior eſt mundus. Vix habitum reperis, quem non auide arripiunt. Quæ, ſeu ipſæ loco ſunt editæ nobiliori, ſeu maritos nactæ, quantæuis dignitatis, amant *Germanice*, quin & *Gallice*, veſtiri. Quæ vanitas, inuiſa nuper genti noſtræ, magnis iam profectibus inualuit, ruri, iuxta & in vrbibus. Tenaciores, priſci illius & ſimplicis moris, retinent quidem veterem habitus formam, ſed tæniis, neſcio quibus, interpolatam. Vittas in primis permutaſſe videas, quæ olim multum referebant, & decoris, & modeſtiæ: iam e holoſerico, vel nudo eo, vel multo auro argentoue illuſo, parantur; vt veſtes pelliceas, talotenus promiſſas, & fimbriis, aureis aut argenteis, tota ora, faſtoſe circumſutas, taceamus. Ceteroquin, viri feminæque, forma & ſtatura, ſic ſatis ſunt venuſta, decoraque. Magis tamen, & facie, & reliquo corporis temperamento, viri variant, quam feminæ, quod multi in iis ſunt conuenæ. Qui in vrbe nati ſunt, vultus referunt Hungaricos: contra, aliunde huc delati, gentis, qua ſunt editi, conditionem retinent. Frons, oculi, & membrorum compages reliqua, ciuem indigenam, a *peregrino diſcriminant.* At feminæ, *quod domi fere* natæ ſunt omnes, neſcio, quid *mutuæ ſimilitudinis*, referant. Facies eis, ex albo rubicunda, oblongaque, frons ſerena & porrecta, oculi recti & vegeti, ſtaturæ modus ſexui accommodatus, loquela ſonora, ac fere præceps, temperamentum, ex *ſanguineo cholericum:* vnde mores poſſis coniectare. Societatem coniugalem, alii aliis habent intemeratius. Sunt, qui ſeculi illecebras tamquam peſtem fugiunt; ſed ſunt etiam, qui ſecus agunt. Liberos educant, hi adductius illi remiſſius; omnes autem, propemodum iis artibus innutriunt, quas didicere ipſi, quasque vitæ, quomodocunque tranſigendæ, putant ſuffecturas. Videas, in vno eodemque opificio, familiam latiſſime propagari. Propemodum enim credunt, auis opprobrio futurum, ſi nepotes liberalius vitæ genus eligerent. In quem errorem, non alia magis ratione inductos exiſtimamus, quam opportunitatibus, quas habent opificia quæque, ſibi peculiares. Coniicias hinc, pauciores eſſe, qui ad *Muſarum* (*) ſacra traducantur; tametſi ingenio ſint felici, & nato ad meliorum litterarum ſtudia. Fit vero ea re, vt non quidem opificibus, ſed viris careat *Piſonium*, ad obeunda reipublicæ munia, idoneis. Raro ſenatui inſunt, tres quatuorue, e Piſonienſibus; peregre adſciſcuntur fere omnes, penes quos rei ſumma eſt. Quod, vti alienigenarum virtuti; ita faſtidio tribuendum eſt Piſonienſium, delicato illi quidem, ſed inerti profecto, & coniuncto cum vrbis opprobrio quodam. Quod eo dictum volumus, vt alienemus ciues a ſordibus, illiciamusque ad meliorum litterarum ſtudia. Ceteroquin, edocent ſuos, linguas, patriæ familiares, *Hungaricam* puta, & *Slauicam*, tamquam opificiorum miniſtras.

forma virorum:

mulierum:

matrimonia, quomodo habeant:

quomodo educent liberos:

faſtidiunt fere litteras:

ſuo, & reipublicæ damno.

§. X.

*) Haud tamen defuere Piſonio, viri, doctrina præſtantes. In his: CELLARIOS, SELECZKYOS, SCHEDELIOS, MOLLEROS, BÖHEIMIOS, HEVCHELIOS, BEIGLEROS, ſuperioris ornamenta ſeculi, ſuo quodam merito, retuleris. de quibus alias.

§. X.

COlunt porro, in ædibus, ciuili ritu, vt, & luxum quidem fugiant, & agreſtem negligentiam: quemadmodum ſcilicet quisque, opportunitate gaudet, & adfluit opibus. Raro vnis contenti ſunt cubiculis. Separatim herus, cui ſuæ ſunt ædes, & familia, habitant. Sunt, non pauci, qui hypocauſta, ſolius adparatus cauſſa, decore inſtruunt, quorſum, ſiue ſalutantes inducant, ſiue accipiant hoſpites. Nam, ſunt omnino proni ad hoſpitalitatem noſtri, quod id, non humanitatis modo putant, ſed etiam mutui officii: quippe qui, itinera frequenter ſuſcipiunt, & longinqua ea, & in vaſta regione, incommoda futura, niſi eſſent, qui hoſpitiorum beneficio, leuarent moleſtias. At, qui alienas ædes conducunt, arctius ſe contrahant oportet, in ea populi frequentia, cui accipiendæ, vix amplius *Piſonium* ſufficit. Tabernam habere mechanicam, & qualecunque hoſpitium, magno & id redemtum, tota eſt commoditas opificis tenuioris. Alioquin, rari ſunt Piſonienſibus, qui rem ſequuntur, *non gulam*, congreſſus familiares. Prout enim *quisque, rei domeſticæ* ſtudioſior *eſt*, *eo magis cauet, ne ſe* oneret humanitate non neceſſaria. Si quid ſibi indulgent, id, vel diebus onomaſticis fit, vel ſolemnibus *nuptiarum.* Has, paucis ante annis, ea pompa obibant, quæ multis viſa eſt, vltra ciuium opes, inſtructa. Nunc ſapere incipiunt non pauci, cum videant, prodigi impenſam omnem, quæ ad vnius diei oblectationem, profundatur. Deligunt autem ſponſas, non quæ ſuperbiunt, qualicunque generis gloriola; ſed, quas commendat pudor, & rei familiaris prudentia. Fit eo delectu non raro, vt, qui fortunis ſunt lautioribus, non adſpernentur tenuiores quasque. Dotem paciſcuntur pro mutua portione, vt, ſi ſponſus nummos aureos ſpondeat centum, quinquaginta ei reponat ſponſa. quæ pactio, anni interuallo durat: is vbi abiit, ceſſat conuentum, ſucceduntque ſibi inuicem, æquali iure; niſi ſint, quæ intercedant, alia. *Funerum* antehac cura, exquiſitiſſimos adparatus depoſcebat, &, quod maxime damnaueris, onerabantur tumbæ, *corollis*, & floribus e cera effictis, tanta plerumque vanitatis oſtentatione, vt non dubitarint, tenelli etiam infantis *loculo*, quisquilias iſtiusmodi, pretio nonunquam viginti nummorum imperialium, circumponere. Neque ea prodigalitas parentum; ſed ſuſceptorum, cognatorumque fuit. quorum, pro ſe quisque, feminæ in primis, ſymbola hæc emortualia, certatim, atque æmulantes inuicem, conferebant. Iam, profuſio hæc, ingenti multorum damno, in immenſum creuerat, cum maturrimo conſilio abrogata eſt prorſus, ab his, quorum intererat, fortunis ciuium conſulere. Reliquus vitæ Piſonienſium tenor, niſi perturbetur factionibus, quas aliqui comparant auide, tuenturque poſtea mordicus; ad conſeruandam rempublicam, egregie adtemperatus eſt. præſertim, cum commune ingruit periculum, aut edendum eſt præclari facinoris quidpiam. Itaque, ſiue reſtin-

Aedium, quas incolunt, commoditas:

ſtudent hoſpitalitati Piſonienſes:

nuptiarum ritus:

funerum cura:

tenor vitæ Piſonienſium reliquus.

reſtinguenda ſunt incendia; ſiue propulſandus hoſtis; ſiue cauendum peſtilentiæ; non ſumtibus, ſed nec vitæ parcunt. REGEM, fide colunt, & obſequio; venerantur ſummos regni magiſtratus; in tributis pendendis, & alendo milite, etiam vltra vires ſunt alacres, ac promti. Quæ ſingula, non poſſunt non vrbem, Regi gratioſam, Ordinibus reliquis acceptam, denique, toti Regno, commodam efficere.

§. XI.

Piſonienſium Magiſtratus:

VIdimus ciues, eorum ingenium, victus rationem, moresque. Res ipſa poſcit, vt *Magiſtratus*, & horum adminiſtros, nunc deſcribamus. Atque, eligendi quidem prætoris, ſeu iudicis, ſenatorum item, facultas libera, in veterrimis vrbis noſtræ iuribus, cenſetur. ANDREAS III. qui anno MCCXCI. priſca regum priuilegia, dato diplomate, recognouit, diſertis verbis: *Quod* Villicum, *ſeu* Iudicem, *inter ſe, a feſto* Georgii, *vſque anni reuolutionem duraturum, eligent, quem voluerint de communi, qui omnes cauſſas ipſorum, & etiam extraneorum, exortas inter ipſos, vel intra metas ciuitatis, more hoſpitum aliorum, cum duodecim iuratis conciuibus ſuis, poſſint iudicare.* Plura hinc condiſcas. Præterquam enim, quod Iudicis, & Senatus, eligendi poteſtatem, ciuibus, Rex adtribuit, numerum ſimul iuratorum ciuium, hoc eſt, ſenatorum, definit: *Iudex, cum duodecim iuratis conciuibus.* Vt proinde, præter morem vrbium Hungariæ reliquarum, tredecim ſenatorii ordinis viros, magiſtratus Piſonienſes, numerent. Hinc & diem *S. Georgii*, legendis, inſtaurandisque magiſtratibus, deſignatum, arceſſi oportet. Eodem illo, regis ANDREAE diplomate, & hæc legas: *Si aliquis de ipſa ciuitate, aut de ſuburbiis ciuitatis, nocumentum inferret in prouincia, & poſſet venire ſuper metas ciuitatis eorundem: ipſum iudicabit iudex, & duodecim iurati ciuitatis, vel in ſuburbio ipſius ciuitatis, cum actor forum rei ſequi debeat; niſi cauſſa exorta fuerit in eadem ciuitate.* Ne vero, hac iſtiusmodi prærogatiua abuterentur Piſonienſes, cauit ANDREAS his verbis: *Si vero Iudex ipſorum, iurati, vel ciues, in reddenda iuſtitia defecerint; non partes, ſed iudex, & iurati, ſi inter ſe ad faciendam iuſtitiam, partibus conuenire non potuerunt, ad noſtram præſentiam, euocentur.* Illud peculiare, & dignum commemoratu eſt, quod iudicum Piſonienſium auctoritas, etiam ad ſuburbanos arcis pertingebat. Didicimus id, ex CAROLI I. tabulis, quas *Piſonii*, Anno MCCCXXXVI. feria tertia, proxima poſt feſtum Beati Iacobi Apoſtoli, ſignauit. Ita vero ille: *Quod cum ciues & hoſpites noſtri, de ciuitate Poſonienſi, noſtræ Maieſtati conqueſti fuiſſent, ſuper eo, vt dictæ ciuitatis in ſuburbio, villici crearentur, & iudicatus fierent, & per hoc ciuitas plurimum grauaretur. Nos, volentes ipſam ciuitatem noſtram, in ſuis libertatibus indemnem conſeruare; annuimus, vt tam factum villici, quam iudicatus, a modo & in antea, in ipſa ciuitate noſtra ita fieri debeat, ſicut fuit in prioribus temporibus, ex antiquo.*

eligendorum, ius, ciuibus veterrimum eſt:

Andreæ III. indultus:

Iudicis auctoritas:

olim ad arcis quoque ſuburbanum, pertingebat:

tiquo. Et hoc dicimus, in omnibus infra metas ipſius ciuitatis noſtræ, tam in monte (n.) quam alias, in circuitu ciuitatis, in metis & in terminis eius conſtitutis. Sed ea prærogatiua, ſuane, an aliorum culpa, pridem exciderunt Piſonienſes, quanto ſuo damno, non adtinet diſputare. Ceteroquin, ſubſunt magiſtratus Piſonienſes, vnice *Magiſtro Tauernicorum*; quæ eis iura, a LADISLAO poſthumo, adtributa fuiſſe, in eius diplomate, quod anno MCCCCLIV. die Purificationis B. V. MARIAE edito, reperimus: *Vt a modo in poſterum, perpetuis ſucceſſiuis temporibus vniuerſis, nec Palatinus, dicti regni noſtri, nec Iudex Curiæ noſtræ, nec alii Iudices, & iuſtitiarii eiusdem regni, Eccleſiaſtici & ſeculares, præfatos; Iudicem, iuratos, ac ceteros ciues, & communitatem dictæ ciuitatis noſtræ, aut aliquem eorum, pro quibuscunque factis & negotiis, ad quorumuis inſtantiam, Chriſtianorum videlicet, vel etiam Iudæorum, iudicare, vel ſententias, aut alios proceſſus iudiciarios, contra eosdem fulminare poſſint; ſed, ſi quiſquam hominum, aduerſus præfatos, Iudicem, iuratos, ac ceteros ciues, & totam communitatem dictæ ciuitatis noſtræ, vel eorum alterum, cauſſas, ſeu lites mouere & inchoare voluerint, hi nullibi alias, niſi primum in præſentiis eorum iudicis, & iuratorum ciuium, anteſatæ ciuitatis noſtræ, pro tempore exiſtentium, huiusmodi cauſſas, ſeu lites, contra eosdem mouere, aut inchoare, & tandem, dum iidem litigantes intellexerunt, præiudicium ipſis generari, ac de iudicio, eorundem iudicis, & iuratorum ciuium, contentari nollent, tandem in præſentiam* Magiſtri Tauernicorum *noſtrorum, pro tempore exiſtentis: ad vltimum vero, in noſtræ Maieſtatis præſentiam, cauſſas præmiſſas, promouere valeant. Nec interim, quousque huiusmodi cauſſæ, in præſentiis, dictorum iudicis, & iuratorum ciuium noſtrorum motæ, vel in dicti Magiſtri Tauernicorum noſtrorum, aut ad vltimum, noſtram in præſentiam deductæ, finaliter deciſæ, definitæ, & diremtæ fuerint; iidem iudex, & iurati, ac ceteri ciues, & inhabitatores, eiusdem ciuitatis noſtræ, vel alter eorum, per quempiam hominum, ad quorumuis inſtantiam, Chriſtianorum ſcilicet, vel Iudæorum, pro quibuſcunque factis, & negotiis, in perſonis detineri, resque & bona eorundem quæcunque arreſtari & prohiberi poſſint.* Hæc, pluribus per Hungariam liberis regiisque vrbibus, communia ſunt. Quod iam dicemus, prorſus eſt peculiare, & ita comparatum, vt Iudicis, & Senatus Piſonienſis auctoritatem, extra modum augeat. Habent nimirum, in Aurea Bulla WLADISLAI II. Poloni, iſtud diploma, LVDOVICI I. *Viſſegradi*, anno MCCCLIX. feria quarta proxima, poſt Dominicam *Lætare*, perſcriptum, in quo hæc legas: *Idem Dominus Rex, fidelibus ſuis, Iudici, iuratis, & vniuerſis ciuibus, ſeu hoſpitibus de Poſonio, id commiſiſſe videbatur: vt ipſi homines, offenſionem in hominem, interfectionibus malitioſe contrahentes, de omnibus* CLAVSTRIS, ECCLESIIS, & COEMETERIIS, *in quibus, perpetratis & commiſſis funeſtis & ſacrilegis manibus & homicidiis, pro tutamine refugii ſe locauerint, ad iudicium excipiant,*

Piſonienſium cauſſæ, ad Magiſtrum Tauernicorum *adtinent:*

peculiaris, magiſtratuum Piſonienſium, prærogatiua.

u.) Hungaris *Varálja*, Germanis, *Schloſsberg*. Regio eſt, ad pedem arcis circumſita.

piant, & extrahant, rite & rationabiliter iudicandos de commiſſis, NON OBSTANTE *contradictoria inhibitione* SACERDOTVM, *& quorumlibet aliorum, eccleſiaſticam adminiſtrationem habentium, conſtitutorum in ſupra dicta ciuitate.* Hanc Iudicis, & Senatus Piſonienſis, auctoritatem, oppido eximiam, ne ab vnius regis benignitate profectam, poſteritas exiſtimaret; SIGISMVMDVS, non recognouit modo, ſed auxit etiam egregie. Diploma anni MCCCCV. ſic habet: *Proinde* Nos, *Vlrici & Conradi*, (Piſonienſium hi cauſſam, apud regem agebant) *quibus ſupra nominibus, ſupplicationibus, pie inclinati, maturo deſuper Prælatorum, & Baronum noſtrorum habito conſilio, ſtatuimus & ſancimus firmiter obſeruandum, vt, dum & quandocunque, homines familiares, & Iobbagyones, cuiuscunque conditionis, ſexus vel præeminentiæ fuerint, etiamſi prædictorum* PRAEPOSITI, CANONICORVM & CAPITVLI, *pro tempore exiſtentium, exſtiterint, tam in dicta ciuitate, quam in eius diſtrictu, tenutis & territoriis, male agentes, & præmiſſa committentes, nullus omnino hominum, præterquam Iudex, & iurati ciues, dictæ ciuitatis, pro tempore exiſtentes, ſuper eorum demeritis, corrigendi, & per condignas pœnas, prout eorum exceſſus, & demerita ſe extenderint, caſtigandi & puniendi, dictosque malefactores, ſi qui, pro tempore, ad domos dictorum Dominorum* PRAEPOSITI & CAPITVLI, *refugii cauſſa, recurſum habuerint, ab eisdem excipiendi, & pœnis debitis plectendi, debitaque, pacta & contractus huiusmodi iudicandi, liberam* habeant *facultatem: ipſorum,* PRAEPOSITI & CAPITVLI, *ac aliorum officialium, & quorumlibet aliorum litteris quibuscunque, harum in contrarium facientibus, non obſtantibus in hac parte.* Hactenus SIGISMVNDI diploma.

§. XII.

Iura magiſtratuum, iniuriis temporum contemerata:

Ferdinandi, in tutanda eorum auctoritate, benignitas:

PRæclara hæc fuerunt iura, & ſi per viciſſitudines temporum, potuiſſent a magiſtratibus tenacius obſeruari, cum vniuerſim omnia, tum ſingula ſigillatim, perenne vrbi decus conciliatura. Tempora accuſo: quod & FERDINANDVM I. recognouiſſe reperio; cum, tutaturus magiſtratuum Piſonienſium auctoritatem, quam ciuium nonnulli, regni iudicum patrocinio freti, contemerauerant, cauſſas, quas diiudicare, Iudicis & ſenatorum fuerat, in alia fora *adpellando*, propellentes. Hæc enim ad eosdem regni Iudices *(o.)* mandata dedit: *Nolentes*, inquit, *vt antiquæ, præfatæ ciuitatis noſtræ Poſonienſis, libertates, & iurisdictio, peſſundentur, Fidelitati Veſtræ, & veſtrum cuilibet, harum ſerie mandamus firmiter, quatenus, rebus, ita, vt præfertur, ſtantibus & ſe habentibus, a modo impoſterum, nullum mandatum, nullaſue litteras Veſtras præceptorias, contra iura & libertates, decretaque dictarum ciuitatum noſtrarum liberarum, ad cauſſæ alicuius ciuilis & criminalis, transmiſſionem, extradare; eis vero, quæ contra præ-*

o.) Fuere ii: *Paullus de Varda*, Archiepiſcopus Strigonienſis, & *Locumtenens* regius; *Nicolaus Oláhus*, Cancellarius Secretarius; *Thomas de Nádasd*, Iudex Curiæ Regiæ; *Andreas Báthory*, Magiſter Tauernicorum; *Franciſcus de Réua*, vacante officio *Palatini*, eiusdem Locumtenens; *reliqui.*

præmiſſam ipſorum libertatem, & priuilegia, extradatæ eſſent, nullum locum dare debeatis. Nullas etiam cauſſas criminales, vt prædictum eſt, & ciuiles, contra hanc ipſarum ciuitatum iurisdictionem & auctoritatem, ad cuiuſuis inſtantiam ſumere, in iisque procedere, aut ſententiam ferre, vel quocunque modo partem alteram damnificare præſumatis; ſed quemadmodum antiquis temporibus, ciuitates noſtræ liberæ, leges ſuas, ſuaque iura habuerunt; ita deinceps quoque, ſuis iuribus, ſuaque auctoritate, libere eis vti, & iura ciuilia apud eos, (quatenus decreta regni & leges eorum id admittunt,) ſuas exſecutiones habere permittatis: ſaluis tamen ſemper appellationibus, quæ veteri iure, & conſuetudine, in ſedem Magiſtri Tauernicorum *noſtrorum, poſſunt appellari. Rebelles vero, & contumaces, ac magiſtratui ſuo non obedientes ciues ſuos, permittimus, & concedimus, vt ipſi, Iudex & iurati ciues Poſonienſes, iuxta eorum demerita; iure & iuſtitia, ſecundum eorum priuilegia atque libertates, punire poſſent.* Ita FERDINANDVS, regum Auſtriacorum primus, vetera *Piſonienſium* iura, intemerata, auctoritatem vero ſenatus, prorſus metuendam eſſe *(p.)* voluit. Prolixos nos eſſe oporteret, ſi regum ſequutorum, hæc iſtiusmodi priuilegia, ſcrutari vellemus. Dixiſſe ſuffecerit, æmulatos fuiſſe hanc FERDINANDI benignitatem, reges Auſtriacos, vniuerſim omnes. Quidquid enim, ſiue *Ius Hungariæ conſuetudinarium*, quod *Tripartitum* vocant; ſiue publica Regis & regni decreta, vrbium magiſtratibus tribuunt, omne id, a Regibus Auſtriacis, *Piſonienſibus* quoque, benigne adfirmatum eſt. Hue eas leges referimus, quibus vrbium libertas, priſca illa, toties totiesque *(q.)* recognoſcebatur.

reliquorum Regum, erga Piſonienſes, fauor.

§. XIII.

Iudicis collega Conſul:

cur Iudicis dignitas, apud Piſonienſes potior eſt, quam Conſulis?

HAec, quæ diximus hucusque, ad *Iudices*, quin & totum vniuerſim *Senatum*, adtinuerunt. Vetus eſt inſtitutum, vt iam prætori, ſeu Iudici, *Conſul*, ſiue vt vocant leges patriæ, *Magiſter ciuium (r.)* adiungatur. Ergo, partiuntur inter ſe curas, adminiſtrandæ reipublicæ. Auctoritas tamen *Iudicis* potior eſt, quam *Conſulis*. quod contra ſe habet apud *Sempronienſes*, vbi *Conſul* prætore habetur dignior. Cauſſam rei ſciſcitantibus, non aliam reddidere *Sempronienſes*; quam quod ipſi, formam reipublicæ a Romanis trahant, Pannoniarum dominis, apud quos Conſules, & Proconſules, per prouincias, anteibant auctoritate prætores: *Piſonienſes*, vrbe, in ſolo barbarico, *Quadorum* ſcilicet, poſita, retinuiſſe gentis morem, vt anteponerent prætorem conſuli. Sed ioci ſunt. Conſuetudine hæ iſtiusmodi prærogatiuæ inoleſcunt, dum in legem abeant: vt taceamus,

p.) Viennæ, anno MDXLIX. *ſeptima die Ianuarii.*

q.) Anno MDCIX. Articulo XXXIV. Anno MDCXIII. Art. XXXI. An. MDCXXII. Art. XXV. Anno MDCXXV. Art. XLIII. An. MDCXXX. Art. XXI. Anno MDCXXXV. Art. LIII. An. MDCXXXVIII. Art. XXXV. An. MDCXLVII. Artic. LXXVIII. An. MDCLV. Artic. CX. An. MDCLIX. Artic. CXXIX. An. MDCCXV. Art. XXXVI.

r.) Adpellatio, ex Germanico, *Burger-Meiſter*, facta eſt.

quæ sint partes Iudicii domi:

mus, frequentem, in primis illis diplomatibus, *Iudicis* mentionem esse, nullam *Consulis*. Sunt vero *Iudicis* partes, priuatim & publice, ius dicere. Illud, in caussis fit minutioribus, & facilibus diiudicatu; adhibitis tamen e senatu, consessoribus, & *Notariorum*, si opus sit, alterutro: alioquin, *Actuarius*, quem dicunt, in his consessibus, *notarii* vice fungitur; qui, & latas sententias, referat in litteras; & deliberationes, cum *partibus*, iussus communicet. Fit non raro, vt qui se, priuato isthoc iudicio, grauatum existimat, ad senatum adpellet; *adpellationis taxa*, ne id temere occipiant homines litigiosi, soluta. Si *Iudex* sit æquus, sicuti esse debet, & rebus gerendis idoneus, plures istiusmodi caussas, bihorii spatio, discutere potest; cum heic, *Processus Summarius*, quem nostri vocant, obtineat. Id est: *non requiruntur solemnes illæ circumstantiæ, citationum ad quindenam; examen competentiæ actoratus; & aliæ similes; sed, casus duntaxat proponitur, & si probatur, eo facto, pro qualitate meriti, ciues, vel puniuntur, vel absoluuntur:* vtimur verbis Christiani Spindleri, Iudicis Pisonienſium,

publice in prætorio:

seculo superiore, longe æquissimi. At, caussæ grauiores, & quæ trahunt momenti quidpiam, aut prorsus capitales sunt, ad senatum refert, vbi, collatis præsentium sententiis, *non tam ad pondus* earum adtenditur, quam ad numerum. quem postea in decretoria sententia, *Iudex* sequatur, oportet; nisi id facere meliore conscientia *vetetur*: tunc enim, posita tantisper iudicis persona, suam ipsius promit sententiam. Verum, raro id accidit; quando non facile fit, vt plurium cognitio, ab recto aberret. Ire in partes, non est in more positum. *Iudicis* in primis est, capitalem ferre sententiam, & cum ea promulgata est, fracto bacillo, potestatem facere carnifici, sumendi, de sontibus, supplicii.

eius ministeria:

Stipant *Iudicem*, apparitor, & satelles; ille, vt consessores conuocet, diem horamque dicat accusatis, & quæ sunt eius partium, reliqua; iste, vt missus, discurset, & mandata, quaquauorsum perferat. Secundas, a Iudice, *Consul* tenet. Huic, reliqua vrbis procuratio, iniuncta est. Quidquid enim, ad rationes publicæ œconomiæ adtinet, sibi id habet adsignatum. Ergo, sacras & profanas ædes, quæ ad vrbem adtinent, curare; *vineas*, agros, & rus ciuicum colere; opificum tribus, ne quid temere fiat, obseruare; disputare eorum controuersias; rationes datorum, & acceptorum, curatissime adnotare; ius ciuitatis ambientes, senatui sistere; fundorum venditioni, emtionique, moderari; vtriusque conditiones, in tabulas referre; Senatores, condendis testamentis, cum opus est, mittere; adtendere annonæ publicæ; prouidere, æstiuanti hibernantique militi; curam gerere *Xeno* & *Nosodochii*; orphanos, atque horum hæredia, defensare, aquæductus integros habere; pro silanis & fontibus, ne quid capiant vitii, inuigilare; Danubium, qua necessum est, coercere; pontem volatilem & sublicium, instruere; mœnia instaurare; plateas mundas seruare; vicos, qui sunt in vrbis ditione, regere & fouere; omni studio & vigilantia, pro salute reipublicæ, excubare; &

Consulis munia:

nulla

nulla non occasione, in commune consulere; summos & imos, obsequio, & propensi animi significatione, vrbi conciliare; *partes sunt Consulis Pisonienſis*. De his, ad senatum, eo frequentius refert, quo sibi rempublicam habet commendatiorem; tametsi multa sint heic quoque, quæ domesticis consessibus, ex lege definiuntur. Itaque, suus *Consuli*, scriba est; consessores autem ii, quos ipse, e senatorum numero deligit. Nuper, mos inualuit, oppido vtilis in commune, vt instituantur consultationes, cum rei familiaris & rusticæ peritis ciuibus; ne, quod accidit nonnunquam, vnius præpostero arbitrio, res pessundentur omnium. Neque vero, ea, quæ recensuimus, munia, ipsus obit *Consul*. Partita ea sunt, inter plures, qui vel vicarias partes gerant, vel mandata exsequantur *Consulis*. Adsunt ei adparitor & satellites sex. ille idem, quod de *Iudicis* illo diximus, ad agendum habet; isti, partim ministeria obeunt, quæ sunt e re *Consulis*, partim per vicos, ἐργοδιώκτως, alternis agunt.

quos habet ministros.

§. XIV.

Iudicum, Consulum, & Notariorum series, vltra sesqui seculum expromta:

EXplicuimus eas muneris partes, quæ *Iudicis* erant, quæque *Consulis*. Lubet nunc, eorum seriem, qua se, vltra sesqui seculum, inuicem acceperunt, intersertis *Notariorum* nominibus, exhibere: vt constet, quorum curis ac prouidentia, res Pisonienſium, sub optimis Regibus, conseruata sit.

Ivdices.	*Notarii.*	Consvles.
	Thomas Entzenweisz.	
Wolffgangvs Kögl.	1566.	Caspar Liechtenberger.
Iohannes Fischer.	1567.	Idem.
Wolffgangus Kögl.	1568.	Pavllvs Seiberlich.
Sigismvndvs Qvettenberger.	1569.	Idem.
Idem.	1570.	Iohannes Fiſcher.
	Substitutus Notarius *Felicianus Schmugger.*	
Iohannes Fiſcher.	1571.	Wolffgangus Kögl.
Caſpar Liechtenberger.	1572.	Paullus Seiberlich.
Idem.	1573.	Idem.
	Felicianus Schmugger.	
Vitvs Knapp.	1574.	Iohannes Lavsser.
Idem.	1575.	Idem.
Matthias Aichinger.	1576.	Caſpar Liechtenberger.
	Georgius Emerich.	
Georgivs Eisenreich.	1577.	Idem.

Ivdices.	*Notarii.*	Consvles.
	Iohannes Cellarius.	
Idem.	1578.	Vitus Knapp.
Idem.	1579.	Idem.
Idem.	1580.	Iohannes Schrembser.
Vitus Knapp.	1581.	Idem.
Idem.	1582.	Felicianvs Schmvgger.
Georgius Eisenreich.	1583.	Idem.
Caspar Liechtenberger.	1584.	Iohannes Lausser.
Lvcas Mavrach.	1585.	Iohannes Schrembser.
Idem.	1586.	Idem.
Felicianus Schmugger.	1587.	Gregorivs Grvebmüller.
Idem.	1588.	Idem.
Zacharias Götzl.	1589.	Iohannes Aichinger.
Idem.	1590.	Idem.
Idem.	1591.	Idem.
Matthias Partinger.	1592.	Iohannes Schrembser.
Idem.	1593.	*Idem.*
Idem.	1594.	Andreas Heindl.
Idem.	1595.	Idem.
Zacharias Götzl.	1596.	Idem.
	1597.	
	1598.	
	M. Michael Marth.	
Christophorvs Tschattor.	1599.	Caspar Liechtenberger.
Idem.	1600.	Matthias Partinger.
Martinvs Schödl.	1601.	Iohannes Hartl.
Idem.	1602.	Idem.
Iohannes Offner.	1603.	Christophorus Tschattor.
Idem.	1604.	Idem.
Idem.	1605.	Idem.
	1606.	Georgivs Pvsch.
	1607.	
Christophorus Tschattor.	1608.	Iohannes Hartl.
Idem.	1609.	Idem.
Martin Schödl.	1610.	Idem.
Rvdolph Mavrach.	1611.	Iohannes Schrembser.
	1612.	
Iohannes Offner.	1613.	Iacobvs Aver.
	Vice Notarius	
	Martinus Keszler.	
Idem.	1614.	Idem.

Ivdices.	*Notarii.*	Consvles.
	Pronotarius *Martinus Keszler.*	
Iohannes Hartl.	1615.	Iohannes Schrembser.
	Notarius *Martinus Keszler.*	
Iohannes Hartl.	1616.	Idem.
	Notarius *Martinus Keszler.*	
	Vice Notarius *Christophorus Partinger.*	
Idem.	1617.	Idem.
Iohannes Schödl.	1618.	Lvcas Mavrach.
Idem.	1619.	Idem.
Idem.	1620.	Idem.
Iohannes Hartl.	1621.	Rudolphus Maurach.
	Christophorus Partinger.	
	Vice Notarius *Tobias Beigler.*	
Iohannes Fischer.	1622.	Iohannes Schödl.
	Iacobus Szeleczky I. V. D. Syndicus.	
	Tobias Beigler Vice Notarius.	
Idem.	1623.	Idem.
Idem.	1624.	Rudolphus Maurach.
Iohannes Hartl.	1625.	Idem.
Idem.	1626.	Idem.
Christophorvs Partinger.	1627.	Iohannes Schödl.
Idem.	1628.	Idem.
Idem.	1629.	Idem.
Idem.	1630.	Idem.
Michael Monich siue Monicz.	1631.	Daniel Karner.
Idem.	1632.	Idem.
Idem.	1633.	Idem.
Idem.	1634.	Idem.
Michael Földössy.	1635.	Benedictvs Zaboky.
Idem.	1636.	Idem.
Iacobus Szeleczky.	1637.	Iohannes Cellarivs.
	Vice Notarius. *Caspar Heuchelin.* I. V. L.	

IVDICES.	*Notarii.*	CONSVLES.
Idem.	1638.	Idem.
Idem.	1639.	MARTINVS WENTZL.
Iohannes Cellarius.	1640.	Idem.
	Notarius, *Caſpar Heuchelin* I. V. L.	
Iohannes Cellarius.	1641.	Martinus Wentzl.
Idem.	1642.	Idem.
GREGORIVS TALIAN.	1643.	Idem.
Idem.	1644.	IACOBVS AVER.
Idem.	1645.	Idem.
ANDREAS SEGNER.	1646.	Idem.
Idem.	1647.	Idem.
IACOBVS PREIN.	1648.	Idem.
Gregorius Talian.	1649.	Idem.
Idem.	1650.	Andreas Segner.
MARTINVS SCHÖDL.	1651.	Idem.
Idem.	1652.	Idem.
Gregorius Talian.	1653.	*Iacobus Auer.*
Idem.	1654.	Idem.
Idem.	1655.	Idem.
MATTHIAS TVTZENTHALLER.	1656.	Andreas Segner.
Idem.	1657.	Idem.
Andreas Segner.	1658.	Gregorius Talian.
Idem.	1659.	Idem.
GEORGIVS LIEBHARDT.	1660.	Matthias Tutzenthaller.
Idem.	1661.	Idem.
Andreas Segner.	1662.	ANDREAS BAAN.
Idem.	1663.	Idem.
	Samuel Kacsérius.	
Gregorius Talian.	1664.	Andreas Segner.
Idem.	1665.	Idem.
CHRISTOPH SPINDLER.	1666.	Georgius Liebhard.
Idem.	1667.	Idem.
Gregorius Talian.	1668.	TOBIAS PLANKENAVER.
Andreas Baan.	1669.	Idem.
Tobias Planckenauer.	1670.	Andreas Baan.
Idem.	1671.	Idem.
	Chriſtophorus Georgius Hilſcher.	
	1672.	
BENEDICTVS PAKAY.	1673.	IOHANNES OETH.
Idem.	1674.	Idem.
STEPHANVS WATTAY.	1675.	CHRISTOPHORVS GEORGIVS HILSCHER.

IVDI-

IVDICES.	*Notarii.*	CONSVLES.
	Michael Gundol.	
Idem.	1676.	Idem.
Chriſtoph. Georgius Hilſcher.	1677.	ANDREAS HANGÓSSY.
GEORGIVS SOMOGY.	1678.	Idem.
Idem.	1679.	ANTONIVS COGNIANA.
	Stephanus Thamás Falvay.	
MICHAEL SAMBOKRETY.	1680.	Idem.
Idem.	1681.	ADAMVS CHRISTOPHORVS PONGRÁCZ.
Idem.	1682.	Idem.
Idem.	1683.	Idem.
Georgius Somogy.	1684.	Antonius Cogniana.
	Iacobus Szalay.	
Idem.	1685.	Adamus Chriſt. Pongrácz.
Idem.	1686.	Idem.
	Iohannes Petróczi.	
	Wilhelmus Fiſcher.	
	Vice Notarius.	
Michael Sambokrety.	1687.	Idem.
Idem.	1688.	Idem.
NICOLAVS STRAVS.	1689.	Michael Sambokrety.
Idem.	1690.	Idem.
Idem.	1691.	Idem.
IOSEPHVS SEGNER.	1692.	Chriſtophorus Spindler.
Idem.	1693.	Idem.
Michael Sambokrety.	1694.	IOHANN. CHRISTOPH. BVRGSTALLER.
Idem.	1695.	Idem.
Ioh. Chriſtoph. Burgſtaller.	1696.	Adamus Chriſtoph. Pongrácz.
Idem.	1697.	Idem.
Chriſtophorus Spindler.	1698.	Iosephus Segner.
Idem.	1699.	Idem.
Ioſephus Segner.	1700.	Chriſtophorus Spindler.
	Notarii officium vacat.	
Idem.	1701.	Idem.
	Iohannes Paxy.	
	Wilhelmus Fiſcher.	
	Vice Notarius.	
Michael Sambokrety.	1702.	Ioſephus Segner.
Idem.	1703.	Idem.

IVDI-

Ivdices.	*Notarii.*	Consvles.
Idem.	1704.	Idem.
Idem.	1705.	Idem.
Idem.	1706.	Idem.
Ioh. Christoph. Burgstaller.	1707.	Adamus Christoph. Pongrácz.
Idem.	1708.	Idem.
Idem.	1709.	Idem.
	Iohannes Paxy.	
	Wilhelmus Fischer.	
	Vice Notarius.	
	Samuel Hueber.	
	Adiunctus.	
Pavllvs Kögl.	1710.	Ioſephus Segner.
Idem.	1711.	Idem.
	Iohannes Paxy.	
	Samuel Hueber	
	Vice Notarius.	
Idem.	1712.	Idem.
Idem.	1713.	Idem.
Ioh. Christoph. Burgstaller.	1714.	Paullus Kögl.
	Nicolaus Szenthe.	
	Samuel Hueber	
	Vice Notarius.	
Idem.	1715.	Idem.
Stephanvs Gosztony.	1716.	Ioh. Christoph. Burgstaller.
Idem.	1717.	Idem.
Ioſephus Segner.	1718.	Paullus Kögl.
Idem.	1719.	Idem.
Ioh. Christoph. Burgstaller.	1720.	Idem.
Idem.	1721.	Idem.
Nicolavs Szenthe.	1722.	Gabriel Scaritza.
	Samuel Hueber.	
	Iohannes Krisan.	
Gabriel Scaritza.	1723.	Matthias Trost.
	Iohannes Krisan.	
	Ioh. Christoph. Malik.	
	Vice Notarius.	
Michael Mikoss.	1724.	Idem.
Idem.	1725.	Idem.
Iohannes Trvmer.	1726.	Samvel Hveber.
Idem.	1727.	Idem.
Iohann. Christoph. Byrgstaller, Iunior.	1728.	Matthias Troſt.

Ivdi-

Ivdices.	*Notarii*	Consvles.
Idem.	1729.	Idem.
Iohannes Trumer.	1730.	Michael Mikoss.
Idem.	1731.	Idem.
Michael Mikoss.	1732.	Iohannes Trumer.
Sub ipſa *Reſtaurationis Commiſſione*, apoplexia ſubita, decedente, ſubſtituitur & iureiurando adſtringitur, Iohannes Chriſtophorus Burgſtaller.	*Iohannes Kriſan.*	
	Iohannes Schütz.	
	Vice Notarius.	
Ioh. Chriſtoph. Burgſtaller.	1733.	Iohannes Trumer.
Emericvs Csiba.	1734.	Ioh. Chriſtoph. Burgſtaller.

Feliciter!

Atque hæc quidem *Iudicum*, ſeu Prætorum, *Conſulum* item atque *Notariorum* ſeries fuerat, annis conſtans *centum ſexaginta quatuor*; ea fide a nobis expromta, qua bonitate eam vrbici magiſtratus, nobiſcum communicauerunt. Iam ad explicanda munia cetera redeamus.

§. XV.

Capitaneus *vrbicus: quid ſibi iniunctum habeat:*

Post Conſulem, *Vrbicus* eſt Capitanevs. Hunc, e Senatu *Piſonienſes* legunt, vt maior ſit muneri auctoritas. Multi id quoque eſt oneris. Habet, portarum & propugnaculorum curam; adtendit interdiu excubiis, vigiliis noctu. Proinde, ciuicus miles, iuſſa eius capeſſit vtrobique. Magiſtratum diceres, qui nocti moderetur, ne quidquam accidat, perniciabile ciuitati. Obit enim, cum milite, vrbem, & eius compita, noctu: vt graſſatores, & quod non ſpurcum genus aliud, prehendat; captura nonnunquam extra modum vbere: in primis ſi, clauſis, circumquaque portis, ingruant ſubito, veſtigentque ædium retruſiſſima. Quæ diligentia, niſi adhiberetur *Piſonii*, facile eſſet, vrbem, peſtilentiſſimorum hominum genere, oppleri, in hac *Viennæ* propinquitate. Inde enim, quod excuſſum eſt, huc, quaſi ſecundo amne, delabitur, magno, totius patriæ, incommodo. Præterea, deſignare militum hoſpitia; decreta ſenatus, ſi opus ſit, etiam vi adhibita, exſequi; rapere in cuſtodiam criminum reos; viſere ædes, & loca quæcunque alia, a litigantibus vocata in controuerſiam; inſtruere pompam ciuilem, ſi, vel Rex accipiendus intra vrbem eſt, vel ſui adminiſtri; curam adhibere in reſtinguendis incendiis, ſi quæ forte fortuna exarſerint. Verbo: vtrique, & *Iudici*, & *Conſuli*, miniſtrat, cauſſa reipublicæ, *Capitaneus*. *Fiſcus* vrbanus, Senatorii, & ipſe, ordinis

Fiſcus:

dinis vir, ſequitur. Cuſtodem iurium ciuitatis adpellaris. Eius eſt, cauere, ne quid in vrbe, contra leges fiat; accuſare criminum reos; inuigilare hæreditatibus, quas *caducas* vocant; vrbem, & magiſtratus, pro eo, ac iuſtum eſt, defenſare. Itaque, *Iure-conſultus* ſit, oportet. Atque dant omnino operam *Piſonienſes*, vt hoc muneris, viris credant, perſpicacibus, & naris emunctæ. qui non modo eorum, quæ ad vrbis acceſſiones pertinent, negligant nihil, ſed etiam, ſagaciſſime odorentur, quid e re ſit reipublicæ, quid minus? Sunt, & tutelarum *Inſpectores*, e ſenatu interiore, exterioreque lecti, quaterno vtrinque numero. Nempe, quoniam *Senatus*, orphanorum tutor eſt ſupremus, & vero, difficile eſt, pleno ſemper conſeſſu, pupillorum cauſſas, recognoſcere; ſaluberrimo conſilio inſtituere *Piſonienſes*, octo hos viros, qui deſtinata opera, patrimoniis orphanorum adtenderent, elocarent pecunias, darentque operam, ne quid in educandis iis, præter fas & honeſtum, fieret. Adſunt Senatui, *Syndici*, ſiue *Iurati Notarii*, duo: primarius alter; alter ſecundarius, quem ideo, *Vice-Notarium* vocant; tametſi, ab alterius arbitrio, haud pendeat. Sedent intra cancellos, pro more, ſeorſim, excipiuntque calamo decreta magiſtratuum, connotant ſuffragia, ac *ne geſtarum rerum memoria* intercidat, ſenatus conſulta, in tabulas, *protocolla* nominamus, ſollicite referunt. Quatuor iis ſcribæ ſunt additi, quos, *Cancelliſtas* vulgo dicimus, eo quod, cancellis, ritu vetere, circumcluſi, operi vacant. Notariis proximi ſunt, *Rationum Magiſtri*, itidem duo. Peculiarem hi officinam ſcriptoriam habent, dantque operam, vt datorum acceptorumque rationes, publicis tabulis, adcuratione exquiſitiſſima, conſignentur, atque, cenſura antegreſſa, rite ſubducantur. Eſt & tabularius, ſeu *Regiſtrator*, qui vetera, & recentia ſcripta, in indices referat, & per loculos digeſta, ſi ſit neceſſe, promat.

tutelarum inſpectores:

Notarii:

ſcribarum miniſteria, ſiue cancelliſtæ:

rationum magiſtri:

tabularius.

§. XVI.

Senatus exterior, ſiue centumuiri:

Senatus interioris, hæc munera, atque adminiſtri fuerunt. Iam reliqua luſtrare fas eſt. Ac primo quidem loco, *Senatus Exterior*, ſiue *Centumuiri*, merentur commemorari: quod ex eorum numero, & *Senatores*, ſi vſus poſcat, legi mos eſt; & officiorum reliquorum adminiſtros. In regiis diplomatibus, & litteris aliis, *Selectam Communitatem*, adpellari videas. Atque, ita fit omnino, vt, ſelectiſſimi quique ciuium, ei ordini, ſuffragante Senatu, non minus, quam populo, adſcribantur. Oportet nimirum, vt poſſeſſionum aliquem modum, in vrbanis fundis habeant, ſpemque, ex retroactæ vitæ curſu, faciant, vtiles fore reipublicæ; quin idoneos etiam muneribus adminiſtrandis. Duum hi ſunt generum; *Seniores* alii, qui geſtis officiis, bene de vrbe meruerunt; & *Iuniores*, qui ad ea præparantur, aliorum exemplis. Vniuerſis, *Tribunus Plebis*, moderatur, eos in curiam, ſi conſulendum ſit in publicum, impetrata, a Conſule, poteſtate, conuocat;

qui in eum ordinem cooptentur:

Tribunus plebis, quas habeat partes:

cat; refert ad eos Senatus Conſulta, & horum iterum ſuffragia ad Senatum. Fit autem nonunquam, vt, ſi nequeant *Centumuiri*, ſententiis, cum Senatu, coaleſcere, eatur in partes; dum hic, vel illi, aliquid, de ſuo iure, conceſſerunt. Nusquam vero, tribunicia auctoritas maior eſt, quam vbi magiſtratus inſtaurandi ſunt, quod infra memorabimus. Alioquin, voluntatis Senatus interpretem non iniuria, dixeris, ſi quid neceſſe ſit, referre ad populum. Moleſtius hoc multo, tametſi auctoritatis minoris, *Camerarii* munus eſt. Ad eum pertinet, moderante *Conſule*, totius vrbanæ œconomiæ procuratio; accipere reditus, impenſas, etiam minutiſſimas, in rationibus referre; diſſoluere ſacra & profana, ſalaria; pendere vſuras; curare publica ædificia; & moleſtiſſima quæque munia, obire. Manum dextram *Conſulis* credas, licet, quod eius mandata, ſine miniſterio *Camerarii*, perfici *(s.)* nequeunt. Raro accidit antehac, vt quisquam hoc munere decedat, niſi valde irretitus vrbanis rationibus. His vero, eo ſe multi, ſaltem ſine iactura, expediebant difficilius, quo procliuius eſt, in tanta, *datorum, acceptorumque*, mole, admittere erroris quidpiam. Ergo, *opimos quosque* ciuium, ad id muneris admouent, *vt ſit, quo* ſarciantur damna, *ſi quæ, intulerit reipublicæ*, ſeu incuria, ſeu quacunque culpa alia. Quibus rebus fit omnino, vt vix ciuicum munus aliud, magis faſtidiant *centumuiri*, quam iſtud, ob difficillimas, quibus obnoxium eſt, rationes. Minus & laboris, & periculi ineſt, *Xenodochii* procurationi. Diximus de eo munere, cum *Xenodochii* mentionem habuimus. Tametſi enim eſt, quod heic quoque in rationes referri oportet; id tamen, infinitis modis, tenuius eſt, & paucis florenorum millibus definitum. Quocirca, promtius aditur munus, adminiſtraturque curis hilarioribus. Reliqua, in prætorio, munia, quæ momentum trahant, eorum ſunt, qui cenſus regios partim, partim ciuicos, accipiunt. Duos eſſe oportet, ob inſignem difficultatem, cogendorum vtriusque generis, tributorum. Cum enim, initium colligendi menſe *Nouembri* ineat, ceſſet *Aprili*, totus annus abit, dum poſſint referri in ærarium. Id vero, temporumne malignitati tribuendum ſit, an peruicacitati hominum, diſputari audiuimus. Equidem, ſic reor, vtrumque in cauſſa eſſe. Sunt, quos fortunarum exilitas impedit, quo minus poſſint, tametſi percuperent, cenſus pendere, cum eſt tempeſtiuum; ſunt, quibus fere volupe eſt, ſi admoneantur ſæpius, immo, cogantur ad ſoluendum. Accedit, non plane nullorum, prodigale vitæ genus, quo ad eum modum exinaniuntur fortunis, vt vix ſuperet, quo vitam trudant; ne dicam, vnde cenſus depromant: cum interim, qui rerum ſuarum ſatagunt, ſuntque magiſtratuum obſeruantes, eo magis premi neceſſe eſt, quo acrius quæſtores caſtrenſes, *Commiſſarios* vocant, immiſſis in vrbem militibus, ſortes

Camerarius, ſiue quæſtor vrbicus:

Xenodochii procurator:

cenſuum exactores:

qua premantur difficultate:

s.) Sunt & *Camerario*, ſua famulitia. In his, *Villicus vrbis*, fere præcipuus eſt, qui agreſtes operas, & quidquid ad rem familiarem pertinet, procurat. Vt ignobiliora munia alia, taceamus.

tes tributorum exigunt. Adeo verum est; *malum ciuem, cum ex se improbus sit, eo fieri peiorem, quod secum bonos ciues perdat.* Ceterum, cogendis, quæ dicimus, tributis, *satelles monitor*, qui incurset negligentiores; & scriba, duumuiris illis, additi sunt. Nam ipsi quidem, statis per diem horis, continuo in prætorio sunt, vt & acceptent, quæ penduntur, & referant in tabulas, eorum nomina, rationesque, qui, quod erat necesse, dissoluerunt. Neque silendi sunt, *nauli* exactores, alternis; duo enim sunt, ponti præsidentes, ne portorio fraudetur ciuicum ærarium. His adde, multo inferiores, *Agoronomos*, qui per fora circumeunt, adtendunt rebus venalibus, recipiuntque tenue illud vectigal, quod heic vulgo *Stand-Geld* dicitur. Sunt & rei frumentariæ, venum aduectæ, sui obseruatores, quos *Dimensores* vocant: quod, & mensuras vrbicas condunt, promuntque; & mensionis pretium accipiunt a venditoribus.

eorum ministeria:

pontis præsides:

agoronomi:

dimensores.

§. XVII.

Pisonienſium præsidia, pace:

QVæ hactenus recensuimus, munia, ad Vrbis florem adtinebant. quæ nunc memorabimus, *defensandæ ei*, destinatæ sunt. Nempe, dum pacata sunt omnia, domi forisque, suo se, *Pisonium*, milite tutatur: si miles dicendus est, cui, præter portarum custodiam, nil quidquam militaris laboris, mandatum est. Fuerunt olim animosi adeo *Pisonienses*, vt tota vicinia, bello flagrante, detrectarint tamen præsidia admittere: vno forte, alteroque exemplo *(t.)* moniti, quam sit res molestiarum plena, in libera vrbe, alieno arbitrio viuere. Cesserunt tamen sæpius necessitati, bellis portissimum nuperis, dum, acceptis intra mœnia, *Cæsaris* præsidiis, sibi quidem securitatem, militi perfugium, præstiterunt. Euenit hoc, post annum MDCLXIII. frequentius. Quid enim, in tanta rerum omnium perturbatione, agerent, hosti propulsando impares? Atque, fuit omnino, saluti non minus, quam decori *Pisonienſibus*, fidem, & regi, & regno, intemeratam seruauisse. Nunc, quæ est temporum felicitas, suo degunt arbitratu, & tuti, & quod maxime laudes, sic satis contenti sorte, quam sibi DEVS adtribuit, adfirmauit CAESAR: maxime, posteaquam Sereniſſimus *Lotharingiæ Dux*, FRANCISCVS STEPHANVS, ita volente CAROLO, sedem isthic posuit. Adhuc enim vrbi, suus, cum milite ciuico, *Capitaneus* moderatur. Cohortibus, enim vero, quæ in custodiam corporis, DVCI sunt datæ, nihil, cum vrbanis excubiis, negotii intercedit. Hospitiis, pro more accipiuntur, commodis; ceteroquin disciplinæ militari tenaciſſime obstrictæ. Est vero vrbicum illud, de quo præcepimus dicere, præsidium, triginta fere capitum; totidem in decurias, distributum, quot sunt vrbis portæ. quibus singulis, si integer esse debeat numerus, decuriæ singulæ, inse-

bello:

militis vrbici numerus, & occupatio:

t.) Relege, quæ supra, ad *Botskaianos*, *Bethlenianosque* tumultus, quin & anni MDCLXIII. conuersiones, Historiæ Vrbis Cap. IV. memorauimus.

insederunt; demtis tamen iis, qui prætorium custodiunt: nam & hic, perpetuæ excubiæ aguntur, vigiliæque; cum ob loci venerationem, tum captiuorum causa, qui isthic in vinculis sunt. Capessunt mandata, a centurione, siue *Capitaneo*, & qui ei succenturiantur, præfecto vigiliarum, & huius legato. Vestis eis, ex fusco, cærulea, a magistratibus datur, quam biennio gerunt. Alioquin, ciues omnes, si necessitas ingruat, militum vice fungi oportet. quod, quam præstiterint alacriter, superiore illa seditione, commota a *Rákóczyo*, testatum fecerunt. Eam ob rem, singularis, e ciuibus, manipulus legitur, qui præ ceteris, arma tractare, & iaculari, addiscat. De eorum palæstra, supra dicendi locus fuit. *Prætorianum* vrbis militem diceres, ita, & habitu excellunt, & armis. Si ducenda pompa est, primas in profectione tenent, tamquam primipili essent, vrbanarum cohortium. Reliqua multitudo, pro vicorum habitu, in *quadras*, vti vocant, diuisa est. Sui singulis sunt præfecti, sua, quæ sequi debent, signa. Vnius momenti conclamatione, si quid trepidi ingruit, ad arma conuolare sciunt, qui meminerunt superiorum temporum calamitates. Iam, *remissius hæc militaris disciplinæ* simulacra, habentur, ob pacis, qua fruimur, diuturnitatem.

ciues, re trepida, militum obeunt munia:

peculiaris eorum manipulus.

§. XVIII.

HAec, in vrbe geruntur. Ruri, *Consulis*, & *Camerarii* nutu, fiunt omnia. Capessunt eorum iussa, operarum exactores, & arbitri: *Villicus* præcipue. Eius est, cultum vineaticum administrare, conserere agrum, & demetere, curare fœnisecia, pabula, & publicas lignationes. Post villicum, *Saltuarii* sunt, qui adtendunt siluis, ne, seu furtim, seu temere, succidantur a lignatoribus. Duum hi sunt generum: *montani* alii; alii *insulani;* eo quod vtrobique lignatores opus faciunt. Perenne hi, per siluas degunt, neque accedunt ad vrbem, nisi diebus festis, religionis ergo. Cædunt autem, admensam siluarum regionem, quodque deiecerunt, findunt, & in strues congerunt, orgyiæ altitudine, partiendum inter ciues, pro fundorum, quos possident, portione. Sed, tributarias, per vrbis vicos, operas, prout eas *Consul* imperauit, satelles vrget. qui proinde, fere perpetuo est cum rusticis, eo potissimum tempore, cum feruet agrestis labor. Sua hæc vrbi œconomia fuit, fructuosior nunc, nunc iterum, pro anni ingenio, pauperior. Id mireris, ciuitati, nulli per Hungariam secundæ, duos admodum esse vicos in hærediis. Id vero, qui potuerit fieri, in tanta regum, erga *Pisonienses*, propensione, non dispicio. Nisi forte, eius temporis magistratus accusare velis, tamquam, qui iusto fuerint negligentiores, in auctitanda vrbis ditione; quod tamen, non caruerit iniuria: cum constet ex diplomatibus regum, sategisse rerum suarum, *Pisonienſium* villicos, seu *Iudices*, tantopere, vt eorum causa, non dubitarint reges optimi, vrbem,

Rusticanis operis, Consul, & Camerarius, *moderantur:*

dominatio Pisonienſium *tenuis, & cur?*

vrbem fundis donare. Ergo, alibi veſtiganda fuerit, pauperiei huius cauſſa. Equidem, in ea verſor opinione, vicinorum fuiſſe auiditatem, quæ impediuerit, quo minus potuerit vrbs, alioquin gratioſa principibus, hærediis locupletari. Nempe, ſi quid erat, quod in fiſcum regium, emortuis poſſeſſoribus, recidit, quodque potuiſſent impetraſſe ab indulgentia regum, *Piſonienſes;* non ii ceſſauere prius, quam id, precibus admotis, e principis manu eliſum, ſuæ ditioni adiicerent. De Comitibus *Sancti Georgii*, & *Bozin*, id certum habeo exploratumque: vt ex eorum ingenio, facile ſit, circumſitarum arcium *Caſtellanos*, quos dicunt, metiri. Quin, id etiam extortum vrbi eſt, quod longa retro ſeculorum ſerie, & ſine vllius querela, poſſidebat: id quod ad *Wereknye*, inſulani vici mentionem, recognoſcemus. Quidquid eius ſit, adhibent *Piſonienſes* curam ſingularem, vt, cum vrbes reliquas, haud æquent poſſeſſionum numero; ſuperent tamen induſtria: pulchrum exiſtimantes, tenuibus hærediis, rem facere, multo, quam in locuplete dominatione alii, opimiorem. Sunt vero, quos habent, in poteſtate ſua, vici duo, *Prácſa* alter, Germanis *Weinern*, *Wináry Slauis*, *ab nobiliſſimi vini* prouentu, ſic dictus; alter *Lamacs*, Germanice, *Blamenau*. Hæc *Croatarum*, *Slauorum* illa colonia eſt. quam annis ſuperioribus, *inſtructa* villa, vltra quam reris, inſigni, commodiorem vrbi, Conſules fecere. Recurret, vtriusque mentio, cum vicos prouinciæ, luſtrabimus. Monuimus, ſuo loco, data opera, reditum *Piſonienſium* omnem, vineaticum eſſe. Quam ob rem, curant diligenter, vt, & fundi vinearum, ſine vicinorum iniuria, adſeruentur poſſeſſorum cuique, intemerati; & operæ fiant, ſine dolo malo, a vinitoribus. Ad *Conſulem* pertinet, id quoque ſollicitiſſime procurare. Ei fini, quatuor *Vinearum Magiſtros*, vetere inſtituto, creare conſueuerunt. qui demenſam ſibi, oram vinearum, obeant; auertant mutuas poſſeſſorum offenſas; cenſeant illata damna; venales fundos æſtiment; de ſingulis autem ad *Conſulem* referant. Eſt & peculiaris ἐργοδιώκτης vineaticus, qui pererrat vineas, vt, qua accuratione *fiant operæ*, diſpiciat. Si quid reperit factum perperam, depacto ſigno, ad pœnam vinitorem depoſcit, infligendam a *Conſule*, pro vineatici huius magiſtratus, arbitratu. Cauetur hac ſeueritate, quantum eius fieri poteſt, ne ſolitæ operarum fraudes, inualeſcant. Vnum deſideraueris, non in *Piſonienſium* modo; ſed vniuerſæ *Hungariæ*, tum agreſtibus operis reliquis, tum vineaticis potiſſimum: grande nimirum, *manus pretium*, *(u.)* quod ſingulis operariis, dietim multo impenditur maius, in tanta annonæ, & commeatuum laxitate, quam id, ſiue regionis habitus, ſiue herorum fortunæ patiantur. Fit, hac impenſarum nimietate, vt non modo laboris, vix vllum fructum ferat colonus; ſed damnum etiam faciat, in re familiari, prorſus irreparabile. Nam, ſi vberem annus vindemiam effudit,

vici, quos in poteſtate habent:

cura vinearum:

manus pretii nimietas, heris damnoſa.

u.) Ita *Latine* adpellamus, pretium operis diurni, quod vulgo, *Tag-Werck*, ſeu *Tag-Lohn*, dicunt. Vtinam habeat querela locum!

fudit, vini ea eſſe ſolet vilitas, quæ vix reddat ſumtus profuſos; ſin vero, vindemiatio incidit arctior, venit quidem vinum, alterutro poſt anno, maiori; ſed cuius tamen paucitas, ne ſic quidem æquarit modum impenſæ. Quid vero, de iis annis dicas, qui prorſus fraudant colonum? Ergo, ſi conſulendum in commune eſt, *manus pretia*, de quibus conquerimur, minuantur oportet. Neque heic iniuria operis, vlla fiet; ſi ratio habebitur, laxioris, arctiorisue annonæ. Sed hæc obiter.

§. XIX.

Ritus eligendorum magiſtratuum:

DEſignauimus hactenus, vrbis *Piſonienſis* Magiſtratus, & horum munia, adminiſtros item, varii generis. Rei grauitas poſcit, vt iam, eligendorum inſtaurandorumque magiſtratuum ſolemnitatem, commemoremus. Supra, ex priuilegiorum tabulis, adnotauimus, diem *S. Georgio* feſtum, ei ritui præſtitutum eſſe. In magna proinde, apud ciues, exſpectatione dies ille eſt. Vt cœpit adpropinquare, *Tribunus Plebis*, cum *Centumuiris*, *ſententias conferre*; quid quisque, de inſtaurandis magiſtratibus exiſtimet, ſciſcitari; quomodo ſe *Iudex*, quomodo *Conſul*, cum vniuerſim omnibus, tum priuatim ſingulis, adprobarit, interrogare. Quia enim, eligendorum eorum poteſtas, ad populum adtinet, atque *Centumuiros* potiſſimum, & ſibi conſulunt, & reipublicæ, dum cogitate ſuſcipiunt omnia. Haud ita pridem, nemo non ciuis, atque ille in primis, cui aliquis poſſeſſionum modus eſt, ad hæc ſolemnia, arceſſebatur a *Tribuno Plebis*; ſed, quod difficile eſt moderari multitudini, ne, & ſententiis fluctuet, & prona ſit in dicteria, atque motus animorum alios; mos ille, abrogatus eſt, neque integrum cuiquam, ad eum diem curiam adire, niſi teſſeram, qua euocatus ſit, acceperit. Scribuntur nempe, eorum nomina in exili ſcheda, ſigillo vrbis minore, ſignata. Hæc iſtiusmodi ſymbola, dimittuntur quatuordecim fere diebus ante, quam ſolemnis ille *S. Georgii*, iniit. Is, ſimul illuxit, decore omnes amicti, ad octauam diei horam, coeunt in prætorio: cum iam ante, ſacris ſupplicationibus, vt cœptum, DEVS, felix fauſtumque reipublicæ eſſe iubeat, ſuo quisque loco, vacauerunt. Abeſſe licet nemini, niſi a *Conſule*, aut *Tribuno plebis*, accepta venia. Poſteaquam coitum eſt, hortatur *Tribunus* ciues: vti poſitis, qui ſe ingerere ſueuerunt, prauis adfectibus, vnice, rempublicam ſibi commendatam haberent; ferrent ſuffragia, procul odio gratiaue; cogitarent, ne hoc eligendorum magiſtratuum beneficio, quomodocunque abuterentur; tum, bene comprecatus reipublicæ, interrogat, commutarene velint, *Prætoris*, & *Conſulis* munus; vel id his, qui id geſſere hactenus, porro adfirmare; aut alios ſublegere? Cum ita mutuo conſultatur; adſunt interim *Regii Arbitri*, quos *Commiſſarios* vocare moris eſt. Hos ergo, & Senatus, & ciuium multitudo reliqua, ſimul, pro dignitate, accepit; pro-

Tribuni Plebis, circa eum munia:

qui ciuium electionis cauſſa coeant:

Tribuni plebis, adlocutio ad ciues:

conſultationes mutuæ:

Regii arbitri, *ſi adſint, quomodo accipiantur:*

promunt illi Regis mandata, quidque velint, apud Senatum, iuxta & ciues, palam profitentur. At, si nulli, a Rege arbitri sunt missi, ea quidem cerimonia opus haud est. *Notarii* tunc, iussa Cæsaris, promulgant. quæ eius potissimum argumenti esse consueuerunt; vti concorditer ciues agerent; viros, in magistratus legerent, æqui rectique studiosos; neque committerent quidquam, quod Regi, quod religioni, quod denique reipublicæ, quoquomodo possit derogare. Tunc *Tribunus*, si prior, vel naturæ concessit, vel exegit muneris tempus, biennio definitum, sublegitur; confirmatur, si neutrum est. Mox *Iudex*, & *Consul*, magistratu decedunt, pro se quisque, ex temporis habitu, quidpiam præfatus. Ritum eo pertinere aiunt, ne perpetuitate magistratuum, adfectent in ciues dominationem. Idem, singuli sigillatim senatores antea faciebant; sed, quod id coniunctum cum opprobrio ordinis putarunt, quidquid erat prisci instituti, antiquatum est. His gestis, si Senatorum aliquis desideretur, de *Candidatis*, inter se, ciues, cum Senatu, & si adsint, cum regiis arbitris, conueniunt. Tres horum nominantur, gestis iam ante muneribus, bene de republica meriti. quibus tantisper, ex senaculo excedere iussis, instituitur optio, vel per *singulorum* suffragia, vel mutuo consensu, quem *Notariorum* alteruter excipit. Fit nonnumquam, & de candidatis disceptatio, cum his populus, illis Senatus, mauult suffragari. Sed accidit etiam, vt Regis arbitri, commendent maiorem in modum, quos ea dignitate, ornatos cuperent. Quod tamen scimus, tenaces sunt iurium suorum ciues, aguntque solemni hoc die, quod est e reipublicæ vtilitate, pro eo, ac decet, liberos homines.

mandatorum Cæsaris *argumentum*:

ritus ceteri.

§. XX.

Iudicis, & Consulis *electio, quemadmodum instituatur:*

REdintegrato *Senatorum* numero, si instaurandi sunt magistratus, *Iudex* primum, *Consul* postea, legitur; dum interea *Senatus* vniuersus, intra senaculum, rei euentum præstolatur. Relatum accepimus, olim conclamatione potius, quam distinctis suffragiis, rem gessisse, ciuium illos, qui factionem aliquam sequuti, hunc illumue, munere aliquo, præ ceteris, ornatum percupiebant. quod, quam fuerit reipublicæ noxium, non est nostrum existimare. Hodie, si coalescere sententiis, nequeunt ciues; regio mandato, viritim suffragia, colliguntur. Facta optione, *Tribunus Plebis*, cum primoribus, senaculum subit, *Iudicem*, & *Consulem*, alta voce, salutat, & cum *Senatui* vniuerso, tum nouis magistratibus in primis, optima quæque, pro eo, atque eloquentia valet, comprecatus, profectionem ad ædem *S. Martini*, edicit: vbi *Iudex*, iureiurando fidem suam, Regi, & reipublicæ adstringat. Cum hæc fiunt, tubæ & tympana, de turri prætoria, personare, æs campanum grandius, ad *D. Martinum*, pulsari. Fit demum solemnis, ex curia, ad templum, processio, pergitque *Iudex*, sceptrum dextra præferens; a *Consule*, senatu

profectio eorum ad ædem sacram, iurisiurandi caussa:

natu vniuerso, centumuiris, & ciuium longo ordine, stipatus. Ad ædem sacram, vbi ventum est, hymni, cum symphoniis, occini incipiunt. Prodit demum *Sacerdos*, & habito, ad populum, de magistratuum dignitate, ciuium obsequio, & quæ sunt eiusdem momenti, sermone, præeunte *Notario*, iureiurando, nouum prætorem, ad aram principem, Regi, & reipublicæ, obstringit. Id, vbi factum est, editis plausibus, *Iudex* ad priuatas suas ædes, *Consul* item, & *Capitaneus*, (nam & hunc, eodem illo die sublegi, moris est,) eodem ordine, deducuntur. Die, qui celebritatem hanc excipit, non modo Senatores, sacramento se coram *Iudice*, innectunt denuo; sed instaurantur etiam, quæ vacare contigit, munia reliqua. Vnius *Camerarii*, & *Procuratoris Xenodochii*, officium, quod ita poscunt œconomiæ rationes, ad *Calendas Ianuarias* solet redintegrari. Dum solemnia electionis aguntur, clausæ circumquaque sunt portæ vrbis, ne quid inopinati tumultus, in eo *interregno*, edatur a plebe. Atque, hæc erant, quæ de *Ciuibus*, & *Magistratibus Pisonienſium*, erant dicenda. Iam, quod est in tota hac commentatione vltimum, breuiter videamus.

sacramentum Iudicis:

Consulis, *& Senatorum.*

ARTICVLVS IV.

De *Opportunitatibus Ruris Pisonienſis.*

SYNOPSIS.

Rvris *Pisonienſis varietas: montes siluosi, Carpathi sunt propagines: eorum cura: damna vnde? arborum siluestrium genera: non sufficiunt vrbicis vsibus.* §. I.

Vineæ Pisonienſes, & harum fata: qua sint optimæ: qua optimis proximæ: vinearum, septentrioni obiacentium, indoles: reliquarum, propius ad suburbia & arcem, ingenium. §. II.

Regio vinearum vlterior: & earum habitus: Ager Dévénenſis: *vineaticæ, in eo, Pisonienſium possessiones: harum iura, a* Lvdovico I. *diplomate perscripta.* §. III.

Agri frumentarii, anguſtiores obtigerunt Pisonio: *nebulæ, segetibus noxiæ: pratorum vbertas: fœniſeciorum iucunditas: reliquum rus: alendi pecoris, apud Pisonienſes, ſtudium.* §. IV.

Insulæ Pisonienſium, duum generum, Enger-Au: Kriechenau, *eius partitio: & laudes: insula, de se ipsa, ad hospites.* §. V.

Pétsen: *insula gemina: pomariis, vtraque, conserta: loci*

ci amœnitas: Piſonienſes, quæ hic capiant oblectamenta: periculum inſulæ, ab ingruente Danubio. §. VI.

Inſularum reliquæ: Tollii, *de iis, verba: Stadt-Grund: Habern: vrbica maior: inſulæ minores.* §. VII.

Inſulæ vlteriores: Wolffs-Trüsſel: ferarum eſt viuarium: Fiſſardt: Graffenau: Mühlau: amnis, in eam, iniuriæ: naualium molarum cauſſa: inſulæ, circum minores. §. VIII.

Danubius: quas præſtet Piſonienſibus vtilitates: piſcationis iura: antacœorum captura, Piſonio *familiaris olim: cur deſierit hodie.* §. IX.

Naulum, a Sigismvndo, *vrbi donatum: adfirmauit noua acceſſione,* Albertvs: Ladislavs *item, poſthumus:* Matthiae *Coruini, in eandem rem, diploma: hodiernus nauli habitus.* §. X.

Vtilior, an damnoſior, Piſonienſibus ſit Danubius: claſſis amnica, in Danubio: riui agri Piſonienſis alii: Weidritziæ *ortus: quas verſet molas.* §. XI.

Limites ruris Piſonienſis, qui? lites eorum cauſſa agitatæ: epilogus hiſtoriæ Piſonienſis, & prolixitatis excuſatio: Auctoris *vota.* §. XII.

§. I.

Ruris Piſonienſis varietas:



VS Piſonienſe, ſic ſatis laxum, varie vrbi circumfunditur. Pars montibus, pars campis, reliquum inſulis, *Danubio* interſertis, definitur. Ergo, montes primo omnium, poſtea, quod erit opportunitatum reliquum, adſpectabimus. Adſurgunt illi, plaga ſeptentrionali, ſuntque, *Carpathi*, de quo ſupra diximus, vaſtæ ſiluoſæque propagines. Itaque, ſufficiunt lignationi materiam

montes ſilnoſi Carpathi ſunt propagines:

vberem, &, ſi cædatur frugalius, haud facile exhauriendam. Sunt enim montes hi, quam late porriguntur, ſolo, alendis arboribus, perquam idoneo. Quæ hodie deraſa ſunt, pullulant, intra vicennium, tanto profectu, vt ſaltus æmulentur, intactos adhuc, & lignationum expertes. Credo, eadem hac, ſoboleſcentium ſiluarum, vbertate, inductos, annis ſuperioribus, *Piſonienſes*, plus deieciſſe arborum, quam quod longa poſt ætate, e ſtipitibus queat recreſcere. Vt laudandi ſint hodierni *Magiſtratus*, qui profuſis lignationibus, modum poſuerunt. Nempe, nulla, tota vrbe, domus eſt, cui non lignorum, quæ ſunt foco neceſſaria, modus aliquis admenſus ſit. quem ciues, accepta, ab eius rei curatoribus, teſſera, redimunt *manus*

eorum cura:

nus pretio, a ſaltuariis. Hæc vero demenſa, quod maiora erant, quam pro ſiluarum copia, non potuit non, ſtrages in ſaltibus edi, vltra quam reris, damnoſa. Accedit, plebis promiſcuæ, ex arce potiſſimum, in ſiluas excurſatio. qua fit, vt exinaniantur, furtiuis iſtiusmodi graſſationibus, etiam inacceſſa hucuſque nemora. Tametſi enim cautum eſt, *Senatus Conſulto*, ne contemerare auſint vigeſcentes arbores; ſed id admodum colligant, quod, & ſuapte exaruit, & reiectum eſt ab vrbanis lignatoribus; tamen, videas, adeo non duci eo edicto, plebeiorum multos, vt, qua ſe dat occaſio, vel ipſas ſtrues adtemerent, vel certe, clam deiiciant arbores, nondum iuſti incrementi. Quid? quod *aurigæ boarii*, qui ligna e ſaltibus euehunt, raro onerent plauſtra, quin arborem proceram futuram, ſi permiſſa fuiſſet creſcere, & deiiciant, & ſecum auferant. Ferunt autem ſiluæ noſtræ, alibi fagum, quercum alibi, proceritate prorſus eximia. Sed & acer, tiliæque increſcunt, eo amœniore obtutu, quo montes ipſi, magis, & celſitudine variant, & vallium, per latera, intercurſu. Etſi vero, laxa eſt, *ſiluoſa hæc* montanaque *ora; haud tamen lignorum vrbi* tantum ſufficit, quod ſatis ſit: in hac potiſſimum, vrbis copia. Proinde, & per inſulas, *lignationes* fieri oportet, & aduecta, a vicinis materia, focum alere. Montium præcipuorum nomina, & varia ſunt, & relatu ſuperuacua.

damna vnde?

arborum ſilueſtrium genera:

non ſufficiunt vſibus.

§. II.

Vineæ Piſonienſes, & harum fata:

QVa ſiluæ deſinunt, vineas conſeuerunt *Piſonienſes*, perpetuis collium lateribus, hinc & illinc, commiſſas. Habuimus, ſupra, priuilegii Andreae III. mentionem, quo vinearum colendarum libertas, ciuibus perſcribebatur. Vſi ea ſunt noſtri gnauiter, & partim nouellabant, partim inſtaurabant, ſqualentes incultu, vineas. Enim vero, Bohemicis bellis, quæ toties, magna Piſonienſium clade, Ottocarvs redintegrabat, in vaſtitatem abiiſſe reor, vineas *Piſonienſium*; eas potiſſimum, quæ diſiunctæ ab vrbe longius, difficiliorem habebant culturam. Exſtant, in mediis ſiluis, hodieque, vinearum veſtigia, egeſtis vtroque latere, lapidibus, pro more operarum, deſignata. Non eſt animus, profeſſa nunc opera, de vineis *Piſonienſium* agere. Alii loco, ea commentatio adſeruatur. Suffecerit indicauiſſe, qua ſe porrigant, cuiusque ſint poſitus, qua cæli ſolique commoditate. Nobiliſſimæ exiſtimantur, quæ agrum contingunt *Rétſenſem:* nam, & in altum, porrectis montium lateribus, depoſitæ ſunt; & ſoles habent, tota die, apricos. *Hoheneü*, vulgo dicunt, credo, ob poſitionis, quem diximus, habitum. Fructu certe, non modo non concedunt *Rétſenſibus*; ſed multorum iudicio, etiam anteeunt; ſiue indolem vini ſpectes, ex ſe generoſam; ſiue perennitatem. Proxime his accedunt, illa dorſa, quæ perpetuis inde lateribus, vsque ad *Goldfus*, (integro vinearum tractui, id nomen eſt,) protenduntur. Effluunt hæc quoque, pro annorum ingenio,

qua ſint optima:

qua optimis proxima:

nio, insigni fructu, & ei, quem laudauimus, prorsus suppari. Hinc, noua iterum iuga ineunt, multiplicatis vinearum articulis, ita discreta, vt pes quidem montis, *vberrimum*; media, *temperatissimum*; summa, vinum gignant *optimum*. Vallis, quæ heic intermittitur, & iter habet *Stompham* deducens, terminus est nobiliorum vinearum. Nam, quæ in aquilonem, vltra eam vallem, abeunt, patent cæli iniuriis, & quod sole, fere in occidentem inclinante, fouentur, parciorem edunt fructum, eumque austerum; sed in primis patientem ætatis. Quæ hinc, a *Caluariæ* monte, pone suburbia, vsque ad arcis mœnia, vineæ sunt positæ, tametsi probitate fructus, nequeunt cum reliquis conferri; tamen, sunt in pretio, ob vrbis vicinitatem non solum, sed etiam ob fundorum immunitatem. Nam, duæ hic sunt regiunculæ, *Mertzel*, in orientem, & *Haus-Bergel*, in occidentem reductæ, quæ sua quadam gaudent libertate. Iterum, quæ vltra eundem hunc montem reiecta sunt, remittunt non nihil, de vini gloria, ob malignitatem positus; quam tamen, hinc & illinc, vallium *intercursantium*, & accipientium solis tepores, commoditas, multum diminuit. Totus enim *hic tractus*, *septentrioni* obuersus est, foretque extra modum asper, nisi pluribus vallibus depressus, vnum alterumque latus, meridiei obiacens, seruentiori Austro, in hæc montis caua illapso, acciperet tantum caloris, quantum ad coquendam vindemiam sufficit.

vinearum septentrioni obiacentium indoles:

reliquarum propius ad suburbia & arcem, ingenium.

§. III.

Fvit hæc regio vinearum citerior. Quæ vltra arcem, pone *Danubii* alueum, procurrit, nihilo deterior est. Incalescit nimirum, solibus maxime meridianis; occiduis autem, vsque in serum diei, sine vlla vmbrarum molestia, confouetur. Varia, & his nomina. In anterioribus sunt: *Donauleüthen*, *Pfefferleüthen*, *Fuchsleüthen*, reliqua. Eximius his fructus est, sulphure turgescens, subacto illo. Itaque, pinguiora hinc vina prodeunt, idonea tamen, ad condendum diutius, si fauit annus viti. Altius ab amne subducuntur, quas *Steüer*, & *Motzen-Grund* vocitant, parci fructus, ac, prout sitæ sunt, aliæ aliis, austerioris. *Dévénienſis* postea ager init, laxe, per collium dorsa, porrectus, & vbere, quaquauorsum, vite consitus. Multi hic Pisonienſibus sunt fundi, veterrimo iure possessi. Mirati sumus, cum in priscis, quæ omni studio colligimus, monumentis, *Dévénienſium* vinearum mentionem, & possessorum iura peculiaria, diplomate Lvdovici I. anno MCCCLXII. perscripta, legeremus, digna profecto relatione: *Quicunque*, inquit, *hominum*, *in regno Hungariæ residentium*, *vineam*, *seu vineas*, *in territorio montium de* Déwén, *habet vel habuerit*, *ille de vinea*, *seu de vineis suis*, *exactionem*, *more hospitum forensium*, *extraneorum*, *soluere*, *& quod vulgariter dicitur*, Gast-Gab *soluere non teneantur*, *excepto terragio solito*, *& consue-*

Regio vinearum vlterior: & earum habitus:

Ager Dévénenſis: vineaticæ in eo, Pisonienſium possessiones:

harum iura, a Ludouico I. *diplomate perscripta:*

consueto, *nec non ab antiquo approbato*. *Ceterum*, *quicunque hominum*, *in regno Hungarico commorantium*, *ab aliquo hospite forensi*, *vel extraneo*, *vineam*, *seu vineas*, *in prædicto territorio*, *montium* de Déwén, *habitam*, *seu habitas*, *pretio comparauerit*, *ille*, *eadem libertatis gratia*, *vt præscribitur*, *perfruatur*, *excluso terragio*, *solito & consueto*, *nec non ab antiquo approbato*, *quod soluere teneantur*. *Præterea*, *quodsi aliquis hospes forensis*, *siue extraneus*, *ab aliquo hominum in regno Hungariæ habitantium*, *vineam*, *seu vineas*, *in prædicto territorio*, *montium* de Déwén *existentes*, *emtionis titulo comparauerit*, *ille e conuerso*, *exactionem*, *more hospitum forensium*, *seu extraneorum*, *de eadem vinea*, *seu vineis*, *vna cum terragio solito & consueto*, *nec non ab antiquo approbato*, *soluere teneatur*. *Statuimus etiam*, *quod*, *quicunque hospes*, *forensis seu extraneus*, *in regnum Hungariæ*, *causſa commorandi se receperit*, *ac etiam*, *in regno eodem residentiam fecerit*, *nec non in dicto territorio montium de Déwén*, *vineam*, *seu vineas habet*, *vel habuerit*, *ille iterum exactionem*, *more hospitum forensium seu extraneorum*, *de vinea*, *seu vineis suis soluendam*, *soluere non teneatur*, *excepto terragio*, *vt præscribitur*, *consueto & ab antiquo approbato*, *quod soluere teneatur*. *Denique*, *si aliquis in regno Hungariæ residens*, *vineam seu vineas in terragio montium de Déwén habet*, *seu habuerit*, *ac se*, *ob causſam residentiæ*, *ad partes*, *seu regna extranea*, *transtulerit*, *ac etiam in eisdem residentiam fecerit*; *ille*, *de vinea*, *seu de vineis suis*, *in territorio montium de Déwén habitis*, *exactionem*, *more hospitum forensium*, *seu extraneorum soluendam*, *vna cum terragio solito & consueto*, *nec non ab antiquo approbato*, *tamquam alter hospes extraneus*, *soluere teneatur e conuerso*. Hactenus Lvdovici I. diploma, consignatum *per manus*, *Venerabilis in Christo Patris*, *Domini Nicolai*, *Archiepiscopi Strigonienſis*, *locique eiusdem Comitis perpetui*, *aulæ suæ Cancellarii*, *dilecti & fidelis sui*, *Anno MCCCLXII. duodecimo Kal. Iun. regni autem sui*, *vigesimo primo*. Adparet hinc, *vinearum Dévénienſium* cultum, & antiquum esse, & habitum olim in pretio: quippe quas, non dubitarint exteri quoque, suas facere; sicuti fas est credere, ob insignem vini præstantiam. Iam tum vero, suum isthic *Pisonienſibus*, possessionum fuisse modum, inde coniicimus, quod hæc *Dévénienſium* vinearum iura, nostrorum præcipue causſa, perscripta sunt.

§. IV.

AD agrum frumentarium, quod adtinet, angustus is obtigit *Pisonio*, & vix memorandus: communi, locorum vitiferorum, fato. Raro enim *Ceres*, atque *Bacchus*, iisdem sedibus, commode hospitantur; cum illa quidem campis; hic apricis collibus, sit amicior. Quin euenit quoque, vt alterius cura distenti coloni, negligant alterum: vix vsquam ex æquo, vtrique, litatur. *Pisonienſes*, opportunitas locorum destituit, non colendi agri studium;

Agri frumentarii, angustiores obtigerunt Pisonio:

quo ſane, haud quidquam cedunt, etiam diligentiſſimis aratoribus, quibus, quantulacunque agri portio obtigit. Nempe, qua in occidentem recedit rus Piſonienſe, collibus aſperatur vitiferis, vixque centena habet iugera, ſubarationibus idonea; niſi, qua excuſſa vitis, locum forte ſementi nuper fecit. Laxius porrigitur, quod orienti obiacet, habetque pluſculum commoditatis ad agricolandum. Enim vero, qua mitigantur colles, pulchre diffundi incipit planities. Hanc ergo, proxime ad vineas, agris videas ſubigi frumentariis, egregii reditus futuris; eo quod ſunt reſoluta gleba; ſi ſpatia inſediſſent ampliora. Proinde, breues ſunt noſtris hominibus meſſes; ſed fructus tamen probi. Quod de nebulis *Csallóközienſibus* queſti fuimus, ſuo id damno, annis ſuperioribus, *Piſonienſes* expertos, meminimus, ea ſcilicet agrorum parte, quæ eſt pone *Danubium*. Maturuerat ſeges triticea, cum illapſæ nebulæ, exſuxſerunt granum, rugoſa admodum gluma relicta. quæ poſtea molita, farinæ parum, multum contra furfuris, dedit. Triſtis omnino euentus, & iam frequentior multo, quam olim. Credunt, malignas haſce nebulas, *ſale nitri*, *(a.)* qui eſt copioſus circa *Danubium*, grauidatas, intimare ſe medullæ tritici, eamque, ſi ſoles feruidi *ſubito incidant*, *dicto celerius*, exinanire. Sed hoc iam non vacat diſputare. Lætius prata, latiusque porriguntur, vberrimi fœniſecii, vbi congruit *cæli temperamentum*. Recedunt in orientem, paſſus ab vrbe circiter bis mille, eo poſita, qui educandis graminibus, longe commodiſſimus eſt. Nulla in vrbe, ſed nec in ſuburbio, domus eſt, quin admenſam habeat, prati qualemcunque *(b.)* portionem. Vetus id inſtitutum eſt, & ita comparatum, vt, quoties herum mutat domus, atque emtori, apud *Conſulem* transſcribenda eſt; ſimul, prati etiam portiuncula, vna cum domo, in tabulas referri debeat. Ergo, non eſt integrum, hos iſtiusmodi fundos, diuiſim alienare. Ceterum, fœniſeciis *Piſonienſium*, vix quidquam eſſe poteſt iucundius. Facta enim graminum falcandorum poteſtate, certatim pro ſe quiſque, quod ſuum eſt, deiicit, operis adhibitis, pro modo prati, pluribus hic, paucioribus alibi. Hæ demum, mutuis ſe inuicem acclamationibus, cantibus feſtiuis, & facetis dicteriis, nunc excitant, nunc vrgent. Adeſt herorum globus, discumbens per vmbras arborum, & pro more *Piſonienſium*, inuitans ſe mutuo.

nebulæ, ſegetibus noxiæ:

pratorum vbertas:

fœniſeciorum iucunditas:

> *Conſpicies heic alios dextra leuaque per vmbras,*
> *Cubantes, lætumque choro pæana canentes,*
> *Inter odoratum fœni nemus.*

Et ſunt omnino, ruſticæ iſtiuſmodi deliciæ, quoddam quaſi moleſtiarum, in hoc vitæ genere, condimentum. Quod inter agrum frumentarium, & prata, terreni ſupereſt, rara & torpida *(c.)* quercu, horret, idoneum tamen eſt armentorum pabulis. Nam & hoc, in præcipuis compendiis habent *Piſonienſes*, vt lubenter alant domeſticum pecus, plures ob cauſſas; boues quidem, ad vectanda onera; lactis fundendi gratia, vaccas: vtrumque autem, ob lætamen, quod ex ſtabulationibus fit, & cuius inſignis eſt vſus, in vite fœcundanda.

reliquum rus:

alendi pecoris, apud Piſonienſes, ſtudium.

a.) Profecto dubito! cum conſtet, quantæ ſit efficacitatis *nitrum*, ad agrorum vbertatem.

b.) Germanice, *Haus-Luſt* vocant.

c.) Hinc, Germanicum eius tractus vocabulum, *Holtz-Wurm*.

§. V.

Inſulæ Piſonienſium, duum genera:

AGer, quem hucuſque perluſtrauimus, in continenti fuit. quod viſendum porro eſt, inter *Danubii* diuertigia, recedit, inſulisque pluribus definitur. Duum eæ ſunt generum. Nam aliæ quidem, ad arcem adtinent, & huius *Capitaneos;* in vrbis ditione ſunt aliæ. Vtrasque iuuat commemoraſſe; ſed mixtim, prout ſibi inuicem ſunt limitaneæ. Præcipua eſt, quæ vrbi obiacet, & vel a colonis priſcis, *Unger-Au*; vel ab anguſto eius terreno, *Engere-Au*, dicitur. Erit nobis eius mentio, in arcis hiſtoria. Supra hanc, qua *Danubius* ex Auſtria adlabitur, ad paſſus fere bis mille, *Kriechenau* inſedit, amne olim circumfuſa, ſed quod alueus, a meridie præterlabens, offuſo limo, *inaruit, in peninſulam abiit*. Id mirere, vltra, quam ſunt fines Hungariæ, *Wolffsthalenſi* territorio inſulam immergi, vbi tamen noſtræ admenſam eſſe. Ac profecto, diu litigatum eſt de eius poſſeſſione, dum, lata ab arbitris ſententia, æterno iure, *Piſonienſibus* adſcriberetur. quod anno MDCCXV. eueniſſe, relatum accepimus. Bipartito eam, intermiſſa e Danubio lacuna, findit, ſed portione inæquali. Maior illa, nomen retinet peruulgatum: minor, *Wotten-Burger-Au*, dicitur. Nihil, vtriuſque ſitu, amœnius, nihil, ad feceſſus litteratos, opportunius. Neque enim, vti inſularum reliquæ, temere ſilueſcit; ſed, quanta quanta eſt, ſatiuis arboribus, infiniti generis, luxuriat. Atque iſtud erat, cur inſulam adamarit *Elias Wanyéczyus*, Cæſari a conſiliis, & ſecretis Hungaricis, vir, ſi quis alius, Muſarum ſtudioſiſſimus. Aediculam, in fundis, quos hic amplos habet, loco erectiore inſtruxit, vt eſſet, vbi vernos auctumnalesque dies, poſitis ſeuerioribus curis, transmitteret. Id, quo auctore fecerit, in hunc modum, ipſus cecinit:

Enger-Au:

Kriechenau:

eius partitio:

& laudes:

> Paullus *erat* Ieſzenák, *primus, vir nobilis, auctor*
> *Inſula, quod cultor, ſim benedicta tuus.*
> *Scilicet is fundum dono mihi contulit vnum,*
> *Poſtea ſum plures nactus: vt acta docent.*
> *Propterea auctumnum longum, (d.) cognomine tempus*
> *Cernat; & hunc numquam ſæua ſequatur hiems.*

Ac profecto, digna eſt inſula, quæ doctorum hoſpitiis frequentetur. Enim vero:

d.) *Ieſen*, Slauis auctumnum notat, vnde *Ieſenák*, auctumnalis erit.

Ni medius terras Iſter disiungeret, eſſet
Proxima diuino *(e.) terra beata ſolo.*

Nempe, arx, & oppidum *Dévén*, aduerſa Danubii ripa, fertili huic inſulæ, amœno poſitu, obiacent. Fertilem dico: præterquam enim, quod arationum eſt patiens, vberibus item fœniſeciis luxuriat; vario, cum ſatiuarum, tum ſilueſtrium arborum genere, vigeſcit, vmbrasque præbet, *Tempe* æmulantes. Audiamus inſulam, de ſe ipſa loquentem:

inſula, de ſe ipſa, ad hoſpites.

Inſula Græcorum *(f.)* *vocitor, Piſonis ad vrbem*
Iure bono, ſemper ſubdita, pertineo!
Arboribus variis me Ciuica turba beauit:
Inſitione ſtata dum recreauit humum.
Hic nux eſt iuglans, & auellanæ meliores:
Quas Corylus felix progenerare ſolet.
Poſt Myropolarum panacea, cydonia mala,
Creſcunt; illa oculis pharmaca chara meis:
Quæ medicinalis ſequitur cum fructibus arbos
Meſpilus, auctumni filia ſera nimis.
Et Pomona ſuo prouentu dulcis abundat:
Prouocat ad partum conſociamque pyrum.
Fraxinus atque teres, fidibus contisque dolandis
Apta, per hocce ſolum luxuriare ſolet.
Populus hanc ſequitur, platanus, durans quoque cornus:
Et ſubito creſcens delicioſa ſalix.
Annoſæ quoque me decorant cum germine quercus;
Quæ pariunt glandes, grata alimenta, ſuum.
Perſica, vinoſis eſt, quæ pleniſſima ſuccis
Cernitur in læto hoc luxurioſa ſolo!
Sed crebro ventis obnoxia mœret ab ortu:
Et ſubito malis redditur orba ſuis!
Et paliurus adeſt, cum botris ſæpe rubellis:
Profluuium ventris, qui retinere queunt.
Calculus his teritur, veſicæ dans nocumenta:
Pulmonis næuos, pectoris atque iuuant.
Phymata diminuunt, ſi fructus hi comedantur:
Sic paliurus opes has habet, & dat' opem!
Nec tiliæ deſunt, quas vmbra ſuperſtes honeſtat;
Tegmine ſub quarum diſcubuiſſe lubet.
Prominet & Ceraſus, qualem Ceraſunte Lucullus,
Primus ad Auſonios vexerat ipſe Lares.

Omnia

e.) Honeſtauit, eo diſticho, ſeceſſum hunc, FRANCISCVS BALTHASAR A SEMILLERN, P. L. C. & Regim. Inf. Auſtriæ a Secretis, cum iſthic, animi cauſſa, aliquantiſper hoſpitaretur.

f.) Luſus eſt poetæ, vocabulum ex Germanico illo, fingentis: Dicitur enim *Kriechen-Au*, quaſi *Prunorum inſula*, quod eo arboris & fructus genere, gloriabatur olim.

Omnia creſcunt hic, quæ viuida terra recepit:
Et placitis in ſe vult tolerare modis.
Hic quidam Vates, fundos, hortosque coemit:
Qui eſt a Secretis Cæſaris Hungaricis.
Is puteum poſuit, cunctis ſitientibus aptum:
Caſtalias equidem, qui vomit hauſtus aquas.
Vnda ſalubris ea eſt, leuis, & bene limpida tota:
Qualis in ante ſitis vix reperitur agris.
Hic humiles pariter pro ſe conſtruxerat ædes:
Poſſit vt in curis ſe recreare ſuis.
Nil ſupereſt aliud, quam vos, qui ſæpe bibetis,
Ex puteo, grates dicite, pro latice!

§. VI.

PRopius ad vrbem, gemina iterum inſula eſt: *Pétſchen*, vtrique nomen, cum eo diſcrimine, vt, quæ validiori amnis alueo eſt obſita, *noua*, contra, *vetus* adpelletur, quæ tenuiori altero, ſubluitur. Mediam, lacuſtres e Danubio aquæ, diriment. Nominis rationem veſtigantibus, *Hungaricum* illud in mentem venit, *Bétſi*, quod *Viennenſem* ſignificat. Nimirum, vti alteram illam, quæ vico frequenti hodieque colitur, ab Hungaris, *Unger-Au*, Germani; ita has *Bétſi*, nominauerunt Hungari, quod *Viennam* verſus ſitæ ſunt. Pomarium vtraque eſt, exquiſitiſſima arbore, conſitum; ſed, vltra, quam credi poſſit, expoſitum Danubii iniuriis. Si concordat, cum Pomonæ rationibus cælum, exuberat fructu. Tunc vero, nihil hortis iſtis amœnius, nihil animo concipi poteſt hilarius. Cum enim arbores, iuſtis conſertæ interordiniis, ſublucatæ præterea diligentius, obtutum ex ſe præbeant iucundiſſimum; tum fructus in primis, quibus onuſta arbor eſt, oculos aduertit; facitque exquiſita eius varietas, vt quo magis contempleris, eo minus ſatiabere adſpectando. Ergo, nulla anni pars eſt, quæ non ſuas colono delicias, iſthic adparet; adoleſcente in primis, vere:

Pétſchen: *inſula gemina:*

pomariis vtraque conſerta:

loci amœnitas:

Nunc ver egelidum, nunc eſt molliſſimus annus,
Dum Phœbus tener ac tenera decumbere in herba
Suadet, & arguto fugientes gramine fontes,
Nec rigidos potare iuuat, nec ſole tepenteis,
Iamque dioneis redimitur floribus hortus.

Tunc vero, agminatim huc, familiarum, & adoleſcentiæ vtriusque globi, commigrare, & mœrorem, brumæ contractum iniuriis, depellere. Prorſus ad nutum COLVMELLAE *(g.)*.

Piſonienſes, quæ hic capiant oblectamenta:

Vos quoque iam poſito, luctu, mœſtoque timore,
Huc facili greſſu, teneras aduertite plantas,

g.) Lib. de Re ruſtica, in Nymphatum adlocutione, fol. m. 185.

Tellurisque comas, ſacris optate caniſtris.
Hinc nullæ inſidiæ Nymphis, nullaque rapina,
Caſta fides nobis colitur, ſanctique penates,
Omnia plena iocis, ſecuro plena cachinno,
Plena mero, lætisque virent conuiuia pratis.

Hæc veris ſunt oblectamenta; ſua æſtas quoque, ſua auctumnus auocamenta habet. Nimirum:

Cum canis Erigones flagrans hyperionis æſtu
Arboreos aperit fœtus, cumulataque moris
Candida ſanguineo manant fiſcella cruore,
Cum præcox bifera, deſcendit ab arbore ficus,
Armeniisque & cereolis, prunisque Damaſci
Stipantur calathi, & pomis, quæ barbara Perſis
Miſerat, vt fama eſt, patriis armata venenis;
At nunc expoſiti paruo diſcrimine leti,
Ambroſios præbent ſuccos, oblita nocendi.

reliqua (h.J. Tunc inquam, non inſulam diceres, ſed Pomonæ quaſi palæſtram, omni ætati ſexuique, frequentatam. Fumant, inſtructi paſſim foci, fiuntque ſubdiales epulæ. non tam opiparæ, *quam* iucundæ, in hac auctumni munificentia. Atque, vtinam perenne hoc, quidquid eſt, amœni ſeceſſus, ſit *Piſonienſibus*. Metuendum enim, ne vehementia *Danubii*, magna aquarum mole, in frontem inſulæ, incumbentis, deradatur penitus, ſaltem extra modum diminuatur. Fœnum, quod heic prouenit, probum eſt, atque pingue, niſi exundantis amnis limo, cum in gramine vigeſcit adhuc, fœdetur.

periculum inſulæ, ab ingruente Danubio.

§. VII.

Inſularum reliquæ:

HInc, ſecundo amne, progreſſis, *Labyrinthus* quaſi inſularum ſe obiicit. Fiſſo nimirum, trifariam alueo, poſteaque, varie per diuertigia, huc atque illuc, ſparſo, ſeptem inſulas maiores molitur. TOLLIVS, dum hic peregrinabatur, quatuor obſeruauit: *Quatuor*, inquit, *mox vrbi ſubiectæ, adparent inſulæ, quarum dextra & ſiniſtra*, Pálffii Comitis, *mediæ duæ, peculiares ſunt ciuitati Poſonienſi. Siniſtra*, *cui* Wolffs-Trüſſelæ *nomen, in duo Germanica milliaria porrigitur. Dextræ* Haberæ, *minor amplitudo eſt. Priorem, magnitudine*, ciuica maior, *illis* Groſsburger-Eylandt, *dicta, adæquat. Altera* ciuitatis ſolum, *aut vernaculo ſermone*, Stadt-Grund, *adpellata, aliquanto minor eſt.* Hæc ille, tunc (i.) pro viatoria ſua diligentia, obſeruauit; haud quidem male, quantum ad inſulas, quas nominauit; ſi laxitatem *Wolffs-Trüſſelæ*, & quam huic æquauit, *ciuicæ maioris*, excipias. Itaque, fas eſt, ſitu, nominibus atque numero

Tollii de iis verba:

4.) Ibidem COLVMELLA fine. Lib. X.

i.) Epiſtola Itineraria v. p. 143. ad annum forte MDCLXXXVI.

mero, ita ſingulas deſignare, quemadmodum præſens earum fert habitus. Infra *Engerauiam*, qua ſe dexter alueus Danubii ſinuat, nudo olim latere, iam vtrinque præcincto alluuionibus, *Fundus Ciuicus*, vernacule *Stadt-Grund*, inſedit. Longa eſt inſula, orgyiarum circiter mille ducentarum, lata ſexcentarum, qua maxime patet: laxius enim, qua vrbem proſpicit, porrigitur, tametſi, ne reliqua quidem parte, arctius coeat, quam ad quadringentarum orgyiarum ſpatium. Solum ei continens eſt, & ſolidum, ſed & facile ſilueſcens. Ergo pomaria hic, opaca alibi nemora, videas; atque, vbi hæc deraſa ſunt, quin & inter fructiferas arbores, prata, pingui gramine herbeſcentia. Itaque, non fructibus modo arborum, ſed fœniſeciis etiam, atque lignatione copioſa, inſigniter proficit. Multum de ea, ab occiduo ſole, annis ſuperioribus, abſtulit *Danubius*, quod aperto eam latere ſubluit. Melius ſe ab oriente habet: quippe, *Haberæ*, vulgo *Habern*, obiectu, ab amnis iniuria, defenſa. Inſula eſt, ad *Comites Pálffyos* adtinens, rotundi poſitus, ſi apicem demas, ducentarum propemodum orgyiarum, *Trianguli* nomine, cognitum. quem *Nicolaus Pálffy*, regni Hungariæ Palatinus, ante hos aliquot annos, *Paullo Ieſzenákio, viro*, egregie de ſe merito, *donauit. Quod inde in* meridiem terreni reliquum eſt, *Danubio*, lacuſtri admiſſo alueo, circumitur: orientem, amnis *grandior*, definit. Siluis inſidetur denſis, ideoque, ad alendas feras, idoneis; præcipue in ea paſcuorum vbertate, & cura adtentiore, ne quid temere damni accipiant. Adſita huic eſt, *Vrbica maior*, transuerſo, pone vtramque, ad meridianum ſolem, poſitu. Vulgo, *Groſſe Burger-Au* dicunt. Ac meretur omnino, maioris nomen, eo quod longe lateque diffunditur. Cum enim anguſtiore, infra *Habern*, terreno, a maximi alueo diuertigio triplici, iniit, pergit in meridiem, quo longiore, eo latiore, incremento, dum orgyias mille quingentas definiuit. Quanta quanta eſt, ſiluoſum nemus, adſertis paſſim frugi, arboribus, quas prata interpolant, merito poſſis dicere. Ingens hic, in annos ſingulos, lignorum vis deiicitur. quorum cura, aduertentibus ſaltuariis, penes *Conſulem* eſt. Inſunt, ferarum quoque, & auium ſilueſtrium, genera. *Cerui*, *damæ*, *apri*, domeſticæ ſunt ſpecies, propagaturæ ſeminum, ſi haberentur obſeruantius. Fit enim haud raro, vt intempeſtiuis, ne furtiuos dicam, venatibus, disiiciantur feræ, neque delectentur poſtea inuiſis luſtris. Cogitur heic quoque fœnum, qua apricior eſt inſula, pinguius, tenuius, qua vmbræ imminent. Tres has inſulas, minores aliæ circumſident. Aquiloni puluinum obiacet, quod Germani, *Neüer-Anſchütt*, hoc, eſt, *alluuionem nouam*, vocant. Pro aquarum mole, nunc emergit, ſalice vireſcens, nunc limo, ſi increſcat amnis, obruitur. Qua quidem variatione fit, vt repercuſſam vndarum molem, propellat in aduerſum *ciuicæ minoris* latus, ſubruatque in annos ſingulos, ingentem ripæ tractum. In occidentem, eidem *Fundo Ciuico*, aliud cohæſit puluinum, ob terminos heic poſitos, *Hotter*, dictum; tenacius illud, ſolidiusque, atque ideo priori vrbi-

Stadt-Grund:

Habern:

vrbica maior:

inſulæ minores.

cæ

cæ insulæ, multo commodius, quod repellit ingruentes fluctus, dextri aluei, hac se detorquentis. Hic demum, plures insulas, sed momenti minoris, circumluit. Obscuriora iis sunt nomina, sed tamen non tacenda. Dicuntur vero: *Ober-Haüffel; Ober-Exel; Spiegel-Hacken; Mit-Exel; Reyger-Haüffel; Stier-Spitz;* ac denique, adgestus territorio *Köptsinensi*, arenarum aliquis cuneus, quem itidem, ob constitutas isthhic metas, vernacule, *Hotter*, adpellant. Sunt vero singulæ, in arcis ditione, qua iam *Comites Pálffy* potiuntur.

§. VIII.

Insulæ vlteriores:

Wolffs-Trüssel:

Citerior hæc insularum congeries fuit, quarum tres illas maiores, *Cyclades, (k.)* ob situs rationem, *Sporades*, minores ceteras, iure possis adpellare. Vlteriores iam videamus. *Wolffs-Trüssel*, hic ante omnia nominanda est; cum ob insignem, quo describitur, ambitum, tum, ob ferarum, quas alit, lustra, longe opportunissima. Inhæsit, eo prorsus loco, vbi medius ille, quem diximus, alueus *Danubii*, *noua molitur* diuortia, repressisque, dextrorsum atque sinistrorsum, aquis, impetuosus *illinc*, *inter Burgrauiam maiorem*, & hanc nostram, delabitur. Hinc, lento magis aquarum tractu, ludit Mæandris, varias emetientibus ambages. Tollive, duo milliaria *Germanica* longam scripsit; cum vix mille ducentas orgyias superet, latitudine prorsus inæquali. Nam, qua Septentrioni obuersa est, æmulatur longitudinis modum; qui demum, quo in meridiem recedit profundius, eo cuneatur arctius. Viuarium, a natura instructum diceres, ita, & positione, & siluarum opportunitate valet, ad feras, commode accipiendas alendasque. Ductus ea re, *Nicolaus Pálffy*, nuper R. H. Palatinus, saltuariam hic domum excitandam curauit, vt essent, qui hic colerent; &, cum vniuersim insulæ adtenderent, tum feris, atque apris maxime. Integrum enim gregem, quasi cicuratus esset, hordeo isthic aluit. Et adsueuerant omnino saginæ huic, confluebantque gregatim, quoties farris aliquid obiiciebatur. Quod, dum vorabant, deiiciebantur glande, sine venationis molestia; si vsus ita poscebat: id quod tamen rarius, neque, nisi oblectandorum hospitum caussa, fiebat. Itaque, inualuit feræ genus, vltra, quam reris, opplebatque sæpius, vicinorum quoque insulas, dum cœpit dilabi. Est enim hoc aprorum peculiare, vt, cum auditu valeant, leui canum latratu, aut siluestri fragore alio, perterrefacti, dissipentur facile, susceptа quasi migratione, abeant, qua proruere cœperunt. Multum, occidentali latere insulæ, proximis retro annis, terreni *Danubius* abstulit, neque cessat adhuc, vernis potissimum eluuionibus, ripas, vastis hiatibus subruere. Alioquin, nihil insula hac, ad deambulationes fatigationis caussa susceptas, opportunius est. Densum vbique nemus, quod opaci calles,

ferarum est viuarium:

k.) De his vide Pomponivm Melam, Lib. II. Cap. VII. 100. & Strabonem Lib. X. p. 334. Edit. *Isaaci Casauboni*, fol. A. MDLXXXVII.

les, pererrant, facileque in deuia inducunt locorum ignaros. Hoc molestiæ habet plurimum, quod, simul æstas cœpit incalescere, nocentissimis culicibus scateant omnia: quod malum, tametsi reliquis etiam insulis sit commune; heic tamen eo magis excedit modum, quo insula est saltuosior, *Fissardt*, ei a Septentrione obiacet, inter Mæandros, quos nunc meminimus, posita. Ingenium ei herusque cum *Wolffs-Trüssela*, idem; sed intercapedo, multis modis minor. Vltra, insularum maxima, in aquilonem porrigitur; quam, ditionis diuersæ caussa, bifariam dispertiuere finium dirimendorum arbitri. Pars meridiana, quæ in arcis est ditione, *Insula Comitum*, & vulgo, *Graffen-Au*, dicitur, habetque vicum, *Fő-Rév*, Germanis *Ober-Uffer*, a regiis venatoribus insessum. quem in arcis historia designauimus. Tota, eximiarum est opportunitatum. Nam, & agris frumentariis colitur, & pomariis. Siluarum pratorumque habet affatim, quin piscationis etiam modum insignem. Parti alteri, quæ altius in septentriones abit, *Mühl-Au* nomen est, quod *Molarum insulam* significat, quas haud procul inde, suspensas de nauibus habent *Pisonienses*. Vrbicæ ea ditionis, & eximium *herorum solertia, arbustum est.* Nempe, deiiciunt siluas, & deponunt varii fructus seminia, quæ pro situum ratione, prout pingues sunt, aut macilenti, excoli, vel depressi, conualescunt varie. Vidimus, vnius alteriusue lustri spatio, eodem loco, densas nuper siluas, vegeta mox pomaria, denique, fructu onustas arbores. Præcipua harum pestis, lepores sunt, qui deraso hieme cortice, sauciant tenellum genus, ne possit proficere. Quod hi reliquere intemeratum, nunc glacies, nunc eluuiones aliæ, perdunt. Pone, *Fundus ciuicus minor* ad sedit, vernacule, *Kleine Burger-Au*, insularum, quas dedimus, ob hortorum præstantiam, felicissima, amœnissimaque futura, nisi *Danubii* incumbentis rapiditate, concerperetur. Vix annus abit, quin grandia spatia, toto, quam longa est, tractu, cum arboribus, multo luxuriantibus fructu, auferat. Nauales molas, hæc detrimenta, insulæ accelerare, haud sine ratione credunt, rerum consulti. Quia enim, longo ordine, ad ripam depactæ, perpetua rotatione, vorticis instar, gyrant aquas, fit, vt totidem fere gurgitibus, quot sunt molarum rotæ, istorsum illiciantur fluctus. quod, quia cum impetu fit, ac vehementia, necesse est, ripas subrui, & quantum isthic terreni deraditur, tantundem, aduerso margine, alluuionis fieri. Ergo, aut molas alia statione collocent *Pisonienses*, aut totius insulæ iacturam, id ni velint, faciant oportet. Alioquin, amœni ei sunt recessus, atque latebræ, multa opacitate, & gelidis vmbris, iucundæ. Hic nimirum,

Secluſum nemus & virgulta ſonantia ſiluis,

ambulatiunculas, & suaues faciunt, & salubres. Hortensem siluam diceres, vbi arborum,

Pars præbet fructus, & pars adoleſcit ab imo
Stipite, pars medio trudunt de cortice gemmas.

Graffen-Au:

Mühlau:

annis, in eam, iniuriæ:

naualium molarum causſa:

Quod propior ad vrbem eſt, frequentatur, quam reliquæ, crebrius, cum obſeruandorum hortorum, tum etiam, animi laxandi cauſſa. Nam, molares quidem operæ, haud quidquam, ad celebritatem inſulæ adtinent; quin reddunt eam ſubinde infeſtam, iocis ſcurrilibus, confluentis, non raro, ad procaces ſymphonias ſaltusque, plebeiæ adoleſcentiæ. Non fallimur, cum hos poſitus inſularum, in præcipuis *Piſonienſium* oblectamentis, recenſemus:

Arbitrare locos, letos & amœna vireta,
Fortunatorum nemorum, ſedesque beatas.

inſulæ circum, minores.

Aditur inſula, ponte nauali, vt expeditior, ad molas ſit acceſſus. Minores circum, haud merentur famam, quod, vel nuper cœperunt emergere, vel extra modum ſunt exiles. Inſulam *Nicolai* decet non ſiluiſſe, eo quod ad ædem ſacram, quæ arcis pedi, eodem nomine, inædificata eſt, pertinet. Interſeritur, lacuſtri ei alueo, qui *molarum* illam, a *ciuica* hac *minore*, diſcriminat.

§. IX.

Danubius:

SAtis, credo, deſcribendis inſulis, impedimus operæ; *nunc, qui* eas molitur, *Danubium* fas eſt deſignare. Qua le agro Piſo*nienſi*, inſinuet, in fluuiis totius *(l.)* prouinciæ, monuimus. Supereſt, vt, quid ex vaſto amne, ad vrbem, commodi redundet, vi-

quas præſtet Piſonienſibus vtilitates:

deamus. quod eo faciendum eſt diligentius, quo magis conſtat, amnem ipſum, in arcis eſſe ditione, & in reditibus *Comitis Piſonienſis*, cenſeri. Duum ii ſunt generum, conſtantque *naulo*, & *piſcatione*. Vtriusque partem capiunt *Piſonienſes*, idque priſcorum regum indulgentia. Carptim ſingula, ſed fide tamen integra, adnotabimus. Et de piſca-

piſcationis iura:

toribus quidem, nota eſt in vulgus, ANDREAE III. ſanctio *(m.)* *Piſcatores*, inquit, *eandem habeant libertatem, qua primitus ſunt gauiſi, iſtam videlicet; quod de captis Huſonibus, & piſcibus, ſub glacie comprehenſis, & aliis piſcibus captis in rete, quod profunditur in profundum, tertiam partem*, Comiti Piſonienſi *perſoluant piſcatores, in eadem ciuitate conſtituti. Nihilominus, iidem piſcatores ſinguli, & vniuerſi, cum ciuibus Poſonienſibus, in aliis exactionibus, & libertatibus, congaudebunt.* Ergo, primitus, & poſt adſertum Hungariæ, *Piſonium*, iura hæc piſcatoribus ciuicis, fuere peculiaria. Videas præterea, *Huſonum*, quos rectius *Antacæos* dicimus, capturam frequentatam, noſtra hac ora olim fuiſſe; quod ſi iam accidat, in portentis habetur. Eccur vero, rarius

Antacæorum captura, Piſonio familiaris olim:

ad nos vsque enatant iam *Antacæi?* Alibi, in eo cauſſam poſitam diximus, quod amne delectentur profundiore, quique limum vehat pinguem. quorum vtrumque, ineſt alueo noſtro; haud tamen æquali portione, cum iis locis, vbi eorum captura, hodieque copioſa eſt.

cur deſierit hodie.

Nunc

l.) Hiſtoriæ Comitatus Piſonienſis, *Parte Generali, Membr. I. §. V. num. I.* p. 10.

m.) Diplomate anni MCCXCI. expreſſa.

Nunc, & iſtud ſuccurrit: ante intercipi genus, quam poſſit aduerſo flumine, *Piſonium* vsque, eniti. Sunt enim vero, plures paſſim piſcaturæ, quæ inſidiantur *Huſonibus*. Auariſſima fere eſt ea, quæ fit *Comaromii*, quod hic rete effugit, vel *Vágo* ſe committit, ad *Guttam* intercipiendum, vel emergit, per *Csallóközienſem* alueum, vbi nouæ iterum inſidiæ, cum alibi, tum apud *Vajkenſes* præcipue, impediunt piſcem, quo minus, ad nos pertingere, genusque poſſit propagare. Sed hæc obiter!

§. X.

Naulum, a Sigismundo, *vrbi donatum:*

NAuli beneficio, SIGISMVNDVS, vrbem mactauit, perſcripſitque eius iura ciuibus, *Olomuczii*, anno MCCCII. tertio die feſti conuerſionis B. Apoſtoli Paulli: *Volumus*, inquit, *& præſentium tenore, ipſis fidelibus noſtris, concedimus, & damus facultatem, quatenus de cetero libere poſſint, pro cuiuslibet ipſorum beneplacito voluntatis, habere & tenere nauigia ſuper Danubio in diſtrictu Poſonienſi, & cum ipſis nauigiis, quemadmodum in aliis paſſagiis, ſeu tranſitibus ibidem fieri conſueuit, homines, animalia, mercimonia, & cuiuslibet alterius generis res, & bona hinc inde, libere tranſfretare: non obſtantibus aliquorum, aliorum fidelium noſtrorum, gratiis & libertatibus, eis, per* Nos, *ſeu prædeceſſores noſtros, Hungariæ Reges conceſſis, quibus, quoad præſentem conſtitutionem Noſtram, volumus derogari; maxime, cum propter defectum nauium, in portu ipſius ciuitatis, mercatores, & alii viatores homines, nimia tarditate, temporibus præteritis, fuerint neglecti; cui incommodo, vt ex eo gratia depoſitionis, ipſis ciuibus noſtris conceſſa, magis amplietur, regiis fauoribus decreuimus obuiare.* Nihil his dici poteſt luculentius, aut rationibus ciuium accommodatius. Id mirere, omnibus vniuerſim, qui vti voluerint beneficio, naualis eius traiectus, factam fuiſſe poteſtatem. Neque ſolius hæc SIGISMVNDI fuit munificentia. Adfirmauit eam vrbi, ALBERTVS quo-

adfirmauit, noua acceſſione, Albertus:

que. Cuius tabulas, quod rei totius cauſſas ediſſerunt, inibimus forte gratiam lectorum, ſi iſthic recenſuerimus: *Quia a longis iam retroactis temporibus, eis ciuitatem noſtram, Poſonienſem, aqua Danubii, per arenæ & arborum congeries, & conglobationes, ſic exſtiterit diuiſa, quod per naualem tranſitum, magna cum difficultate ipſa aqua Danubii poteſt tranſfretari: Ideo, quondam Princeps laudandæ memoriæ, glorioſiſſimus Dominus* SIGISMVNDVS, *Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Hungariæ Rex, Pater ac Prædeceſſor noſter chariſſimus, tantis incommodis, tamque maximis periculis, quæ nedum prædictæ ciuitati noſtræ Poſonienſi, verum potius, regnicolis & viatoribus, inibi tranſfretare contingentibus, conſueuerunt euenire, ſalubriter prouidere volens, circumſpecta ſagacitate, prouidoque ingenio, prope prætactam ciuitatem noſtram Piſonienſem*, Pontem, ſuper nauibus, *magnis ſumtibus & expenſis, conſtrui fecit & laborari: qui tandem ſub gubernatione Caſtellano-*

rum Caſtri noſtri Poſonienſis exiſtens, & propter inaduertentiam, pleriſque vicibus, per aquarum inundationes & fluctuationes, & ineptam conſeruationem, hinc inde diſtractus, raptusque & annihilatus, in eius ſtructuris & neceſſitatibus defectum non modicum patiebatur; Nosque, ne temporum in proceſſu aliqua impedimenta his, penes prælibatam ciuitatem noſtram Poſonienſem, Danubium transfretantibus, præbeantur; ſed prædictus pons, in ſuis ſtructuris & neceſſitatibus integer conſeruetur, de circumſpecta prouidentia Iudicis, & Iuratorum, ceterorumque ciuium prænotatæ ciuitatis Poſonienſis, confiſi, ipſum pontem, ſimul cum vado & tranſitu nauali, nec non tributo, in ipſo ponte exigi ſolito, ac aliis cunctis ſuis vtilitatibus, & prouentibus, præfatæ ciuitati noſtræ Poſonienſi, & conſequenter, Iudici, & Iuratis, ceterisque ciuibus, eiusdem prædictæ Maieſtatis noſtræ beneplacito, perdurandum ad conſeruandum tenendumque & habendum, duximus committendum. Immo committimus tali modo: *Quod ipſi huiusmodi pontem, eorum propriis expenſis, tenere & conſeruare, fructusque, & prouentus, ratione tributi ſeu nauigii, in eodem ponte exigi ſoliti, pro ſe recipere valeant atque poſſint.* Hactenus ALBERTI *tabulæ*, ex quarum argumento colligas, facta, ciuibus a SIGISMVNDO, traiectus illa, quam antea meminimus, indulgentia, aut abuſos fuiſſe Poſonienſes, *aut certe non* ſatis prouidiſſe traiicientibus. Qua demum, ſiue incuriositate, ſiue re quacunque alia, permotus SIGISMVNDVS, pontem naualem, ſua impenſa, inſtruxerit, vtque haberetur adcuratius, arcis *Caſtellanis* concrediderit. Sed, quam male pontem adminiſtrarint, ALBERTI querelas, iam recitauiſſe ſufficiat. Fruebantur inde, hoc ſuo iure, *Piſonienſes*, dum *Iohannes Capler*, arcis Caſtellanus, pontem ſtraturis, remoræ quidpiam iniecit. quod quemadmodum ſuſtulerit LADISLAVS, Alberti poſthumus, ex eius litteris, quas *Pragæ*, anno MCCCCLIV. Calendis Mai, ad *Caplerum*, dedit, audiamus: *Cum fideles noſtri, Circumſpecti, Iudex, Iurati, ceterumque ciues, & communitas ciuitatis noſtræ Poſonienſis, de conſenſu & voluntate noſtra, illic, circa & prope Poſonium, ſuper fluuio Danubii, ſeu ramis eiusdem, pro commodo non ſolum proprio, ſed etiam aliorum omnium, illic procedentium, pontem ædificare intendant, & conſtruere: vt ergo, tanta reipublicæ vtilitas, ad effectum eo facilius deduci poſſit, Fidelitati Tuæ mandamus, quatenus viſis* præſentibus, præfatis ciuibus noſtris, in ædificando, QVOCVNQVE LOCO VOLVERINT, dicto ponte, contradicere, aut eos impedire, nullatenus præſumatis; *ſed permittatis ipſos, huiusmodi ædificationem pontis*, IN LOCO, QVO IPSIS VISVM FVERIT; *libere & pacifice perficere.* Hæc ſingula, ad iura, pontis inſtruendi, percipiendique nauli, ſeu portorii, adtinuere. Id vero, quia ſine lege fuit adhuc, MATTHIAS Coruinus, ſingulari in vrbem ductus beneuolentia, hac edita ſanctione, anno MCCCCLXXV. feria ſexta, proxime ante feſtum B. Petri Martyris, *Piſonii* definiuit: *Quod* Nos, *attentis & conſideratis fidelium noſtrorum, prudentum & circumſpectorum, Magiſtri ciuium & Conſulum, & incolarum omnium ciui-*

Ladislaus *item poſthumus:*

Matthiæ Coruini, *in eandem rem diploma:*

ciuitatis noſtræ Poſonienſis, grauiſſimis expenſis, quas pro conſeruatione pontis Danubii, circa dictam ciuitatem noſtram Poſonienſem, pro commodo omnium & ſingulorum, qui dictum Danubium pertranſeunt, non mediocres, ſingulis annis facere habent; volentes præfatos ciues & incolas, dictæ ciuitatis noſtræ, ſolito noſtro gratioſo fauore proſequi, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac nonnullorum fidelium noſtrorum Prælatorum, & Baronum, conſilio, id eisdem gratioſe duximus annuendum, & concedendum: Immo annuimus & concedimus per præſentes: Quod ipſi, AB OMNIBVS, CVIVSVIS STATVS ET CONDITIONIS hominibus, qui in ipſo ponte Danubium pertranſire voluerint, exceptis duntaxat, *Maieſtate* noſtra, cum tota curia noſtra, cum præſentes fuerimus, *Prælatisque*, & *Baronibus* noſtris, cum comitiua ipſorum, dum ipſi perſonaliter aderunt, & notanter, *Venerabili Prepoſito Poſonienſi*, præſente & futuro, *iuxta ordinationem prius factam, & decretum, expenſarum recompenſam facere, & etiam extorquere, Auctoritate noſtra, eis præſentibus, in hac parte attributa, & iuſtitia mediante, libere poſſint & valeant. Quod ſi quisquam ſubditorum noſtrorum, huiusmodi noſtræ gratioſæ anxientiæ & conceſſionis* CONTEMTOR EXSTITERIT, *& pro hac re, præfatis ciuibus damna, aut iniurias inferre præſumſerit, eo facto, Noſtram grauiſſimam indignationem nouerit incurriſſe.* Tanta tunc traiectus Piſonienſis cura ducebantur, Reges Optimi. Gaudent hodieque ciues, vetere illo, inſtruendi pontis & exigendi vectigalis, beneficio; ſed quod diminutum adeo accepimus, vt vix reſpondeat impenſæ, quam in pontem, qui nunc partim volatilis eſt, partim ſublicius, fieri oportet. Eadem portorii iura, & tunc obtinent, ſed vectigali tenuiore, cum eſt glacialis traiectus. Nam & huius conſolidandi, cura laborque, ad ciues adtinet.

hodiernus nauli habitus.

§. XI.

Vtilior, an damnoſior Piſonienſibus ſit Danubius:

SVnt, qui aiunt, damnoſiorem multo, quam vtiliorem *(n.)* Piſonienſibus eſſe *Danubium.* Et difficile ſane eſt, ſi clades, quas efficere ſueuit, commodis conferas, aliter ſentire. Vix annus abit, quin nouas, ſemel iterumque ſtrages, edat: tunc maxime, cum rupta diffugienteque glacie, tumidus fertur, & qua incubuit, perrumpit, magna inſularum, quas laudauimus, calamitate: vt deraſi toties, pontis ſublicii damna, ſicuti frequentia, ita reparanda, toties totiesque ſilentio prætereamus. Hoc in amne, damnandum maxime eſt, quod migret, ſingulis eluuionibus, alueum, & nunc in hanc, nunc illam partem feratur, quodque hoc margine terreni abſorpſit, egerat alibi; iterumque inde repercuſſus, ſolidiſſimas etiam ripas, exedat latere altero. Id malum, vrbi, aliquot retro annis, cœpit incumbere, vt habeant ſane, *Piſonienſes*, cur, molibus obiectis, retundant flumen. quod, quia cœperunt facere, anno ſuperiori, ſpes eſt fore, con-

n.) Relegi poſſunt, eædem hæ querelæ, ſupra, *Parte Generali*, Memb. 1. §. v. ad num. 1.

continuaturos, non iam vtile, ſed neceſſarium opus. Dubito, an toto eo terrarum tractu, quem a fontibus in Pontum vsque Euxinum emetitur Danubius, tot Mæandris perplexus, decurrat, quam quibus agrum Piſonienſem perluit. Neceſſe ideo eſt, mole aquarum, differre alueos, tantoque demum magis, patere iniuriis rus adſitum, quanto, huc illucque impellitur maiore impetu. Nam, vbi in meatus incurrit anguſtiores, aperit ſibi viam, opinione laxiorem; obruit contra, ductus, quos oblique præterlabitur, ſaburræ molibus. Enimvero, ſi continenti alueo ferri poſſet amnis, & nauium foret patientior, & cladium ederet minus. Tulit interim claſſem amnicam Danubius noſter, ſupremo bello Turcico, ad eum modum inſtructam, vt aperto etiam mari, immitti potuiſſet. Naues erant prorſus bellicæ, quarum maxima tormenta vehebat quadraginta, pauciora, minores reliquæ. Vniuerſim, ſedecim fuiſſe meminimus. Atque ſtupuit omnino *Piſonium*, cum iactis in vrbis conſpectu, anchoris, inuſitatæ molis naues tamquam in portu, fluitarent. Nos certe, maximis CAROLI VI. operibus, claſſem eam, merito accenſuimus: quippe, cuius auſpiciis, *Danubius*, noſtra etiam hac regione, fretorum factus ſit æmulus. Vſus profecto, claſſis eius, in *Belgradi* obſidione, vltra, quam id ſpe potuiſſet præcipi, inſignis fuit. Ceterum, amnis incommoda, ferre oportet, quando nulla induſtria humana, mutari poterunt. Quantacunque autem ſint mala, quibus adfligitur ab amne *Piſonium*; tamen, nollent vicinitate eius carere noſtri. quod iam exaggerare verbis non putamus neceſſe. Fluuioli, qui ex agro Piſonienſi, incurrunt in Danubium, duo ſunt admodum. *Dévénienſis* alter, agri noſtratis a cognomine, quadam tenus, diſterminator; alter domeſticus, cui *Weidritz* nomen eſt. Ex ſe is quidem tenuis eſt, & vario, in ſiluis *Lamacſenſibus*, fonte editus. Manat aliquantiſper inutilis, dum collecto riuulorum incurſu, fit abundantior, & molæ, quam a poſſeſſoribus nuperis, *Auerianam* vocant, inductus, varium illic opus incipit verſare. Præter molam enim frumentariam, inſigni artificio, ædibusque inſtructam, tudes illic ſunt fullonum. Inde, ad paſſus circiter quingentos prouectus, in molam *Zitkowſzkyanam* incidit. Egregia moles eſt, quam ſumtu non parco, *Stephanus Zitkowſzky*, *Aduocatus Fiſci Regii*, tribus retro annis, inſtaurauit. Valet, non molendino tantum, ſed herili etiam prætorio, villa item ruſtica, & fructuaria. Eodem fere interuallo, *Segnerianus* fundus, &, impoſita riuo, mola, abeſt. Anguſtioribus hæc ſubſtructionibus, villa item conſtat arctiore; ſed reditu, nihilo deteriore. Singulis, quæ diximus molendinis, ager admenſus eſt, ſi colatur ſcrupuloſius, boni profectus. Fœni tantum innaſcitur, quod ſatis eſt villaticis pabulis. Simul hinc digreſſus eſt amniculus, noua accipitur valle, molis iterum pluribus inſeſſus. Quæ proxima eſt ad Segnerianam, nuper conſurrexit. *Spindleriana* profundius repoſita, antiquum opus eſt, & fructuoſum his, qui genti, multæ olim apud Piſonienſes, exiſtimationis, in hærediorum poſſeſſione,

claſſis amnica in Danubio:

riui agri Piſonienſis alii:

Weidritzia ortus:

quas verſet molas.

ne, ſucceſſerunt. Vltimum riui molendinum *Xenodochiale* fuit, ſed quod, ſubductis rationibus, vendidere magiſtratus: cum maiora hodie pecuniarum, quam fundorum ſint compendia, atque reditus.

§. XII.

ISTis partibus, *Rus Piſonienſe* abſoluitur. Iam, quibus circumeatur limitibus, veſtigandum eſſet adtentius; niſi, alienam controuerſiam, alieno arbitrio mallemus permittere. Nempe, intus, & extus, variis collimitiis diſcriminatur. Sua arci ſunt latifundia, priſco iure, ab vrbicis, diſcreta; ſed his tamen offuſa circumquaque. Proinde, cum pars neutra, detritum quidpiam ex ſuo velit, fit frequens vtrinque moleſtia. Idem, de extremis vndecunque limitibus fieri adſueuit, non tam poſſeſſorum vitio, quam, vel incolarum, vel eorum, qui his moderantur, auiditate. Ergo, dederunt operam, Supremi Comites Piſonienſes, *Pálffii*, vt quidquid mutuo, inter ſuos, & vrbem, interceſſit querelarum, adſcitis arbitris, amice id diſputaretur. Quantum indagando cognouimus, poſt inueteratas offenſas, anno ſurgentis ſeculi decimi octaui, *primo*, *III. Idus Iunii*, initia facta ſunt, abrogandarum querelarum. Multis ea res coitionibus, diſputationibus conſtitit pluribus, protractaque eſt, in annum vsque ſeculi *tertium:* dum *Rákócziana* ſeditio, litem cogeret ſuſpendere. Septennio hæc, & vltra, imis ſumma miſcuit; dumque profligaretur penitus, orbem non minus *Hungaricum*, quam vrbem noſtram, biennio peſtilentia adflixit. Tot malis ſuperatis, reſumta, limitum inſtaurandorum cura fuit, annis propemodum ſingulis; deſignati, mutua conſenſione, termini; inſularum in primis, & quæ in tanta amnis variatione fiunt, alluuionum. Longum foret, *ichnographiam* horum omnium exhibere, cum certum ſit, ſex fere milliarium ambitu, ſi *Lamacs*, & *Prácſa*, vrbis vicos, complectaris, collimitia hæc decurrere. Munere noſtro defunctos nos rebimur, ſi, quam ſuſcepimus, vrbis deſcriptionem, a prolixitatis vitio, liberauerimus. Verſabamur, ſcilicet, in ciuitate, poſt *Budam*, tota *Hungaria*, principe: atque *Buda*, eo etiam inſigniore; quod illa, ſinu regni confouebatur, vsque ad *Solymanni* tempora, perpetuo; hæc contra, *Auſtriacorum* incurſionibus, bellis item *Bohemicis*, vltra omnem modum, feris & cruentis, diuexabatur.

Limites ruris Piſonienſis qui?

lites, eorum cauſſa agitata:

Epilogus Hiſtoriæ Piſonienſis, & prolixitatis excuſatio:

Dura ſuit ſilex, ſtetit Marpeſia cautes.

in quam & hoſtes impingebant, & recuperatores *Hungari*. Poſtea, nihil, ſeu felicium, ſeu triſtium euentuum, tota accidit Hungaria, in quorum partem haud venerit *Piſonium*. Itaque, danda nobis fuit opera, vt, *Regum; Sacræ Coronæ; Adminiſtrationis Reipublicæ; Summorum, per Hungariam, Pontificum; Aerarii publici;* exoptatam ſedem, in luce publica, pro virili, collocaremus. Quin & illud, habebit, ad excuſationem, momenti quidpiam: quod, imagine vnius *Vrbis Regiæ Liberæque*, expreſſa, facile erit, reliquarum exempla, ani-

animis concipere. vbi profeſſa opera, breuitatem ſectabimur. Iam, quid Vrbi comprecemur, quæ nos, quæ pignora, fortunasque noſtras complectitur, in hac voluntatis propenſæ, qua erga eam ferimur, inclinatione, non facile reperimus; quam vt:

Auctoris vota.

SEMPER SIT FELIX CAESAR! SVB CAESARE PISON!

Atque, confidimus omnino, fore, vt, requieta, felicia, quin beata, incolumi CAESARE, nobis eueniant omnia. *Piſonienſium* certe, ſpes eſt auguſta illa, quam de AVGVSTO ſuo, Q. HORATIVS FLACCVS, *(o.)* liberaliſſime olim conceperat:

Cuſtode rerum CAESARE, *non furor*
Ciuilis, aut vis exiget otium;
Non ira, quæ procudit enſes,
Et miſeras inimicat vrbes.
Non, qui profundum Danubium *bibunt,*
Edicta rumpunt Iulia; Non Getæ,
Non Seres, infidiue Perſæ,
Non Tanaim prope flumen orti.
Nosque, & profeſtis lucibus, & ſacris,
Inter iocoſi munera Liberi,
Cum prole matronisque noſtris,
Rite Deos prius adprecati,
Virtute functos, more patrum, duces,
Lydis remixto carmine tibiis,
Troiamque & Anchiſen, & almæ
Progeniem VENERIS *canemus.*

o.) Carminum Lib. IV. 15. in laudibus Cæſaris.

FINIS.